
VOLVNTATEM TIMENTIVM
SE FACIET DOMINVS PSALM
1565

IV. 463.

R 1720

Graecae linguae statoribus et instauratoribus, qui e regione sunt laudati, adde ex iis, qui nostra memoria floruerunt

Jo. Gottfr. Herrichen. poëta gr. sine pari. Rector Scholae Lips. ob. 1705.

Rarissimum vocat hoc opus longeq doctissimum Joh. Lud. Bonemannus in catal. MSSctor. p. 101. s. et non nisi 2. thalerorum pretio venale proponit.

Jo. Camerarius Des. Erasmum Basileae convenit pag. 146.

Philol.

R II. e. 505.

Be. 505.

Joach. Camerarius a promtuario illo litteraturae graecae Mich. Neandro dicitur ἐμπυρικώλαος et inter viros termaximos refertur, qui ingeniis plane humani modum egressi, divino ingenio ac divina sapientia ac scientia praediti, ac tantum non terrestria quaedam oracula extiterunt; quomodo vetustas sapiens de Socrate existimabat; in quibus se omnis divina ac humana sapientia totaq sapiens vetustas condiderat. vid. Praef. Neand. Rhodom. Palaest. praem.

Viri, qui aut paullo ante, una cum Camerario, aut non ita multo post insigni graecarum laude litterarum effloruere, sunt Reuchlinus

Reuchlinus
Budaeus
Erasmus
Melanchthon.
Chytraeus
Robert. Stephanus
Henr. Stephan.
Sylburgius
Leunclavius
Crusius
Zwingerus
Frischlinus
Caselius
Dresserus
Neander
Rhodomannus.
Casauboni.
Hier. Wolfius.

Henr. Stephanus eum probatum iret, non dicenda esse fidem non mereri, quaecunque eam non mereri videntur, hunc in modum disserit in Prolegomenis in Pomp. Melam: Atqui hic commodum in mentem mihi venit eius quod aliquando apud doctissimum illum virum Joach. Camerarium (cuius iam a triennio lugere mortem Musae utraeque non desinunt) Coment. in V. Tusc. Quaest. Ciceronis, p. 79. s. 99. legi, illud de Indicis uxoribus, a navigatoribus nuperis esse confirmatum.

Ioach. CAMERARIVS nat. Bambergæ 1500. 12. Apr. Norimbergæ, Tubingæ ac Lipsiæ docuit et cum in omni optimarum artium genere mira ingenii felicitate exercitatum subactumq animum reddidit, tum vero græcarum laude litterarum neminem eruditissimorum, quorum tunc temporis magna florebat per germaniam copia, virorum non superauit et multis parasangis post se reliquit. obiit 1574. Ex filiis eius, qui acceptam a patre gloriæ hæreditatem ad posteros transfundere omni opera connitebantur, magnam nominis celebritatem sunt consequuti

Ioachimus nat. Norimb. 1534. qui Norimb. medicam artem professus est. cuius filius

Ioachimus nat. 1566. den. 1642. celebre in eadem arte nomen consecutus est.

Philippus nat. Tubing. 1537. qui religionis ergo Romæ aliquamdiu carcere detentus deprecatione principum virorum dimissus est, et primo Basileæ doctoris insignia accepit, deinde primus Acad. Altorf. Procancellarius constitutus est. Hic ille est, qui III. centur. hor. subcisiu. scriptas reliquit † 1624.

Ludouicus iurium doctor et Frider. V. palatinatus electori illi infelici a consiliis intimis nat. Norim. 1573. den. Heidelb. 1651.

Ioachimi Camerarij

PABERGENSIS IN M. T. CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONUM libros V. Commentarij longè doctissimi: quorum primo & secundo inserta est copiosa disputatio DE IMITATIONE, defensáq; utilitas atque bonitas, & ratio quædam, quasíq; uia demonstrata illius.

Reliquis, quæcunq; in posteriorib. quatuor Tusculanarũ Quæstionum libris obscuriora, magisq; memorabilia occurrunt loca, lucidissimè simul atq; eruditissimè explicantur.

Accessit quoq; Epistola eiusdem cumprimis erudita ad Ioannem Oporinum, qua Apollonij Tyanei de Imitatione sententia declaratur. pag. 271.

Vnà cum rerum & uerborum in hisce omnibus memorabilium triplici Indice.

BIBL: NORIM: DUPLICIS:

BASILEAE,
1548.

Lectoribus.

CVRAVIMVS etiam impreßione abſolutos Commentarios hoſce relegi, quo emẽdationes exirent, correctis hinc inde quæ operarum incuria irrepſerant, mendis: ſi non ſuo loco, at ſaltem annotatiunculis additis. Quam ſanè diligentiæ ac fidei noſtræ operam boni conſuletis, neq; tam deformari libros talibus adiectionibus, quàm ornari putabitis. Nam inter elaborandum accidere multa ſolent, quibus ſcripta deprauentur. hæc alia ratione, quàm hac poſterioris cuiuſdã emendationis, ſarciri nequeant. Miſſum etiam archetypum libri huius ad nos fuit, cum minus luculentè exaratum, tum adſcriptionibus chartarum interpolatum, ut procliues admodum offenſæ fuerint. Quare ut Correctiones has exponamus:

Pagina 1. uerſu 15. legitur, hoc egit,
2.19. regna uini
3.17. futurum,
4.1. permagnum
5.28. uiderctur.
6.12. Britano homini,
7.7. perſpecturum, admodum uoluiſſe
Ead. 34. inquam. Quicquid tibi, inquit,
9.13. prænomen, illud
10.1. dele) poſt Cicero.
11.8. Chronica aliter tradant, interceſſit) Pythagoras,
Ead. 10. non profeſſionem
12.18. numerus. quicquid
13.29. Mores autem, &c.
15.9. Quæ ſunt lecta,
Ead. 14. mendaciola multorum
16.32. Ariſtotelis,
17.1. artem in Aegypto,
Ead. 6. figuras autem
19.4. intorſerit.
21.14. Montagnanos
22.8. fortitudo mihi cæui.
Ead. 33. hos optimos appello &
33. ſic accipe.
29.19. quæ quidam lineamenta
30.24. iaciuiſſent multo magis fœdiusq; abiecti.
33. in marg. Quomodo legend. &c.
40.24. patientibus,
49.1. & diſſipant propoſitũ ſuum,
51.1. legitur (cur enim
Ead. 19. Et hoc:
& 32. ἀπολαυεῖν.
57.26. ſic nunc te oro,
58.32. ſed imitationi
59.23. diligentiæ noſtræ.
66.17. me collegiſſe.
Ead. 36. conquiniſcito
67.26. præſidium ſtatiuum,
68.16. διαπάλιψις,
69.32. amiciſſimum,
71.25. quin huic tantum
79.3. Equidem ad noſtram laudem
81.15. bonum. & Terent.
83.15. ordinis, confirmationum,
Ead. 27. ac ſummum eloquentiæ
& 34. facilius eloquentia

β.

LOCORVM ALIQVOT

85. te, qui non huc
Ead. 23. mauis scribæ
& 30. efferre.
87. 3. πινυσὸνς prudentes
91. 20. Postea uerò quàm
92. 30. annotabantur nõ negligẽter:
93. 31. ut solemus,
94. 21. Si hoc non fit.
96. 12. coniunctiones omissæ
97. 11. delectare posit.
Ead. 32. Sed eadem
98. 14. cognosces.
Ead. 26. De literis hactenus.
& 32. in hoc, fiet,
100. 13. salute. Facta
Ead. 34. defensionem
101. 13. quamq; barbarum sit,
105. 4. immortalitatem optare

Hoc loco non uoluimus dissimulare, inter impressiones non animaduersam fuisse chartam unam, in qua descripta quædam ad hoc genus transpositionis adiungi deberent: atque ea subiecimus, concinnanda cum fine eorum quæ de transpositionibus dicuntur, qui incidit in Pag. 105. uer. 21. Sunt autem hæc: Eódem quoque referentur ea, in quibus quod non statim sensus uerbis explicantur, neque absoluuntur, sed producuntur longius, & interpositionum creberitate quasi suspenduntur, solet oratio repetitione priorum contexi, ne obscura fiat. Hæ autem contextiones notantur his plerunque uerbis, IGITVR, ERGO, INQVAM. Tuscul. 3. est huiusmodi ab incepto
» progressio longior: Verisimile etiam illud est, qui sit temperans, &c. Requires enim, cum uoles. Rursum Tuscul. 4. Quid autem ex tragœdia princeps
» ille Argonautarum? Tu me amoris magis quàm honoris seruauisti gratia.
» Quid ergo hic amor Medeæ, quanta miseriarum incendia excitauit? Pro
» Cluentio: Nam Sassia mater huius Habiti, mater enim à me nominis caussa,
» tametsi in hunc hostili odio & crudelitate est, mater inquam, appellabitur:
» neque unquam illata de suo scelere & immanitate audiet, ut naturæ nomen
» amittat. Quo enim est ipsum nomen amantius, indulgentiusq; maternum, hoc
» illius matris, quæ multos iam annos & nunc cum maximè filium interfe-
» ctum cupit, singulare scelus maiore odio dignum esse ducetis: ea igitur ma-
» ter Habiti, &c. Pro leg. Manil. Quæ ciuitas ante unquam fuit, non dico A-
» thenienſium, quæ satis latè quondam mare tenuisse dicitur: non Carthagi-
» nensium qui permultum classe maritimisq; rebus ualuerunt: non Rhodio-
» rum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina naualis & gloria re-
» mansit, quæ ciuitas ante unquam, &c. Atq; in his etiam hoc reperietur, posteriora sæpe à prioribus quodammodo dissidere, ut in exemplo à nobis tertio loco adducto notare quoq; potuisti.

Præterea Pag. 106. 25. Inserenda hæc sunt, ut ita legatur: O noster De
Lib. 10. mea. In quo genere insigne hoc Virgilium:
Nos, an miseros qui Troas Achiuis Obiecit?
Ead. 27. certus sit inquisitioni
107. 21. illorum orationem

Ead.

EMENDATIOR LECTIO.

Ead. 36. undiq; tectum
109. 32. circunscripto:
110. 14. patriam, expetere.
113. 21. fraudibus. Cicer.
117. 18. libidine sua ab
118. 23 condemnata
123. 30. Canachi signa
124. 32. constitutionis, habitus,
128. 33. illa bestia
129. 28. hæc pars perspici
Ead. 36. studiosè contemplantur,
132. 18. sic distinguetur: Neq; enim naturæ rerum, peruersa usurpatio, nisi à stolidis & imperitis, ignominiam
133. 1. à pulchritudine illius æternæ rei, atq; immortalis formæ minime aberrasse uideatur.
135. 32. idem erat facere, non simile
Ead. 36. diuersitates sunt uoluntariæ
138. 24. uidentur aliquid
142. 23. necessario fiat,
43. 34. incedentes,
144. 9. quidam redeundi
148. 23. uidetur legẽ. ac discurrentes
149. 19. adolescentiam,
154. 12. Aggeruns,
161. 2. ueriß. est enim, causa odij mor.
165. 26. loqui: hoc est
166. 4. ἐγκεφαλίδα
173. 25. pater atq; princeps
Ead. 33. Illius præmia, horum pœnæ, naturæ sunt,
176. 16. non sine causa
177. 1. scribi debent ut uersus, hæc:
Vnde animæ excitantur obscura umbra, aperto ostio Alti Acheron
tis, falso sanguine imagines mortuorum.
Ead. 17. autoritate: multaq;
178. 16 κσυθμῶνα
184. 30. ἀφθήσεις
185. 7. uersus sunt:
Acherontia tẽpla, alta orci, pallida Leti, obnubila, obsita tenebris loca
195. 1. Putat autem
198 uers. ult. artificiosius
202. 8. τὰ ἐπόμενα
207 Ead. 9. cœlestium, atq;
207 & 27 φαέθων. & mox, φωσφόρος
207. 30. milies
213. 29. πεῦ ροιπυμένυν
214. 6. χλαμυδοειδὴς. & 16. χλαμυδοειδές
215. 7. ignotas, nullas
218. 15. summum locum
219. 6. diuersum à corpore
224. 17. moritur. Quod cygnos
Ead. 18. ait, apud
229. 9. qui omnino
Ead. 21. scribantur ut uersus,
Astante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis.
246. 10. copiosè scribunt
251. 21. apophthegma
252. 9. mirificè autem
253. 18. fortè legendum, quicquam mei
156. 32. νλιρὸν, ναὶ ἐρωτᾷ
262. 7. Harmodius
264. 21. me cogitis
266. in marg. τόρνιχόρη
267. 18. ne id gigneret

AVTHORVM LOCA,

QVAE IN HISCE COMMENTARIIS *uel citantur, uel explicantur, uel deniq; restituuntur. Eorum item omnium, quæ de illis ipsis obseruanda dicuntur,* INDEX.

Ccij locus. 42.20. & 254.12
Aelius Sextus. 162.9
Aesopica uulpecula 124.29
Alcidamas rhetor 261.24 & 265 21
P. Alcionij dialogi Ciceroniani. 120.19
Anaxagoræ dictum. 252.30 & 257 9
Annicerides. 253.11
M. Antonij eloquentia 152.15
Apollonius Pergæus 202.11
Apollonij locus. 121.31. & 122.3
de Apollonio non pauca mutuatum esse Vergiliũ. 121.27
Apollonij Tyanei de Imitatione sententia. 270. & 271.14.19 & 276 21
Apuleiana, ut aliena, legenda. 126 20
Antipater 233.22
Arati uersus à Cicerone Latinè redditi. 215.28
Arcesilæ Philosophia 250.24
Archilochus quo tempore uixerit. 14.5 15.19
Archytas pythagoricus. 177.23
Aristarchum *σύφος* masculino genere edisse. 249.31
Aristippus iunior 252.23
Aristippi elegans dictum. 2.10
Aristippi secta. 233.21
Aristophanes Grammaticus. 249 3
Aristopha. locus. 51.19. & 52.13
Aristoteles omnibus philosophis excepto Platone præstãs ingenio & diligentia. 163.17 & 196 36
Aristoteles taxatus 217.21.26
Aristotelis alij etiã libri de Anima, præter eos qui extant. 167 2
Aristotelis balbuties 45.16
Aristotelis locus. 217.13. & 222.32. 227.14. & 238.21
Aristotelis solitum perfugium 217 28
Aristotelis mundũ & ortus, & interitus expertẽ esse 217.31
Aristotelẽ cũ eloquẽtia iunxisse prudentiam 18.7 eod. & 176.22. & 184.10. & 186 7
Asinij de Cicerone iudiciũ improbandum 55.8
Athenei locus 203.3. & 246.11 28
Aubanus 6.14
Ausonij locus 264.33

B

Bembi laus 19.31. & 377.
Bembi de imitandi ratione sententia 57.30. & 119.21
Budæi de Ciceroniana imitatione sententia 160.11 & inde
Budæi de entelechiæ uoce sententia 167.11

C

Cæsarianus quatenus fieri aliquis possit: de eius fragmentis 141.21.35
Cæsaris de Imitatione sententia 58.25
Callimachi epigrãma in Cleombrotum. 229.1. & 233.24
Callimachi dictũ. 238.8 (201.9
Carneadis memoria. 192.7 &
Catonis in eloquẽtia studium 15.5 (58.25
Catulli de imitatione sentẽtia
Chrysippi in historia curiositas 255.29
Cicero ad philosophicas scriptiones quando se conuerterit. 234.17 (bi. 34.26
Cicero an sui dissimilis alicu-
Cicero augur 33.23
Cicero cui placet, eum profecisse 31.23
Cicero Crassum imitatus. 125.32
Cic. Græcè loqui in Latino sermone nõ plus solitus, quàm in Græco latinè. 158.7. & 161.6
Cicero sibi dissimilis 15.36
Cicero in Latio eloquentissimus 134.4.9
Cicero in scribẽda historia maiorem ne laudem assequi potuerit, quàm Liuius 142.5
Cic. orator ex Academiæ spaciis, nõ rhetorũ officinis. 10.17
Cicero perfectum eloquentiæ latinę exẽplũ. 125.35. & 141.37
Cicero quãti priscorũ autoritatem fecerit. 65.12. & quàm diligens eorundẽ lector fuerit. 18 (136.10
Cicero quãti Socratem fecerit
Cicero quare unus imitatiõis studioso proponẽdus. 137.26
Cicero Terẽtianis libenter ac crebro usus 65.19. & 66.14
Cicero. accusationes. 10.3. pro defensionib. magis habẽdę. 11
Ciceronis ad Atticum epistolę græcissantes. 161.11
Ciceronis calumniatores. 55.5
Ciceronis consolatio de morte 204.1. & 206.24. & 221.5 & 22.28 & 265.15
Cic. de animi immortalitate nõ firma satis sententia. 183.4
Ciceronis declamatio senilis, qualis 18.21
Ciceronis diuina bonitas. 141.18 & elegantia 83.4
Ciceronis erratum 54.5
Ciceronis etiam uitia latinitatis studioso non negligenda 45.27
Ciceronis exemplum nõ imitabile 275.4
Ciceronis humana tantũ, nõ diuina etiã excellẽtia 275.15
Ciceronis idẽ non uno uerbo dicendi copia 93.10
à Ciceronis imitandi cupiditate ac studio deterrentis, improbè agere 33.8
Ciceronis proœmia 114.26
Cic. locus. 51.2.11. & 52.30. & 53.9.17. et 54.6.14. & 78.19. & 81.20 & 83.24. & 84.10.16.30. & 85.1.21.30. & 86.1.4. & 876.22.56. & 99.7.12.16.23. & inde. 123.26.30. & 152.25. & 209.15. & 225.2*. & 234.3. & 235.21.34. & 240.35. & 246.20. & 250.18. & 252.29. & 273.11. & 364.1.5.
Ciceronis locus incõsequẽtiæ nomine reprehensus 217.33
Cic. locus restitutus. 194.33 & 202.14. & 224.32. & 233.35. & 234.21. & 235.20. & 258.8

Ciceronis memoriæ lapsus. 203 11
Ciceronis nomina tria, & cuiusmodi singula 9.11
Ciceronis nouitate minus offensum iri, qui ueterum scripta diligẽter inspexerit. 65.10
Ciceronis oratio copiosa & locuples 43.1
de Ciceronis oratione iudicio rum inanitas 55.4
Ciceronis Rhetoricæ de Inuẽtione exordium 83.24
de Oratore præfatio 84.10
Ciceronis scripta ex omniũ ue terum numero sola perfecta & imitatione digna 20.9
Ciceronis scripta tam pauca, quàm extant, ad illã imitandi rationẽ an sufficiãt. 49.14
Ciceronis scriptorum œconomia 114.9
Ciceronis si qua sunt uitia, quo modo cauenda imitaturo 43.16
Ciceronis signorũ quales typi exquirendi ac præparandi. 67.35 & inde 69.6
Ciceronis simium esse præstare, quàm aliorum filium. 128 25
Ciceronis stylũ, totam dicendi artem explicare 106.6
Ciceronis uersificatio cõtra calumniatores defenditur. 55. 35 & inde 56.7
Ciceronis ut quisq; Latinorũ similimus, ita optimus. 36.30
Ciceroni in Græcis uertendis qualis obseruata ratio. 268.21
Ciceronem eloquẽtiæ primas tenuisse 128.26
Ciceronẽ & uerbis & sententijs de Græcis assumptis, Latinum sermonem auxisse. 150 18
Ciceronem Latinæ linguę perfectionis opus sibi iure suo uendicare 36.20
ante Ciceronẽ neminẽ fuisse meliorem poetam 56.3
ad Ciceronem ne etiam in scribenda historia respiciẽdum potius quàm Liuium, Sallustium, Cæsarem? 142.2
Ciceronem solum legendum sequendũq;, quomodo intelligi debeat. 32.14 & 33.2
Ciceronem totum imitaturo, non etiam errata exprimenda 45.14
in Cicerone notati solœcismi. 50 21
à Cicerone nulla institutio impia composita 41.10
à Cicerone quando intermissa philosophiæ studia 10.15
in Cicerone reprehẽsa quædã defenduntur 50.2
à Cicerone tractata, naturalẽ humanæ sapientiæ modum excedere 4.20
in Cicerone uno omnes elocutionis uirtutes propositæ & exhibitę ad imitandũ. 274. 25
Ciceronum cognomentũ unde 9.26
Ciceroniana appellatio 120.20
Ciceroniana compositio à Fabio parum æquè reprehensa 54 8
Ciceroniana copiositas notata 43.15
Ciceroniana imitatio 19.13 & 22.30. etiam à Politiano insidiosè impetita. 128.1. & inde
Ciceronianæ imitationis ratio qualis 120.10
Ciceroniana incus quomodo instituenda, ad noua subinde uocabula cudenda 63.35
Ciceronianæ eloquẽtiæ imitandę ratio 48.12. & inde
Ciceronianæ eloquentiæ uis. 273.5
Ciceronianæ eloquẽtiæ studiũ non ideo deponendũ, quia nullus ferè usus eius uulgò apparet 39.16
Ciceronianæ lectionis usus. 36. 8.16. & 268.35. & 128.18.20
Ciceronianæ orationis præcipuæ figuræ 110.35. & 111.22
Ciceronianę orationis speciem & formam comprehendisse, quãti momẽti res. 36.2. eiusq; usus eadem. 8
Ciceroniana bonitate nihil inueniri melius posse. 25. 35. & 26.1
Ciceronianũ filum quomodo in nouorum uerborũ deductionibus sequendum 64.5
Ciceronianum quid 43.12
Ciceroniana quomodo putanda, etiam quibus nunquam ille usus est 34.19
Ciceroniana scripta non omnino uitijs carere. 46.27. reliquis uniuersis bonitate & perfectione antecellere 48.1
præter Ciceroniana scripta nullum extare perfectæ uetustatis exemplum 137.16
Ciceronianus Desiderij Erasmi 138.2
Ciceroniani in oratione gestus, siue status 88.35
Ciceronianorum librorum frequentationem necessariò dictionis eius familiaritatẽ conciliare 102.3
in Ciceronianis scriptis perfectionem summam contineri. 44.19.35
Ciceronianis nulla alia ueterũ scripta præstantiora 126.30
Ciceronianos libros imitationis ideam esse debere. 22.30. & 24.13
Ciceronitatis fons 82.32
Cleanthei putei 32.1
Cleomedis de mundo libellus. 213.24
Cortesij ad Politiani de Imitatione epistolã responsio grauis 128.1
Coruini de Cicerone iudicium improbandum 55.9
Coruinũ, si Messala est, oppidò fuisse Ciceronianum 55.12
Crantor Academicus 206.26
Crantoris consolatio 261.15 & 165.15
L. Crassi eloquentia 152.14
Croco Britano in Græcis literis præceptore usus Ioachimus 6.12

D

Democriti atomi 163.31. & 164.1. & 168.8
Democriti de animo opinio, 163.29. & 165.23. & 180.5
Democriti de corporis etiam mortui sensu opinio. 228.13. & 232.25
Demosthenes in Græcia eloquentissimus 345.4

Demosthenes Thucydidis studiosus. 49.19. ut septies descripserit. 22
Demosthenis admiranda eloquentiæ uirtus. 40.9. & 152.16
Demosthenis falsæ legationis oratio. 49.27
Demosthenis locus. 51.30
Demosthenis ut quisq; ex Græcis simillimus, ita optimus. 36.30
Dicæarchus Mamertinus. 184.9. & 225.18
Dicæarchi contra animi immortalitem libri tres editi. 163.4. & 164.17. & 179.22. & 186.7. & 221.20.
Diogenis Cynici dictũ. 253.23 & 257.4
Diogenis epistola. 257.5
Doleti de Imitatione furiosum scriptum. 145.18
Donati in notando Cicerone imprudentia. 54.5

E

EMpedoclis de animo sententia. 162.10. & 166.7
Empedcolis uersus. 151.1
Ennij ætas. 14.8. & 15.35
Ennij epitaphium. 171.4
Ennij locus. 153.14. & 168.18,31 & 234.30. & 255.1. & 267.1
Epicharmus Siculus comicus. 160.2
Epicharmi γνώμαι. 143.5. & 158.4.8. & 159.35. & in de
Epicuri de animo opinio. 218.28. & 219.3. de uoluptate dogma. 40.15
Epicuri ratio, de non contemnenda morte. 4.21
Epicurei minimè mali, sed parum acuti. 19.3
Epicureorum de morte animorum opinio. 165.23. & 188.2.15. & 221.17
cũ Epicureis disputatio de morte non metuenda. 4.30
Epicureos fortuitò euenisse omnia tradere. 201.35
D. Erasmus Rotero. aliorũ prauitate ad Imitationis rationẽ improbandã deductus. 137.4
D. Erasmi Ciceronianus. 28.2
D. Erasmi laus. 27.19. & inde. item 137.7. & 146.2.9
D. Erasmi Roterodami mors. 145.24. & 146.30
Erasmicus catalogus. 144.19
Eratosthenis in castigando Homero temeritas. 52.10
Eratosthenis uersus de zonis. 210.28
Euripidis elegans dictũ. 60.10
Euripidis locus. 51.21. & 121.23 & 154.2.5. & 178.14. & 234.22. & 235.25. & 257.33. & 261.9. & 264.34. & 266.9.

F

FAbius aliorum prauitate ad imitationis rationem improbandam deductus. 137.4
Fabius optimus scriptor. 133.12
Fabij de corruptione eloquentiæ quærimonia. 141.27
Fabij de Imitatione sententia. 133.7. & inde. uide Quintilianus.
Fabij de Seneca sententia. 134.16
Fabij locus. 133.20,33. & 134.29 & 135.14. & 136.14.
Fannius Panętij auditor. 227.20

G

GAlenus ad obtrectandũ & iurgandum procliuior. 139.14
Galenus Asiaticus Podalirius. 140.2
Galenus taxatur. 216.21. & 217.1
Galeni libellus de moribus corporis constitutioni consentaneis. 227.13
Galeni liber contra eos, qui orationis absurditatem culparent. 139.15
Galeni locus. 216.26
Gellij locus. 227.21. & 234.12
Gelliana disputatio de manu. (bijs. 93.24

H

HEgesias Cyrenaicus. 231.20
Hegesiæ Cyrenaici de morte disputatio. 228.31. ἀποκαρτερήσεως. 229.5. & 233.35
Heracleti dictum de simia. 129.41
Heraclides Ponticus. 11.17
Herodotus Ioachimo familiaris. 252.7
Herodoti fabellæ pluris faciendæ quàm multorũ seria. 172.2
Herodoti historia. 171.33
Herodoti in Chronicis diligentia. 15.13
Herodoti locus suspectus. 15.19
Herodoti locus. 226.1. & 251.12 24.27. & 252.7. & 256.22. & 258.13. & 264.9. & 265.5. & 266.16
Hesiodus ante Romam conditam. 14.4
Hesiodus' ne an Homerus antiquior. 15.10
Hesiodi de ætatibus uersus Latinitate donati. 226.8
Hesiodi locus. 225.26
Hipparchus mathematicus. 208.19
Hippocratis locus. 4.15
Homerus ante Romam conditam. 14.4
Homerus' ne an Hesiodus antiquior. 15.10
Homerus poetarum pater ac princeps. 173.25
Homeri copia idem non uno uerbo dicendi. 93.10
Homeri locus. 3.3.14. & 39.1. & 51.13. & inde. item 122.20.26. & 124.23. & 194.11. & 203.1.6.20. & 217.25. & 234.28. & 236.21. & 240.1. & 246.13.16. & 247.9. & 249.29. & 256.10,11. & 257.13.14.27
Homeri locus restitutus. 52.7
Homeri νεκυία. 176.32
Homericus Agamemnõ. 124.21
Homericos libros minimè correctos, esse correctissimos. 52.16
Homerum quomodo imitatus Vergilius. 121.11. & 123.1
Homero quare admirabiles uiri, diuini & dijs similes dicantur. 175.24
de Homero Platonis sententia. 131.11
Horatij de Imitatoribus sententia. 127.29
Horatij locus. 2.19. & 52.26. & 68.3. & 166.7.32. & 235.8. & 250.16. & 258.3
Hortensij memoria. 192.8. & 201.10

I

IOachimus Camerarius Herodoti studiosus. 171.33
Ioachimus in Græcorum scriptis cum diligentia uersatus. 150.16

Ioachimus in imitandi ſtudio qua ratione uſus 63.26,28 & inde
Ioachimi de Eraſmo teſtimonium 146.2
Ioachimi Errata.45.30. & 46.4
Ioachimi habitum cum Stibaro colloquium 7.14
Ioachimi in bonas literas à teneris perſequẽdas ſtudium. 6.19.22
Ioach. in Ciceronianis obſeruãdis induſtria.114.31.& 115.27
Ioachimi in Græcis literis præceptor Crocus Britanus 6.12
Ioachimi libellorũ genius.46.5
Ioach. progymnaſmata. 16.15
Ioachimi ſtudiorũ curſus fatali clade interruptus 56.28
Ioachimi ualetudo afflicta.56. 34.& 145.12
Ioachimo ſuas Commẽtationes nunquam ſatis maturas eſſe uideri 8.9
Iſocratis dictum 38.35
Iulius Pflugus ijſdẽ cũ Ioachimo præceptorib.Lipſiæ uſus.
Iulij Pflugi laus.6.16,27.30. (6.11 & 147.4.& 149.22
Iulio Pflugo dicati hi Cõmentariorum in Tuſcul.1.libri.6.4

L

Laelij eloquentia 15.4
Laertij locus 257.9
Laurẽtius Valla notatur.218.17
Lepidi eloquentia 15.6
Liu. Andronicus. 14.7.et 15.29
Liuij locus 183.1
Liuiũ an ſuperare in ſcribenda hiſtoria potuerit Cicero.142.7
Liuianus quatenus fieri aliquis poſsit 141,24.35
Longolij laus 37.8
Luciani locus 224.23
Luciani & cũ 7 contentio 168.2
Lucilij locus 247.6
Lucretij locus.167.29. & 188.18. & 201.36.& 235.4.& 241.1
Lycurgi oratio cõtra Leocratẽ 265.31
Lyſiæ oratio Socrati,ut ea in iudicio ſe defenderet,oblata.223
Lyſidas Pythagoricus.16.21 (29

M

Martiali meritò nõ arriſiſſe Ciceronis uerſus 56.11
Menandri dictum 47.3
Menippeæ molæ 32.1
Meſſalæ ſapientia & eloquentia 55.13
Metrodori Sceptij memoria. 192.8.& 201.9

N

Naeuij ætas 14.9.& 15.36
Nonius Marcellus 258.8

O

Orphei carmina,& eiuſdem ſaxa cãtu attrahẽdi uis.250.
Orpheũ poetã nunquam (12 fuiſſe 250.20
Orphicũ carmen,cerdonis cuiuſdam 250.20
Ouidij locus.210.20.& 215.31. & 216.13.& 240.7.13

P

Pacuuij locus 257.34
Panætius quanti Platonem fecerit 222.19
Panætij ætas 223.7.& 227.17
Panætij auditores 227.19
Panętij de immortalitate animorum ſententia 222.10.15
Pauſaniæ locus 234.27
Petri Moſellani de Cicerone & Liuio iudicium 142.8
Pherecrates Phthiota 163.3.& 166.33
Pherecydes Syrus quo tẽpore uixerit 177.11.& 178.25.27
Pherecydes Syrius ſoluta oratione ſcriptorũ autor. 178.26
Philoſtrati hiſtoria Sophiſtarum 12.33
Picus Platonicus 117.21
Pici de æmulando Cicerone iactatio 44.32
Pici ideç. 116.17. & de imitatione ſentẽtia.ead.25.& inde.117.
Pij ſodalitium 128.17 (21
Pindari locus 122.16.& 195.14
Plato de Polide redẽptus.253.1
Plato non eloquentiæ ſolum, ſed ſapiẽtiæ quoq; autor.120.1
Plato unus pro milibus Atticorum 51.27
Platonis Atlanticus 3.5
Platonis de anima ſententia. 162.31
Platonis de animorum æternitate ſententia.177.25. & 186. 23.& 189.26.& 222.13
Platonis elegans carmen. 16.31
Platonis gybbus 45.16
Platonis ideæ 118.9
Platonis in imitandi ratione cautio 131.7.& 132.8
Platonis liber de animo.164.28
Platonis locus ad uerbũ à Cicerone translatus 247.26.34
Platonis locus.16. 6. & 51. 28. & 68.29. & 131. 7.15. & 132. 27. & 153.20.& 189.17.& 191.7.& 193. 21.& 201.24.27. & 202.4.21. & 217. 12. & 218. 13. & 224. 33. & 225. 6. & 242. 32. & 246. 18. & 246.24.& 250.1. 8.18.& 256.26. & 266.16.
Platonis Phædon.49.26. à Panætio reiectus 200.6
Platonis Protagoras à Cicerone uerſus 68.31
Platonis quãta fuerit apud Ciceronem autoritas 185.17
Platone inferior Ariſtoteles. 163.17.
Platonicę ideæ.191.26.& 200.24
Platonicæ de Imitatione ſentẽtiæ obiectoribus reſpondetur 132.1
Platonicæ diſputationum inſcriptiones 9.35.
Platonicis numeris obſcurius. Prouerb. 166.21
Platonẽ Pythagoreorũ cognoſcendorum gratia in Italiam ueniſſe 177.21
Plautus crebrò uſus homœoteleuto 100.9
Plauti ætas 14.9.& 15.35
Plauti loca aliquot.106.30.& in de.item 40.20. & 53.23.& 65.6. & 121.3.& 154.11.& 165.30.& 166 6. & 235. 36. & 236.3.4. & 242.1. & 257.19.24.& 263.1.& 274.1
Plinij locus.224.23. & 240.26.34
Plautina Terẽtianis neglectiora 54.25
Plutarchi locus ex Arato.29.28. & 31.4
Plutarchi locus.225.34. & 241.3. 21.24.& 251.21. & 252.19.& 264. 12.& 265.17.& 250.32
Politiani de Latinitatis imitatione calumnia 128.1
Pollio Ciceronis calumniator 55.14
Pollucis locus 246.11
Pontani alliteratio 100.24

Pontani iudicium. 54.20
Posidonij sphæra. 202.30
Prisciani locus. 68.31
Proculi descriptio zonarum. 211.20
Prodicus. 12.32
Protagoras. 12.32
Ptolemæi in Homero castigando temeritas. 52.15
Ptolemæi locus. 202.12
PythagorasPherecydis discipulus. 177. 14. quo tempore floruerit. 15
Pythagorę de animo & numero sententia. 162.30
Pythagorę modestia in repellēdo sapientis nomine. 11.9.21
Pythagoreorum nomen. 177.18
Pythagoreorum numeri. 184.7

Q

QVintilianus. uide Fabius.
Quintiliani de legēdis tam recētioribus quàm uetustissimis omnibus sententia. 123.14
Quintiliani in notādo Ciceronе erratum. 53.26.& 54.8

S

SAlustianus quatenus fieri aliquis possit, de eius fragmentis. 141.21.35
Seleuci Grammatici in castigando Homero temeritas. 52.8
Senecę de Imitationis studio iudicium. 54.34
Senecæ locus. 126.22
Senecam multū ab antiquis descendisse. 134.16
Simonidis memoria. 192.5
Socrates nihil affirmare solitus 244.10.& 250.22
Socratęs omniū sapientissimus 223.26
Socrates præstantis uirtutis & sapientiæ uir. 244.17
Socratis cuiusmodi apud Platonem disputationes. 17.16
Socratis de sepeliendo se mortuo dictum. 253.16.& 256.29
Socratis iamiam morituri oratio, de animi immortalitate. 219.17
Socratis in carcere oratio, & apud iudices. 242.32
Socratis in contemnenda morte magnanimitas. 223.23
Socratis libera contumacia. 219.12
Socratis mansuetudo. 175.12
Socratis orationum dissimilitudo. 136.7
Socratis sermo à Panætio reiectus. 200.6
Socratem è cœlo philosophiā deuocasse. 17.12
Socratem fortasse animæ in cœlum migrationem intellexisse, 4.2
Socratica differendi ratio. 18.27
Solonis de morte sua lugenda carmen. 267.4.& 268.19
Solonis dictum. 143.35
Sophoclis locus. 51.22.& 122.23 & 264.33
Statij Synephebi. 170.7
Stoicorum adyta. 239.29
Stoica dumeta ac spineta. 160.12
Stoicorum de animorū immortalitate & mundi interitu sententia. 183.6.9
Stoicorum κατάληψις. 161.29
Stoicorū decempeda. 44.27
Stoicorum de animo sententia. 166.10.& 225.22.& 221.23.& 222.2

Stoicorum

Stoicorum ὑπάρξεις. 225.25
Stoicis animus corporeus, de aere & igni cōpositus. 218.30
Strabonis locus. 213.33.& 251.15

T

TErentius Plautinis diligenter & crebro usus. 66.28.35 & inde
Terentij locus. 46.20.& 52.24 & 53.1.22.& 86.28.31.33. & 96.2. & 98. 35. & 113. 19. & 153. 17. & 166.3.& 251.5.& 257.25
Terentij studiosus Stibarus. 66.25
Terentio familiaris resultatio. 54.26
Terentium eo uehementius amandum, quo plus ei tributum à principe eloquētię Ciceronе uidemus. 66.23
Terentiana eorundem uerborum repetitio. 100.16
Terentiana à Ciceronе usurpata. 56.19.& inde.66.14
Terentiana Plautinis artificiosiora. 54.25
Theocriti locus 240.20
Theodectæ memoria. 192.5
Theodorus Cyrenaicus philosophus.252. 33. ἄθεος ἢ θεός 34
Theodori Cyrenęi philosophi magnanima uox. 245.14
Theognidis locus. 153.29.& 264.29
Thucydidis locus. 266.13
Thucydidis quàm studiosus fuerit Demosthenes. 49.19
Timæus Pythagoricus. 177.23
Tubero Panętij auditor. 227.20

V

VAlerij locus. 234.9.& 246 4.& 253.5.& 262.33.
Varronis scriptorum quàm Ciceronis amplior numerus. 37.16
Vergilius elegantiæ & sonoritatis studiosissimus. 54.18
Vergilius etiā antiquis uerbis usus. 64.32
Vergilius quomodo ueterum scripta imitatus. 120.17.& 121.6.& 122.36
Vergilij locus. 2.3.18.22.& 46 22. & 52.27. & 53.15. & 121. 13. & inde. item 166.122. & 210.12. & 211. 9. & 215. 9. 18. & 218. 17. & 224. 25. & 234. 24. & 235. 14. & 241. 12. & 249. 27. & 256. 12.& 257.14.27.32.& 258.2
Vergiliana resultationis exempla. 54.20
Vergilianæ copiæ exempla. 93.33
Verlerus. 6.13

X

XEnocratis de animo sententia. 162.28
Xenophontis locus. 51.33.& 68. 25. & 216. 20. & 245. 21. & 246.1
Xenophontis Oeconomicus. 13.33

Z

ZEnodonti in Homero castigando temeritas. 52.14

FINIS.



COMMENTARIORVM IO ACHIMI CAMERARII, IN TVSCVLAnam primam, siue de Morte, Liber primus, ad Iulium Pflugum Præpositum Zeizenum.

CVM sæpe ipse mecum tacite quæsiui, ubi quem mihi notorum hominum diem suum obijsse audieram, tum etiam cum amicis, posset ne animo & cogitatione humana modus constitui, quo quis non iam dico ferret molliter amici interitum, sed ipse ad suum intrepide sustinendum paratus redderetur: Hanc curam intendit nuper pestilentiæ malum, quo in metu cum omnibus quasi præsentia quædam mortis obuersaretur, multo quàm antè uehementius me agitari percelliq; sensi. Cum autem ita accepissemus, nihil earum rerũ quæ ad uitam bene feliciterq; degendam pertinerent, à ueteribus sapientibus neglectum esse, placuit illorũ inuenta & placita hac de re diligentius aliquantum excutere, & experiri hæc placandæ mentis remedia. Proposui autẽ mihi omnium tanquam summam & capita quædam, Ciceronis Tusculanam primã, in qua maximo studio Vir ille sapientissimus hoc agit, ut ex philosophiæ præceptis repelleret mortis metum, efficeretq;, ne quis illam horreret: néue sibi, cum illius dies aduenisset, fugiendam esse duceret. Sed tantum abfuit, ut illa anxietatem nostram relaxarint aut sedauerint, ut etiam magis multo perturbati nobis uisi post illius libri lectionẽ fuerimus, quàm antea fuissemus. Nam dilẽma illud, quo potissimum ipse nititur, Aut non remanere sensum mortuis, aut remigrare animam in cœleste suumq; domicilium: quid habet obsecro non modo cõsolationis, sed planè uirium? Vt taceã, euerti posse, si uerè tertium afferri soleat ex sententia Socraticorum, Ad pœnam etiam animas arripi. Sed si nihil est post mortem sensus reliquum, nimirum hoc nomine fas æquumq; fuerit admodum consternari animũ cogitantis, & non penitus dementis hominis,

minis, proposita sempiterna scilicet obliuione earum rerum, quas in uita iucũ
diſſimas habuisset: cumq; ſpecioſiſſimæ lucis et huius diuini luminis aſpectus
eriperetur, ipſaq; clauderentur in æternam lumina noctem, ut Virgilius eccinit. Fuerit igitur hæc conſolatio fortaſſe ſtultorum & miſerorũ, ſua culpa
ac uitio: ut ſi cui longiſs. tempore conflictato cum grauiſſimis cruciatibus coxendicum, eius membri enectio pro remedio ſubijciatur. Tolerabilius enim
ſit, ut opinor, uſu membri carere, quàm ſine fine affligi. Admitteret' ne hoc aũt
ſanus? Recte enim Ariſtippus: qui cum in naui ſedens orta tempeſtate pauitaret, deriſusq; eſſet ab indocto quopiam, qui negaret philoſopho extimeſcendam mortem, tum igitur Ariſtippus: Idco (inquit) fit, quia nõ uenit uterq; no
ſtrum de eadem uita in periculum. In hominis autem, ut dixi, cogitantis animo, quid poſſe ualere uideatur, quod illum aliquis doceat, Immortalem mortem ſempiternam quietem eſſe? Ipſum uero illud ſempiternum, in primis mortis odium excitat. Nam ſic obdormiſcere, non ſolum ut reſurgas nunquam, ſed
planè etiam euaneſcas, cogitationem animi perterret: hoc fugam metumq; incutit, in hoc ſumma caputq; mali continetur. Interire, occidiq;, & buſta ſepulcraq; abominantur: quodq; ſic dicitur,

Quint
Ergo Virgilium perpetuus ſopor Vrget. Itemq;,
Nec regna uini ſortiere talis.

Et quibuſcunq; cum alijs extinctio animantis, peremptioq; uitæ innuitur.
Hæc autem quanto uidentur molliora?

Salue ſancte parens. Et,
Hæc ubi dicta dedit, lacrymantem & multa uolentem
Dicere, deſeruit. Et,
Superis conceſsit ab auris.

Quia nõ extinctos, ſed ablatos: nõ periiſſe, ſed migraſſe defunctos fato uitaq;
ſua in terris ſignificant. Quantos uero plauſus commouent hæc?

Qui per uirtutem perit, non interit. Et,
Quamuis nihil ultra
Neruos atq; cutem morti conceſſerit atræ.

Omnino eſſe quenquam haud exiſtimo, cui non miſerũ uideatur amittere uxorem, liberos, amicos, alia cõmoda: ſic quidem, ut omnes horum ſpe gaudent &
exultant, præſentia iucundiſſime fruũtur. Sed quo maxime delectari homines
ſolent, illo ſi carendum ſit, præcipuam triſtitiã affert, & gratiſſimarũ rerũ
priuatio grauiſs. dolorem complectitur. Quid autem eſt pulchrius, delectabilius, iucundius, intelligentia, conſilio, ratione? Horum uſum fructumq; eripi,

quis

Cic. Bruto 278 Et ẽ dolendũ, in tam graui uulnere, ne ipſum
carere omni ſenſu doloris ſit miſerig q̃ dolere.

quis erit tam inhumanus qui dolendum neget? Quid ego illas uoluptates literarum ac artium, ut etiam de doctis loquar, commemorem? cui non aduerſiſs. eſt, qui Homeri poëſin uſq; ad Hectoris ſepulturam legit, in eo illam loco
finiri? Quis autem unquam ita requiſiuit ullum cantum intermiſſum, ut deſiderant docti id quod reſtat, cum quod de Atlantico Platonis extat pellegerũt?
At adimi in omni doctrina tot tanq; cognitu ſuauium rerum lectionem &
memoriam, quis quæſo cum aliqua uoluptate, ut iſti docere uolunt: ut ego
aio, abſq; acerrimo dolore pati poſsit? Non enim tum cũ mortui erimus, quem
admodum aiunt, hæc triſtia nos affligent: ſed iam cum prouidentur, illam miſeriam & hunc dolorem afferunt cogitantum animis. Futura inquam, præuiſio
ne ſua, reputantium ea ſecum animos fatigant & ſollicitant. Vide enim quantopere Hector affligatur, & perturbetur animo, ijs quæ quidem tum aberãt,
ſed euentura ipſe eſſe ſciret. Sic enim ait:

Nanq; animo, atq; meo ſunt hæc certiſſima corde,
Non procul eſſe diem quo concidat Ilion ingens,
Et Priamus, Priamiq; excelſi copia regni.
Troianis ſed enim quid ſit, Priamoq; futurum,
Quid ũe Hecubæ, aut fratrum turbæ, quæ fortiter omnis
Hoſti obiecta, ferox in puluere cæſa iacebit,
Libera ego non iam formidine mente laboro.
De te uero meum pectus nunc cura fatigat,
Si ſeruam armati Danaum trahet agminis unus,
Plorantem, & penſum ducturam hoſtilibus Argis.
Quæ tum ſorte nurus ſimili miſerabilis inter
Iliadas latices Meſſeidos aut Hyperiæ
Cum ui uicta feres. lacrymantem indignaq; fati
Plorantem mala, forte uidens Argiue uiator,
Scilicet Hectoris eſt, dices, hæc inclyta coniunx:
Qui dum Dardaniam nos bello obſedimus urbem,
Princeps ſanguinea inſtaurabat prælia dextra.
Hæc tum triſtitiam pariet tibi mentio, & omnem
Mœrorem renouabit opis penuria noſtræ.
At me morte tegant obita tellure ſub alta
Buſta, prius noſtras ueniat quàm rumor ad aures,
Plangoriſq; tui fletus, raptusq; querelæ.

Eſt igitur hoc ualde inane & futile, Mortem ideo grauem nõ ducẽdam, quod
unà cum uita ſenſus nobis omnes eripiantur. Illud uero alterum, ſiquidem ipſi

explicare scirent, per magnum & speciosum erat futurum: In cœlum discedere animus nostras. Sed nemo inuentus est, ut opinor, præter fortasse Socratem, qui uerũ esse sibipse, nedum alijs persuasisset: quiq; non optaret magis quàm crederet, hanc ita rem se habere. Nam si non dubitarunt, cur hanc alteram uiam amissionis sensuũ exquisiuere, qua in tuto collocarẽtur? Dubitatio autem unde extitit, nisi de inopia probationum & argumentorum? Quis enim attulit omniũ uerisimilem saltem coniecturã, de æternitate animorum? Multis etiam hoc ualidum fuit uisum, Quæ secundum naturam essent, non esse mala iudicanda. De quo ipsi uiderint, quàm secundũ naturam mors sit, quæ est euersio illius: quaq; omnia esse quod fuerant, desinunt. Quamuis enim natura ita ferat, ut omnia quæ orta sint, occidant: non ideo tamen hoc intellecto, animus dolore & metu interitus liberatur. Quin etiam necessitas ipsa, semper contraria & odiosa esse consueuit. Nisi quis ausit dicere, ne morbos quidem fugiendos, neq; malos esse, quod corporea natura illis obnoxia sit. Quia cum illa ex diuersis rebus constent, ut Hippocrates ostendit, fieri quin morbis excrucientur nequeat. Quapropter non affertur huic morbo timoris ac formidinis à ueteribus medicina, quam pollicentur, ne Cicerone quidem interprete, uel potius autore. à quo tamen quæcunq; inuenta & tractata sunt, ita excellentia esse omnium doctorum iudicio definiuntur, ut naturalem quendam modum humanæ sapientiæ excedere uideantur. Nam Epicuri rationem ridere etiam soleo, qua securitas animorum ponatur in desperatione ultima, & neglectione diuinitatis ac humanitatis. Hæc est enim illius summa, cui ancillari coegit ille naturæ non minus ridiculam & ipsam historiam. Libenter autem debere homines mortem oppetere censet, siue uita iucunda illis fuerit, siue iniucunda. Si iucunda, ut tanquam è conuiuio saturi exurgant, & abeant: sin minus, optate quidem quasi acquiescendum. At quo modo? Tali somno, unde non quisquam expergitus extat,

Frigida quum semel est uitai pausa secuta.

Quantopere opus fuit melle, quo contingerentur pocula, in quibus hæc propinarentur? ad quæ profecto fuerit mellitum absinthium. Sed disputemus paululum cum his quoq;, qui tamen disputandi planè imperiti, nunquam animaduertunt quid dicant. Itaq; nihil minus est consentaneum, quàm horum dicta inter se. Non nos quærimus quid postea futurum sit, Et ut uultis, nihil attinere ad nos credimus. Nihil sensus aderit, tum nihil requiret ur commodi, affliget aduersi. Iam hoc persuasistis: quid amplius quæritis? Sumus hactenus beati. Quid autem efficiet, ut ista omnia certissime futura non exhorreamus, utq; non angamur animis, cũ cogitemus, Nihil erimus,

uita

uita euanescet, corpus consumetur, interibit animus unà, uel hæc dissoluentur sanè in minutiss. quædam corpuscula, quæ propter exilitatem, omnem sensum effugiant. Hæc futura esse liberate nos metu, nũc quidem inquam, dum prospicimus ac timemus futura. At illi nullam aliam consolationem afferunt, quam hanc: Desines esse, nihil sentics. perinde ac si quis condemnato capitis, hoc modo dicat: Ibis sub furca, pendebis, exhalabis in tormentis animam. Quod autem putant firmum esse utrinq;, sicut exposui, sumptum, quàm est fragile? Nam conuerti & in ipsos potest. Cupiunt enim non iniuria, & qui suauiter uixere diutius frui uitæ bonis, & miseri spe melioris uitæ retinentur, ac fouentur. Ita gaudent hac luce utriq;, illas tenebras odere: contra quas aliunde certe petenda antidotus est. non enim habent totius ueteris Philosophiæ cellulæ. Ac peruenit eò quidem illa, ut altius ascendi non potuerit. Sed hoc etiam ipso nocuit, quod res nimium remouendo obscurauit. Vt enim picturæ nimis tenues & subtiles, oculos, cognitionemq; intuentiũ effugiunt: ita illorum quasi nimiũ perfectionis studium, lucem ueritatis non habet. Discedamus igitur ab his hac quidem in parte cupide, & quæramus opem huius mali, ubi inuenire quidem præsentem liceat, si modo uoluerimus. Quod idem & in alijs facere debebimus, in quib. ratio, mensq; nostra, tanquam in tenebris incurrere solet: ut sunt ultima illa, quiq; fines bonorum dicuntur, & uniuersa tractatio rerum diuinarum. Vbi autem hæc inuenientur, ut dixi? In stultitia quadam, & quæ Græcis est ἀνοήσια. Quam si attulerimus ad lectionem & auditionem eius doctrinæ, quæ uere Sanctarum scripturarum perhibetur, instruemur diuinitus uera scientia & cognitione rerum: unde existet in animis nostris pax, securitas, quies, lætitia sempiterna. Sed de his nunc uerba facere, neq; institutum nostrum, neq; locus fert. Reuertor igitur ad ueterum sapientum monumenta, quorum omnium præceptorum quasi summa quædam, ad tollendum leniendumúe mortis metum, inclusa esse in prima Tusculana uiderentur. Quam cum mihi percensendam proposuissem, quis non uidet, quàm ad multorũ scripta & tradita respiciendum nobis fuerit? Neq; enim alium facile inueneris librum, quasi prægnantiorem antiqua doctrina, neq; pleniorem exemplis, nec in historia longius expatiatum. De his autem placuit eum sermonem exponere hoc scripto, quẽ habuissem cũ chariss. mihi homine DANIELO STIBARO, cũ ad eum nuper secessissem, ingruente in ciuitate nostra pestilentiæ malo. Quo tempore, quia sublatis scholis ociosos nos fore intelligebam, collocatis ut sperabam in tuto loco suburbani ruris uxore & liberis, post aliquot sanè

aduersitates, hac excursionis uoluptate recreandum me putaui. Atq; illum quem aiebam sermonem recollectum memoria nostra, & descriptum diligentia ac cura maiore fortasse quàm res ipsa mereretur, tibi mittere placuit IVLI, & quasi consecrare nomini tuo. In qua re à te peto, ut meum iudiciũ atq; factum probare tibi libenter patiare, uel existimationem nostrã de summa humanitate atq; sapientia tua, uel uenerationem & cultum tui, uel etiam opinionem quandam deberi uirtuti tuæ, atq; præstantiæ, testimoniũ aliquod literarum nostrarum, non solum propter communem admirationem cum multis, sed quandam etiam coniũctionem in puerili ætate atq; studio nostrã. Neq; te non libenter illius temporis reminisci, aut pudere nostri puto, quo unà tum primum aduecto Lipsiam literarum Græcarum bono, profitenti Croco, Britano homini, qui esset singulari in opinione scientiæ illarũ, operam dedimus: cũ tu quidẽ fruerere amicitia & usu doctiss. uirorum, VERLERI & AVBANI, populariũ meorũ: ego autem uestro exemplo incitarer magis quidem, quantum recordor, atq; infirmitas ætatis illius uidetur ferre potuisse. Sed tu postea, ad omnia summa natus, curriculum studiorũ feliciss. persecutus eò perueniſti, ut in omni genere laudis primas facile teneas, & quicquid celebratione ullius tributum tibi fuerit, id tua eximia merita longè superatura esse uideantur. Nos autem & ipsi inceptum iter tenuimus, neq; optimarũ artium atq; disciplinarum studia deserere unquam uoluimus, & rectam erga illa uoluntatem contra fortunæ cum blandimenta, tum indignationes custodiuimus. Neq; enim quicquam aliud à pucro instituto atq; imbuto præceptis illarum, magnum mihi, neq; pulchrum uisum: & in hac persuasione cum eis quiduis mali quoq;, si ita cecidisset, subeundum perpetiendũq; potius duxi, quàm desertis illis, in summa quiete & splendiss. fortuna uelle uiuere. Cupiebam etiam profecto, hæc à te in primis cognosci, sapientia & doctrina singulari atq; excellenti prædito atq; exculto. Tum uero illũ locũ, quem ad breuem mentionem STIBARI, postea expressi copiosius, tibi etiam tanquam censori putauimus transmittendum: à quo sciremus hanc etiam partem ueritatis ac elegantiæ sermonis Latini adiectam reliquæ eruditioni & culturæ animi, ad quam non solum nostrorum hominum, sed Italorum quoq; perpauci, aspirare potuissent. Neq; me clam est, quam sit argumentum hoc, in quadam præsertim nouitate, maius atq; grandius, quàm ut nostro quasi stilo componi & explicari pro dignitate sua potuerit. Veruntamen ea mihi res est uisa, ut ab omnibus ad illius defensionem & propugnationem concurrendum esse, neq; mihi cunctandum diutius existimarem.

stimarem, cum diu sanè expectanti nihil ostenderetur ab alijs in hoc genere conscriptum, à quo quidem aut aduersarios huius sententiæ magnopere refelli, aut illam ipsam confirmari cernerem. Et si est ea causse bonitas, ut sese ipsa facile contra quorumuis impetum tueri possit. Quo nos etiam maxime freti, patrocinium illud in conscientia paruitatis nostræ, ingenio modico, usu nullo, cupide suscepimus. Sicq; sumus in hoc uersati, ut confidam te perspecturum, admodum uoluisse nos uincere: neq; ferè nos quicquam, quo uictoria confici posset, fugisse: siq; tanta esset facultas, tantæq; uires meæ, quanta uoluntatis promptitudo, non esse, cur alius præterea quasi ad perorandum adhiberetur. Sed quicquid sit, tu cognosces & quid ponderis habeat: quantumq; ualeat, ipse statues, cui de hoc toto scripto nostro iudicium permittimus, sic quidẽ, ut simul etiam de ingenio & omni eruditione nostra futurum illud esse sentiamus. Sed ad expositionem sermonis nostri cum STIBARO, ut aiebamus, habiti aggrediamur. Ad quem, cum è Norico uenissem, illo tempore, quo dixi, in Francos, atq; is esset me suauiss. complexus: collocuti sumus inter nos primum de nonnullis rebus, quæ ad utrunq; pertinerent. tum deinde, de quibusdam recentibus iniurijs questi, non continuimus nos, quin autores illorum apud præcipuum amicum accusatione nostra quasi ulciscceremur. Quam cum ille me finire passus esset, tum Ego, inquit, in bona spe sum, hoc tempore quo mecum eris (eris autem quàm diu uolueris, & uoles quoad licebit) & uoluptatem me & fructum percepturum ex oratione tua. quare nunc caucre utriq; quidem nostrum lubet, ne recordatione posthac ullius iniuriæ & iniquitatis aliorum, contamines hoc gaudium congressionis nostræ: quod equidem, præsertim omnibus rebus tuis saluis, accepi maximum. Quid igitur, tú ne inquam, mihi uoluptatẽ præcides gaudio tuo? Scio, inquit ille, quam sentias, flendi & lamentandi. Sed præcido omnino, uel mea, uel tua etiam caussa. Nam ut miseriæ indulgentia habet in præsentia nescio quid releuatiunculæ, ita materiam instaurandi mœrores suppeditat. Scio quam rem geras, inquã. Metuis, ne maledicam inimico nostro: hacq; in parte consulis modestiæ, & decori meo. Ergo illum querelis nunc meis planè dimittam, & obliuiscar omnium, tecumq; hos dies aliquot iucunde transigam. Ita cupio, inquit, & uolo te animo uacuo & otioso esse nobiscum, ut tuarum Cõmentationum aliquid nobis exponas. Quid uis audire? inquam. Quicquid tibi, inquit, commemorare libet. Scio enim te non quiescere, sed semper aliquid literarij operis facere. Incoare quidem inquam, & moliri, atq; inter elaborandum plerunq; deficere,

deficere, & defatigari. Sed tamen qua in re alia & exerceam & consumam cogitationes animi, quàm in literis & studijs humanitatis, nõ habeo. Itaq; in his lusiones meæ, ut puerorum istæ picturæ & sculpturæ, meo iudicio nequaquam leues sunt aut futiles. Neq; hic tamen error, siquidem error est, aut exemplo caret maximorum uirorum, aut plus obesse potest, quàm quorundam splendidæ atq; sapientes, ut ipsi putant, rationes. Quid igitur fit, inquit, de illis quæstionibus, cum hilariusculo nomine, quas habet promissas à te, quis autem? non enim nunc in mente est. Quis quis sanè, inquam: rectè fit, matureſcunt. Nunquam tua tibi, inquit, matura satis uidentur: quod ego in uitio pono. At enim quamuis diligenter quasi fouerim, antequã emitterem, tamen nescio quid in illis remanet inquam, quasi acerbitatis. Illæ etiam quæstiones, cupio enim minime negligenter habitas cognosci, pertractãdæ sunt accuratius. Sed ne hæc quidem tales res tempora ferunt. Quin igitur, si omnino audire aliquid è nobis cupis, accipis de Morte cogitationes nostras, quas inter recensendum nuper Tusculanam primam, animus noster sensit, cum mortis quasi conspectu solicitaretur. Optime, inquit ille, fiet. Nam & didicero simul ueterum à te inuentorum aliquid, & tua cognouero. quorum illud, ut scis, soleo facere quoties conuenimus: hoc autem, etiam cum seiuncti sumus, ex literis tuis. Atq; hoc dicto, codicem afferre puerum iubet Ciceronianum. Quo explicato, & demonstrato loco: Lege igitur, inquit ille, ab initio, ut doceat hic nos quæ parum intelligimus: & certius, quid antea sibi inciderit, ad singulas huius scripti occasiones reminiscatur. Tum puer in manus codice sumpto, ita legere exorsus est.

CVM defensionum laboribus, senatorijsq; muneribus aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus, retuli me Brute, te hortante maxime ad ea studia, quæ retenta animo, remissa temporibus, longo interuallo intermissa reuocaui. Et cum omnium artium, quæ ad rectam uiuendi uiam pertinerent, ratio & disciplina studio sapientiæ, quæ Philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi Latinis literis illustrandum putaui.

Atq; hoc loco respirante puero: Nẽpe, inquam, ab initio te legere hic iussit. Ita, inquit ille. Cur igitur, inquã, nõ paruisti? At ille intelligẽs: Quia, inquit, sciebatis iam uos, quem librum essem lecturus: ideo titulum non percensui.

sui. Sed nos te docere inquam uolumus, ut capias præmium laboris tui, inscriptione explicata. Sed mihi, inquam, DANIELE expectandá ne interpellatio tua, quibus de rebus dicam? Minime, inquit ille: Sed tu dices, quæ dicenda uidebuntur. neq; ego sicubi consistere uoluero quasi præterientem, non deero ipse mihi. Hoc igitur, inquam, loco titulum inspiciamus, qui est:

M. T. CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONUM, ad M. Brutum, Liber primus, Qui de contemnenda morte. Hoc autem postremum ab aliquo Grammatico ascriptum puto, de procemio in Secundum librum de Diuinatione. Sed mercedem persoluamus iam puero. hoc enim, si liberali est ingenio, uersabitur alacriore animo in opere. Primumq; nomina autoris consideremus, quæ sunt Romana cõsuetudine tria: unum familiæ & gentis, alterum cognomenti, tertium discriminis. hoc prænomen, illud cognomen appellant, quo proprium familiæ quasi stipatur. Cæterum inter prænomina, MARCI perantiquum est: siue ueteris alicuius & primitiuæ originis, ignotæ nobis: siue à mare, Marcus, uel quasi Mascus: unde & Masculus diminutiua forma, nunc quoq; usitate dicitur. Notum autem, succedere R. literam literæ S. ut in Valesijs, Fusijs: & cum dicimus labos, honos. Non fuerit alienum ostendere, & deductionẽ huius nominis à rustico instrumento Marrarum, unde & Marculæ sunt: ut faciamus Marcum, quasi Marricum. à rebus rusticis autem, notum est Romanos plærosq; appellationes accepisse. Tulliorum familia etiam regia fuit: ipseq; Cicero Seruium Tullium gentilem suum appellat in hoc libro. & alibi per iocum refert, ad M. Tullium patricium quendam Consulẽ cum Ser. Sulpitio, cuius tamen apud Liuium hoc cognomentum legitur, qui Manlius esset. Sed Tullos, unde Tullij sunt, significare ueteri lingua nescio quid quasi eruptionis, riuorumq; aquæ, tradunt. Ciceronum quidem cognomentum à legumine factum apparet, ut Fabiorum, Pisonum, Lentulorum. Non desunt qui scribant, uerrucam, quæ in ore ut cicercula extitisset, cognomentum hoc addidisse ei qui primus ex hac familia ita fuerit appellatus. TVSCVLANAE autem quæstiones nomen inuenere, à uilla Tusculana quõdam Syllæ, tum quidem Ciceronis, ubi essent uel fingerentur habitæ. Villa ea fuit in agro suburbano, qua admodum se delectatum ipse multis in locis significat. Sed hoc factum est exemplo poëtarum, qui fabulis suis indere nomina soliti essent, aut à personis (ex eo genere est Ciceronis Cato, uel de Senectute:) quo genere, quaq; explicatione fuerat multum antè Plato usus. aut à re, ut sunt Academicæ: quanquam hanc quoq; appellationem à loco ductam recte accepimus.

ceperimus, uillæ Puteolanæ cognominis, quam Academiam uocaret Cicero.) aut à loco, ut Tusculanæ. Sed DEFENSIONVM LABORIBVS, cur dixit? an Oratoris non & accusationes sunt? quibus & Cicero certe est usus cum in Verrem, tum Catilinam & Pisonem, & postea M. Antonium. Nam munera senatoria hæc sunt: Sententiæ dictio, præscriptio autoritatis & nominis in senatusconsulto, censere, decernere, quæ tum regno Cæsaris impediebantur. Sed defensiones intelligendæ sunt, grauitati boni uiri & amori erga ciues suos conuenire: (unde & Patronorũ nomẽ Oratoribus inditum.) accusationes autem facere, leuitatis esse. sicut & Cicero noster hoc ipsum uitio uertit Bruto cuidam, in catalogo Oratorum: & in Verrem dicturus, magna cum cura amoliri studet reprehensionem accusationis. Neq; adeò accusationem eam, sed defensionem uideri uult: cum in Verris damnatione reipub. commodum, & salus sociorum uersetur. Similiter & in Catilinam ac Antonium rempub. capessens, intulit sese: & se propugnans, in Pisonem inuectus est. Intermissa autem studia Philosophiæ à Cicerone fuere his temporibus, quibus è philosophorum scholis ad rempub. gerendam se contulit. sicut ipse fatetur, se oratorem, si modo sit, aut etiam quicunq; sit, non ex Rhetorũ officinis, sed ex Academiæ spacijs extitisse. Cæterũ hoc prooemium singulari est artificio compositum. In quo, quod factu est difficile, sine arrogantiæ suspicione cõmemorat laudes suas. Quid enim glorioſius, quàm quo solo nondum cederent Græci Latinis, idipsum Cicerone duce esse obtentum & acquisitum? At quale hoc fuerat? fortasse paruum & exile. Immo uero ita magnum, itaq; excellens, ut non in terris natum, sed cœlo demissum: non humanum, sed diuinum putaretur. Ne cuius autem alterius hæc potius laus credi posſit, eleuat existimationem in philosophia omnium scriptorum ad illud usq; tempus, quæ quidem essent ferè Epicurea. His dictis, fortasse uerbosior sum inquam, atq; tu uelis. Verbosus tu? inquit. cui ut plura dicturo, quod animaduertere potuisti, quasi inhiabam. Requiris igitur aliquid? inquã. Nihil magnopere, inquit: nisi breuem mentionẽ de Philosophia, & huius ratione ac partibus. Ergo sapientiam unde Latini fecerint, hacq; illos uoce interpretatos esse, quæ Græcis Σοφία diceretur, manifestum est. Fuit autem utriusq; significatio apud ueteres, non ut postea doctrinæ eruditionisq; litterariæ, sed ingenij calliditatis, intelligentiæ: quiq; præcellere reliquis acrimonia quadam naturali uiderentur, ij sapientes habiti. Declarabatur autem illa tantum, nondum proditis neq; excultis artibus ac disciplinis, cum in rerum difficilium explicatione, tum in deliberationibus, subitis aptisq; consilijs, &

4. Munera senatoria.

Sapientia. σοφία

& sententiarum dubiarum, dictorum obscurorum interpretatione, nec non comprehensione uerborum acuta & diserta: in qua esset, quod aliorum cognitionem uel exercere, uel etiam instruere posset. Itaq; illi Oedipi, & Medeæ, sapientiæ laude celebrantur. Postea increscente doctrinæ eruditione, qui illa præstarẽt, maxime sapientes perhibebantur. Hoc nomẽ una ætate quasi propriũ uendicauere sibi in Græcia ij, qui Septem sapientes dicti sunt. Illosq; nõ longiß. interuallo, (non enim multo plus una ætate, quanquã uulgata Chronica aliter tradant), interceßit Pythagoras: ut opinor, æquauit doctrina, modestia uicit: & nõ minore in opinione sapientiæ appellationẽ repulit, & studiũ sibi, nõ profeßionem illius cognomento assumpsit. Hoc Cicero copioſe expoſuit in Quinta Tusculana. Lubet audire, inquit, quibus uerbis. Demonstrato igitur loco, iussoq; legere puero, paulisper obticui.

A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerũ cõtemplatione studia ponebant, sapientes & habebantur & nominabantur. Idq; eorum nomen usq; ad Pythagoræ manauit ætatem: quem, ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, uir doctus in primis, Phliuntem ferunt uenisse, eumq; cum Leonte principe Phliasiorum doctè & copioſe disseruisse quædam. Cuius ingenium & eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsiuisse ex eo, qua maximè arte confideret? At illum, artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum. Admiratum Leontem nouitate nominis, quæsisse, qui nam essent philosophi, & quid inter eos & reliquos interesset? Pythagoram autem respondisse: Similem sibi uideri uitam hominũ, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alij corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alij emendi aut uendendi quæstu & lucro ducerentur: esse aũt quoddam genus eorum, idq; uel maxime ingenuũ, qui nec plausum nec lucrum quærerent, sed uisendi causſa uenirent, studioseq; perspicerent quid ageretur, & quo

modo: Ita nos quasi in mercatus quadam celebritate, ex urbe aliqua, sic in hanc uitam ex alia uita & natura profectos, alios gloriæ seruire, alios pecuniæ: raros esse quosdam, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intuerentur. hos se appellare sapientiæ studiosos: id est enim philosophos. Et ut illic liberalissimum esset, spectare nihil sibi acquirentem: sic in uita, longe omnibus studijs contemplationem rerum cognitionemq; præstare.

His perlectis, Hactenus inquam. & reticente puero: Quid mercatus, inquit STIBARVS, est ille, qui habetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate? Olympia, inquam ego, significari non intelligis? Mercatus autẽ nomen transtulit de Græco πανηγύρεως. Annotaui enim Græcè expositum hunc locum, sed breuissimè & angustissimè. Ciceronis autem, quàm est spaciosus & patens? de quo quidem toto genere alibi fortasse cognoscentur rationes nostræ. nunc persequamur reliqua. Igitur postea, ut fit, ubi aliqua res incrementum facere cepit, auctus fuit philosophorum numerus, quic quid enim doctrinæ eruditionem complecteretur, Philosophiæ nomine appellatum est: donec ex Socraticis disputationibus exiere quasi examina quædã philosophorum. Tum ipsa res in partes scissa, & sectæ primum nominari cœptæ: & diuersitas dogmatum, quæ Cicero decreta interpretatur, inuecta: philosophiæq; ipsius, in qua esset omnis doctrinæ eruditio, per partes explicatio prolata est. quarum una naturæ contineret tractationem, φυσικήν q; diceretur: altera rerum expetendarum & fugiendarum, ἠθικήν: tertia sermonis, λογικήν. His generibus omnes artes, doctrina, literæ, ratioq; & uia inclusa fuit: nihilq; est omnino de quo dici, scribi, quodue doceri aut explicari possit, quin horum sub genus aliquod cadat. Hinc & qui huius quasi artificij professores essent, Σοφισταὶ dicti, ut πλαστουργοὶ, λογισταὶ, qui tanquam opificium quoddam sapientiæ facere uiderentur. uel qui, ut Cicero in Academicis ait, ostentationis aut quæstus caussa philosopharentur. ut ueterum Gorgias, Protagoras, Prodicus: posteriorum innumerabiles, quorum multorum historiã Philostratus collegit. Hic tamen uerbi recentior usus uidetur. nam ueteres etiam Σοφιστὰς dixere, quos uere sapientes esse crederent. fuitq; appellatio planè laudis: itaq; poëtarum fuit, hominum sapientissimorum. Sed nunc reuertamur ad lectionem. Iussus igitur tum puer, ita perrexit legere.

Non

Non quia Philosophia Græcis & literis et doctoribꝰ percipi non posset: sed meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapientius quàm Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent in quibus elaborarent. Nam mores & instituta uitæ, resq; domesticas ac familiares, nos profecto & melius tuemur & lautius. Rem uero pubꝰ nostri maiores certe melioribus temperarunt & institutis & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum uirtute nostri multum ualuerunt, tum plus etiam disciplina. Iam illa quæ natura, non literis assecuti sunt, neq; cum Græcia, neq; ulla cum gente sunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere uirtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda?

Hoc est (cũ puer nutu nostro admonitus tacuisset) eximiũ inquã, copiosæ et elegantis oratiõis exemplũ. quò pertinet & sequẽs illa distributio, qua docet particulatim uerum esse, quod dixerat, aut inuenisse, aut fecisse inuenta meliora Latinos. Et nunc quidem aliter defendit hanc caussam, quàm in procemio Libr. de Finib. & quidem, ut uidetur, splendidius: quorũ collationem & exquisitionem uolo tuis studijs relinquere. Recte, inquit ille, facis. Sed expone nobis huius loci aliquot uoces, ut Institutorũ, morum, rerum domesticarum. Quomodo, inquam, potero melius quàm Græce? Quid ni? inquit. Sunt igitur Instituta, quæ quodam hominum consensu tacito, longo usu, & consuetudine diuturna inualuere, ut legum uim obtinuerint, qui & νόμοι ἄγραφοι uocantur, à Græcis ἔθη. Morum autem quæ his quasi conformantur, inde etiam ἤθη dixere. Leges autem sunt planè νόμοι, exquisita quædam rectæ rationis præscriptio, quasi ἐκ τοῦ διανομὴν, ut Platoni uisum est. Res domestica, οἰκονομία, quæ & familiaris. ita enim ultimum librum Xenophontis, ἀπομνημονευμάτων, qui οἰκονομικὸς inscribitur, Cicero in Latina lingua nominauit: id est, de tuenda re familiari. Disciplina, παιδεία est. Illas autem uirtutes, quarum nomina posuit, admirabili quadam excellentia eluxisse in priscis & rudibus illis artium Græcarũ Romanis, historijs est uulgatius, quàm ut nunc memorandum sit. Legat igitur amplius puer.

Doctrina Græcia nos, & omni literarũ genere ſupe
rabat, in quo erat facile uincere, non repugnantes. Nã
cum apud Græcos antiquiſs. è doctis genus ſit Poeta-
rum, ſiquidem Homerus fuit & Heſiodus ante Ro-
mam conditam, Archilochus regnante Romulo, ſeri
us poeticam nos accepimus. Annis ferè CCCCX.
poſt Romam conditam, Liuius fabulã dedit, C. Clau
dio Cæci F. M. Tuditano Coss. anno ante natũ En-
nium, qui fuit maior natu cũ Plautus & Næuius. Sero
igitur à noſtris Poetę uel cogniti, uel recepti. Quanq̃ 10
eſt in Originibus, ſolitos eſſe in epulis canere conuiuas
ad tibicinem, de clarorum hominum uirtutibus. Ho-
norem tamen huic generi non fuiſſe, declarat oratio
Catonis, in qua obiecit ut probrũ, M. Nobiliori, quod
in prouinciam Poetas duxiſſet. duxerat autẽ Conſul
ille in Aetoliam, ut ſcimus, Ennium. Quo minus igi-
tur honoris erat Poetis, eo minora ſtudia fuerunt. Nec
tamen ſi qui magnis ingenijs in eo genere extiterũt, nõ
ſatis Græcorum gloriæ reſponderunt. An cenſemus,
ſi Fabio nobiliſſimo homini laudi datum eſſet quod 20
pingeret, non multos etiam apud nos futuros Poly-
gnotos & Parrhaſios fuiſſe? Honos alit artes, omneſq̃
incenduntur ad ſtudia gloria: iacentq̃ ea ſemper, quę
apud quosq̃ improbantur. Summam eruditionem
Græci ſitam cenſebant in neruorum uocumq̃ canti-
bus. Igitur & Epaminondas princeps (meo iudicio)
Græciæ, fidibus præclare cecinisſe dicitur: Themiſto-
clesq̃ aliquot ante annos, cum in epulis recuſaſſet ly-
ram, eſt habitus indoctior. Ergo in Græcia muſici flo 30
ruerunt, diſcebantq̃ id omnes: nec qui neſciebat, ſa-
tis excultus doctrina putabatur. In ſummo apud illos
honore Geometria fuit. Itaq̃ nihil Mathematicis illu-
ſtrius. At nos metiẽdi ratiocinãdiq̃ utilitate inſpecta,

huius

huius artis terminauimus modum. At contrà, Orato-
rem celeriter complexi ſumus: nec eum primo erudi-
tum, aptum tamen ad dicendum, pòſt autem eruditũ.
Nam Galbam, Africanum, Lælium, doctos fuiſſe tra
ditum eſt: ſtudioſum autẽ eum, qui iis ætate anteibat,
Catonem: pòſt uero Lepidum, Carbonẽ, Gracchos:
deinde ita magnos noſtram ad ætatem, ut non multũ,
aut nihil omnino Græcis cederetur.

Hic ego, Explicabo inquam, in his quæ lecta, ſi qua uidebitur: itaq̃ facia
deinceps quoq̃. Primum autẽ ſcies, non omnes de ætate Homeri & Heſiodi
idem tradidiſſe. Cicero multis antè Heſiodum ſeculis fuiſſe Homerum puta-
uit. Aliqui, eodem tempore aliquo ſimul uixiſſe: à qua opinione non abeſt
Herodotus, ſcriptor diligens in Chronicis. nam quod ad hiſtoriam quidem at
tinet, ego huius mendaciola multorum ueritati anteponere non dubitaue-
rim. Dicit autem, ab illorum ad ſua uſq̃ tempora fluxiſſe annos circiter qua
dringentos, totidemq̃ ad ipſos à Troiano bello. Ita inuenientur minus anti-
qui, quàm aliqui fecere, tradentes fuiſſe poſt bellum Troianum annis ampli-
us CLX, neq̃ diu antè quàm urbs Roma condita fuerit. Sed ut uerum fate-
ar, ſcriptura illo in loco Herodoti mihi ſuſpecta eſt. Archilochum autẽ, quẽ
hoc loco Cicero ſcribit fuiſſe regnante Romulo, Herodotus tradit ijs tempo-
ribus uixiſſe, quibus Gyges interfecto domino ſuo, Regina regnoq̃ Ly-
diæ potitus ſit: feciſſeq̃ illum eius facinoris in Iambico quodam carmine men
tionem. cui tempori ſi uere Olympias XX. aſcribitur, ſenem tum Archilo-
chum fuiſſe neceſſe eſt, cum Romulum natum anno primo Olympiadis ſecun
dæ acceperimus. Sed eſt omnino in his rebus tanta confuſio, ut ueterum ne-
gligentiæ ſæpe ſuccenſeam. non enim omnis culpa in corruptionem ſcripto-
rum conferri poteſt. Quid autem mirum, ſi illa priſca inuoluta ſunt incerti-
tudine aliqua? cum penè dixerim heri & nudiuſtertius res geſtæ, & tempo
ra minime antiqua ignorentur. Liuium Andronicum eiuſdem nominis hiſto-
cus ſcribit, carmen compoſuiſſe, quod uirgines per urbem decantarint, Ne-
rone & Salinatore Coss. anno P. R. C. Quingenteſimo, & aliquot mi-
nus quadrageſimo. facitq̃ hos Coss. qui à Cicerone nominantur, illos ſequi
annis pluribus XX. Sed ipſe Cicero ait in Bruto, hæc tum adeo fuiſſe tem-
pora aliter ab alijs notata: ut nobis ueritatis exquiſitio deſperanda eſſe ui-
deatur. Quod autem nunc Ennium ait, natu maiorem fuiſſe quàm Plautum
& Næuium: ſciendum, diſcrepare ab eo loco, quo in Bruto à Næuio uel ſum

Pugnanter in Cicerone

piſſe

pſisse multa uel surripuisse Ennium scribit. Ex his enim intelligitur, facere antiquiorem eum Næuium, alia uidelicet secutum temporum scripta: ut fortè Varronis, qui ut auditum est, uitam Næuij produceret longius. Sequuntur nomina duorum pictorum. quorum prius in statuarij deprauatum legitur in uulgatis codicibus. id factum arbitror affinitate appellationum. Illam autem sententiam, HONORE ALI ARTES, ex Platonis libro de Republica VIII transtulit. sic autem ille: Ἀσκεῖται δὴ τὸ λεγόμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. Egregie, inquit STIBARVS, hoc translatum, & luculentè. Non in uerbis hæsit inquam, retulitq; elegantiß. quod ille dixerat, alio tamen quodam modo. Sed ne quis interpretatum cum Platonem hoc loco neget, indicabimus eandem paulo post rationem, in quibus interpretatio negari neutiquam potest. Voloq; tibi ac studioſis omnibus commendatiſſimas esse, collationes tales Græcorum & Latinorum: quæ fruſtulatim nobis colligenda sunt, quia tota & integra nulla extant. Itaq; in hoc, inquit, copioſiſs. sunt Progymnaſmata tua, quæ quando tamen edes? Propediem, inquam: sed hoc agamus. IN EPVLIS dixit, pro in conuiuio. Muſicæ autẽ tantum tribuere ueterum inſtituta, & ſapientum literæ, ut huius corruptione euerti ciuitatum felicem ſtatum arbitrarentur. Sed Epaminondas Thebanus fuit, quo duce ſeruilis penè ciuitas, inuictas Lacedæmoniorum ad illud tempus copias fudit, fugauit, cecîdit. Tantum potuit unius uiri uirtus. Quo interfecto, retro etiam fortuna Thebanorum ceſsit. Hic audiuit Lyſidem Pythagoricum, cum Thebas uenisſet ijs temporibus, quibus in magna Græcia illa ſecta, ſumma flagrabat inuidia. Cuius domus optima diſciplina inſtructus Philippus Macedonum rex, qui Thebis obſes detineretur, magnum adiumentũ habuiſſe ad res præclare gerendas creditur. Quæ autem de Lyra & fidibus in epulis dicuntur, referenda ſunt ad morem ueterum accinendorum carminum, quæ σκόλια dicerentur: ſiue quod quiſq; non ordine lyram alteri, ſed cui uoluiſſet, traderet: ſeu quia remotis menſis, lectuli ad obliquum quendã ſitum ponerentur: ſeu etiam alia ſanè de cauſſa. neq; enim inter Græcos conuenit. Breues autem erant & rotundi uerſus, ut est hoc: ὄφελες ὄλυφλὲ πλοῦτε μήτ' ἐν γῇ, μήτ' ἐν θαλάσσῃ, μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆμεναι, ἀλλὰ τάρταρον ναίειν κακίστοντα. σοὶ γὰρ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά. Et illud apud Platonem, ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστι. τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν γενέσθαι. τρίτον δὲ, πλουτεῖν ἀδόλως. Itemq; Ariſtoteles, ἀριστα πάλαι μοχθοῦ γένει βροτείῳ θήραμα καλλιστον βίῳ. Themiſtoclis nomen est notiſsimum cuius uirtute & conſilijs Perſis nauali prælio uictis, rex Xerxes Græcia excesſit. Geometriæ uocabulo ſignificatur telluris menſio. inuentamq; hanc artem

artem in Aegypto, Herodotus putat peruenisſe ad Græcos. Sed terræ menſurationem, id est ſpaciorum nomina & rationem, γεωλωσίαν proprie nominant. ut Geometriæ ſit, contemplatio ueritatis, quæ demonſtretur de certis quibuſdam poſitis, conceſsiſq; principijs. Hæc uero ſola intelligentia animi cõſtant: Itaq; & ab Epicureis, referentibus omnia ad ſenſus, irriſa ſunt. Figuras autem tractat, id est ſchemata. nam numerorum ars ἀριθμητικὴ proprie dicitur, quatenus quidem hi per ſe conſiderantur. Nam ſi componantur, conferanturq; ſecum, Muſicæ ſubijciuntur. ſicut cum figuræ in motu explicantur, aſtronomiam eam artem nominamus. Hæ autem omnes uno nomine μαθήματα dicuntur, & μαθηματικὴ quo ſignificatur diſciplina. quia ſola ab antiquis hæc tractabantur, & doctrinæ opinionem retinebant: figuræ inquam, numeri, motus interualla, magnitudines, & ſiderum curſus. Donec Socrates philoſophiam, ut Cicero ait, deuocauit è cœlo, & in urbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de uita & moribus, rebusq; bonis & malis quærere. Quare illas naturales & cœleſtes diſputationes, in quas à Platone introducitur, illius minime uideri debere uolunt: citantes teſtem Xenophontem, qui negat Socratem naturam uniuerſitatis, quod alij ſapientiæ profeſſores facerent, neq; mundi originem, rerumúe cœleſtium cauſſas exquiſiuiſſe ſermonibus ſuis: quin etiam conuiciſſe ſtulticiæ eos, qui talibus curis implicarentur. Ad ea uero quæ de Oratoribus Latinis hic perſtringuntur, ſi uidebitur, aſſumes copioſiorem tractatum Bruti. Admonitum tamen te uolo, Carbonem legendum mihi uideri, non Catonem: quod & BEROALDVM memini annotare. Cum autem his dictis, me tacente, nihil ne STIBARVS quidem præterea interrogaret, ſenſit puer, lectionem ſibi proſequendam: neq; expectans imperium, ita reliqua ſubtexuit.

Philoſophia latuit uſq; ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum, quæ illuſtranda & excitanda nobis est, ut ſi occupati profuimus aliquid ciuibus noſtris, proſimus etiam, ſi poſſumus ociosi. In quo eo magis nobis est elaborandũ, quod multi iam esse Latini libri dicuntur, ſcripti incõſiderate ab optimis illis quidem uiris, ſed non ſatis eruditis. Fieri autem poteſt, ut rectè quis ſentiat, & id quod ſentit polite eloqui non poſsit. Sed mandare quenq; literis ſuas cogitationes, qui eas nec diſponere nec illuſtrare poſ-

sit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & ocio & literis. Itaq; suos libros ipsi legunt cum suis: nec quisq̃ attingit præter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti uolunt. Quare si aliquid oratoriæ laudi nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiæ fontes aperiemus, è quibus etiam illa manabant. Sed ut Aristoteles uir summo ingenio, scientiæ copia, cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam cœpit, adolescentes docere, & prudentiam cum eloquentia iũgere: sic nobis placet, nec pristinum dicendi studium deponere, & in hac maiore & uberiore arte uersari. Hanc etiam perfectam philosophiam semper iudicaui, quæ de maximis quæstionibus copiose posset ornateq; dicere. In quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus, ut iam etiam scholas Græcorũ more habere auderemus. Vt nuper tuum post discessum in Tusculano, cum essent complures mecum familiares, tentaui, quid in eo genere possem. Vt enim antea declamitabam caussas, quod nemo me diutius fecit: sic hæc mihi nunc senilis est declamatio. ponere iubebam, de quo quis audire uellet: ac id aut sedens, aut ambulans disputabam. Itaq; dierum quinq; scholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat aũt ita, ut cum is qui audire uellet, dixisset quid sibi uideretur: tum ego contrâ dicerem. Hæc est enim, ut scis, uetus & Socratica ratio, contra alterius opinionem disserendi. Nam ita facillime, quid ueri simillimum esset, inueniri posse Socrates arbitrabatur. Sed quo commodius disputationes nostræ explicentur, sic eas exponã, quasi narretur. Ergo ita nascetur exordium.

Hic ego: Plana, ut opinor, in his sunt omnia, inquam, nisi quos uiros optimos uocet, sed non satis eruditos, forte dubitas. Nam illud, NON HA

buit

BVIT LVMEN LITERARVM, *significat defuisse philosophiæ eloquentiam. Epicuri uero æmuli hoc loco notantur, quos & alibi dicit minime malos, sed parum acutos esse. Iam Aristotelis hoc notum est,* αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν. *quem uersum de Tragœdia in illum Rhetorem intorserit. Sequitur figura sermonis inusitatiuscula,* IN QVAM EXERCITATIONEM OPERAM DEDIMVS. *Simile autem est, uel quod dicimus, Dare nomen in militiam: uel, quod magis placet, in potestatem esse, & in honorem, & in discrimen uersari. de quibus dubitanti tibi* DANIELE, *aliquando copiose exposuimus sententiam nostram. Memini, inquit: & quidem nuper, cum te in eũdem sermonem deduxissem, præsentibus aliquot amicis nostris, iucundissima fuit mentio quædã habita à te, de toto genere Ciceronianæ imitationis. Sed quia subito tũ inde quasi resiliebas, de industria an fortuito dicam nescio, fit ut adhuc permulta quidem requirã.*

DE IMITATIONE.

Omnino de industria, inquam. neq; enim ferenda erat executio harum rerũ illo tempore: & uitabam ijs de rebus, ijsq; præsentibus, longam disputationẽ, ne, ut nunc sunt homines, in maleuolentiæ suspicionem incurrerem. Quin igitur nunc, inquit, exples desiderium meum, conueniente & in argumento, & loco libero. Quod' nam illud? inquam. Cognoscendi scilicet, quid statuas de hac tota ratione sermonis antiqui, quatenus parum ille cum hodierno usu congruit, & quatenus huius autores, quosq; ipsorum potissimum sequendos existimes. Apage, inquam: in quas difficultates inducis orationem nostram, ex hac plana uia, quam ingressi sumus? nam uidere omnino aliquid uelle audire nouum. Nisi enim uellem, inquit, habebam quos consulerem. Nos uero nihil habemus, inquam, noui. Quare ad illos abeas suadeo. Sed utros? inquit. Scimus enim duas contra se partes constitisse: & notum dissidium est. Hoc uero difficillimũ, inquam, decernere est. Si tamen omnino de iudicio meo reddi certior cupis, scito me planè cum ijs facere, quos constet post diligentiorem curam, & studium ardentius, & magis assiduum usum ueræ Latinitatis demonstrasse, & alijs directum iter, quo ipsi ad nonnullam laudem orationis bonæ & elegantis in hac lingua peruenissent. Ex quorum numero primas tribuo P. BEMBO, *cuius hac de re extat epistola ualde luculenta. Accessit enim proximè ad ueteres, quorum orationi illius oratio simillima est, quo certius de re nota perspectaq; sibi disserere eum putandum. Sed hæc, inquit ille, & legi, & relegam sæpius. Nunc uero te audire cupio. primumq; hoc uelim edisseras, quid sit quod placere tibi tantopere in* BEMBO *ais similitudinem ueterum. Cupio enim, ut aiebam, te audire de hoc po-*

PETRVS Bembus.

 tissimum

tißimũ dißerentem. & exiſtimo tamen neminem eſſe, qui non ad illos in uſu latinitatis reſpiciat, uel potius neceßitate adigatur. Fortaſſe aliqui ſunt, inquam .certe qui ſibi ſtudium huius placere pernegarent, inuenti ſunt: uerò ne an falsò, ipſi uiderint. Quid igitur inquit, eſt cur uellent nos iſti fallere?

Quia maiorẽ laudem ingenij pleriq; inquam ſperant, ſi qua in parte doctrinæ ipſi ſua ſponte & ſuo marte progreßi aliquouſq; exiſtimentur, cum aliorum inſtructio nihil de gloria tanquam præmio laboris atq; induſtriæ deterrat. Sed à nobis, rectè enim quæris, hac appellatione uetuſtatis Ciceronem de ſignari ſcito. Huius enim ſolius ſcripta ex omnium ueterum numero ea ſunt perfectionis præſtantia, ut ad nulla aliorum te imitatione tua componere debeas: ita etiam ſingulari conditione, ut in ſpe eloquentiæ ad alia nulla reſpicere poßis. Quo quidem loco, quandoquidem huc appellimur quaſi uento quodam uoluntatis tuæ, ante omnia de imitatione aliquid afferendum in medium eſt. Quæ autem contra hanc dici ſolent, uel omittemus, uel differemus.

De hoc, inquit, ages, ut reliquis, meo arbitratu: cũ liceat mihi, ſi quid requiram, à te poſcere. Nunc uero quod propoſuiſti, proſequere. Hic ego: Laudari, inquam, à me neceſſariam imitandi rationem ſuperuacaneum eſſe arbitror. niſi ita uelim, ut illa conſueuimus, quæ in neceßitate egregie facta animaduertimus. An tu enim laudandum putes ædificium, ad normam & amußim ac perpendiculum exactũ? aut qui aliter faciat, fabrum eſſe dixeris? Non igitur factum ipſum huiuſmodi in rebus approbatione hominũ commendatur, ſed diligentia, attentio, ſedulitas: qua fit, ut meliora pulchrioráq; omnia efficiantur. Quid autem eſt uſpiam locorum ac gentium, in quo elaborando non imitari aliquos, non reſpicere animo oculisq; ad ſimilitudinem & exemplum quoppiam neceſſe eſſe uideatur? Quin etiam ſic ſe res habet, ut nihil in uita neq; recte fieri, neq; ſecus appareat, absq; imitatione. Quid attinet enumerare ſingula, cum in uniuerſis quod dico uerum eſſe manifeſtiß. ſit? Omnes artes, actiones, mores, deniq; dicta, factaq; aliquo cum exemplo congruunt. Quis eſt enim peritus ullius rei, natus, non factus? factus autem quomodo? per quietem ac ſomnum? Non, ut opinor: ſed ſtudio, cogitatione, uſu, quæ certe inuentorum & uſurpatorum ab alijs antea eſſe conſtat. Quæcunq; ſunt genera uitæ, quæ aliquis unquam ingredienda ſibi putauit, in his uiæ ducem circumſpicit. Nemo etiam in ſcelere atq; flagitijs non exemplum aliquod animo ſuo intuetur. Nullum eſt tam humile opificium, in quo magiſtrum ſibi ſequendum, qui exercere uelit, non proponat. Sed in hoc eſt uulgo magna, ut ubiq; inertia deſidiáq;. Nõ ferè quicquã ſtudioſè & induſtriè, ſed

ſed imprudenter, temerè, inconſtanter faciunt omnia. In utranq; autem partem, uitijs inquam ac uirtutibus excellentes magniq; ſunt, qui certos quos ſequerentur ſibi delegerunt, quorum ueſtigijs non quidem inſiſtant, ſed deducantur. Qui autem ignauiores ſunt, neq; oculos neq; animum in ullos defigunt, nihil magnopere quod admirabile inſigneq; ſit uel uirtutis uel ſceleris nomine, deſignare ac edere comperiuntur. Ridemus iſtos parietinarum pictores: qui cum Diuorum alicuius capiti lucentem orbiculum circundedere, & implicuerunt palliolum, & impoſuere in manus aliquid quo indicetur genus necis, omnia præſtitiſſe credunt. At DVRERI & LVCAE, in conuenientia membrorum, colorum pulchritudine, ſtatu, geſtu, formæ uenuſtate, omnium etiam minimarum partium decore, elaborandum ſibi ſemper putarunt. Neq; tamen non utriq; aliquos imitantur. audimus enim utrosq; etiam nominatim dicere, quibus magiſtris in arte ſua uſi ſint. Illi quidem cemẽtarium aliquem, aut picturam ueteris ædis commemorant: hi Montagnanos, & Belinos, & illas aliorum perfectiß. picturarum chartas, & fragmẽta antiquitatis. Meminiſti DANIELE, cum iſte ueſtras morio Craſtelius uiueret, quàm multos habuerit ſectatores: Cuius qui nunc quoq; magnipendi ridicula ſua cupiunt, multam tanquam Doctoris mentionem facere ſæpe audimus. Hoc igitur illis hominibus nihili, in arte nulla profuerit: in uirtute uero & doctrina, parum momenti habere putandum ſit? Ita igitur eſt DANIELE: Vt primum ſentire animo cœpimus, imitari aliquid animaduerſum notatumq; in altero geſtimus. Hæc eſt ipſius naturæ inſtructio, hac nemo carere poteſt. Huc non inſtituto, aut more, ſed ab ipſa natura ducimur. Itaq; & aliorum exemplis factum quisq; ſuum extollere ac tueri, & ſi domeſtica illa habet, in primis gloriari ſolet. Quod non fieret, niſi omnibus inſita eſſet ac innata perſuaſio, ad aliquam ſimilitudinem referri cuncta, & de exemplorum conuenientia probari oportere. Nos autem in præſentia de ratione illius ac rectitudine atq; ueritate uerba facimus, ac quidem intra certos fines quaſi conſiſtentes. Quærimus enim de imitatione ueterum ſcriptorum, quorum noſtra ſimilia uelimus eſſe, quatenus hæc aſſumenda, & utrum ad certitudinem præſcriptumq; aliquod, conſtituenda eſſe uideatur. De quo diuerſi diuerſa tradidere: noſtram aũt ſententiã diximus ſupra libere. ita enim coram te debuimus. qua ſi contentus es, tranſeamus hinc ad alia. Minime, inquit ille. Nam cupio illã quaſi conuolutam explicari, ſi tibi lubeat, longiſſimo ſermone tuo. Mihi quidẽ, inquam, quod tu uelis, in eo non aduerſari tibi neceſſe eſt, uel propter amicitiam noſtram: uel legem, quam hodierno

die & hoc de colloquio ipse tuli, ut tibi esset concessum quorum uideretur ex positionem petere. Ita facies, inquit. Nunc enim uidêre tu quidem, dixisse permagni aliquid. sed dum attendo, magis quod admirer, quàm intelligam, habeo. Itaq; ut imperiti de concionibus reuersi, cum interrogantur quid actum sit, omnia respondent præclarè: sed qua de re percontantibus, nihil scient referre. sic ego tuam orationem laudare possim, prædicare sententiam illius non possim, tam celeriter præteructa est, uel potius prævolauit. Ergo ut uideo, inquam, fortuitò mihi cáui. Quò nam, inquit, modo? Quia tu hoc maxime pacto, quod in primis metuo, non prodideris (inquam) ineptias nostras. Quid igitur refert, inquit, siue clàm, seu palàm libertatem arbitrio meo eripias, utendi hodierno colloquio tuo? Videndum etiam tibi, ne ego suspicer callide à te factum, quod tu fortuito cecidisse ais. Multo autem indigni us ferre consueuimus fraudes & circumuentiones, quàm manifestam uim.

DE IMITATIONE.

Expromã igitur coram te, inquam, mi DANIELE, quicquid ego de hac tota re sentio atq; teneo. quod cum aspexeris, fortasse usu tibi ueniet, quod in expectationibus crebro accidit, ut cur tantopere uelles cognoscere, caussam fuisse nullam putes. Ego uidero: tu modo gere, inquit, morem mihi. Adda mus igitur huic uelut principio, inquam, reliqua. Cum enim hoc fixum positumq; fuerit, Imitationi operam dandam, & sequendos alios uolentibus recte benecq; Latina lingua uti: cui dubium esse potest, quin ad optimorum similitudinem conformare nos debeamus? Quia uero similitudinẽ expetimus, nimirũ & hoc planum est, aliena & repugnãtia omnia, dicam etiã uarietatẽ, excludi. Ac est quidem totum hoc, quo de loquor, stili & scriptorum: amissa scilicet consuetudine, & familiaritate dicendi. In his ergo quasi pannos cõsutos, non elegantem texturam apparere, cui pulchrum decens ue uideatur? Quare si uniusmodi, & non solum aliorum, sed etiam sui illa esse similia uelimus: non poterimus facere, ut in ipsis elaborandis ad diuersa oculos flectamus: sed uni certo proposito, constitutoq; exemplo ac formæ, mens oculiq; intendentur. Hoc ego exemplum, hanc formam, & (si placet Græca uox, sicq; ita licet nominare) ideam esse uolo, Ciceronianos libros. Hos ego ueteres, hos optimos appello. Ab his in hac uoluntate ac instituto discedi turpe, ad alios diuersos concedi flagitiosum esse existimo. Qua de re ut melius intelligas sententiam meam, sic accipe. Hanc linguam, de qua uerba nunc facimus, id est Latinam, non percipimus à matribus nostris, sed discimus ex magistris. Omnes autem linguæ suas habent proprietates, quæ sunt in uerbis & figuris, quas nunc non quæ χἀματα Græci, sed constructionis ipsius & complexionis

plexionis uerborum uoco. Quorum quidem doctrina Grammaticorum est, ut demonstrent in uerbis & figuris usum & congruitatem. Non autem has uulgares solum præceptiones significo, flexionum, generum, numerorum, & quæ constructionis doctrina his accõmodatur: Sed multo magis, quibus uerbis discipulos quasi imbuant, ne quod ab illis per ignorantiam alienum atq; improbum concipiatur: tum uero, quod est etiam diligentiæ maioris, quæ cum quibus uerbis conuenienter copulare debeant. Vides quàm non angustis finibus officium grammatici concludatur: cui omnia probata quidẽ scripta huius linguæ excutienda, scrutanda, cognoscendáq; sint. In qua etiam parte non dubitarim, rudia ueterum scripta, his excultis & politis posteriorũ anteferre. Est igitur sermo uerborũ, & ipsorũ per se, & cõiunctionis atq; complexionis illorum. Quo loco se quorundam quasi factio infert, qui arrepta ueterum sententia quapiam, ut maxime est hæc Platonica, Negligenda esse uerba: & Párere hanc neglectionem magnas prudentiæ quondam opes: has igitur & similes iactantes, negant exquisitioni uerborum, quibus utamur, studendum esse. Hos ego profecto, si in hac disputatione forte tali oratione obstrepant, quid dicant, fateor me non intelligere. Nisi quod errore inuolui hac etiam in parte hominum opiniones, animaduertere mihi uideor. Quid est autem, non curari uerba oportere? Si infantibus uel mutis hoc præcipitur, nihil sanè quæro amplius. Sed quos loqui uelis, & quidem disertè, de magnis sæpe & obscuris rebus, illis eripere uerborum curam atq; considerationem, quid aliud quæso uidetur, quàm si currendum quidem esse censeas, sed cursori nequaquam laborandum, pedes ac crura ut ualida atq; expedita sint, & anima durabilis ac firma? Non enim in uerborum negligẽtia hoc tantum mali inest, quod oratio inelegans & barbara uenustate omni atq; decore caret: sed quod eadem quadam caliginẽ sensus quoq;, quos illustrare debebat, inuoluit. Itaq; aut nihil intelligitur de barbarorum sermone: aut dubium atq; incertum est, si quid forte intelligitur. ex quo maxima incommoda existunt, uariæ & multiplicis perceptionis. quo fit, ut erroribus ad omnia implicanda fores patefiant. Quapropter hoc teneamus, primum esse & caput ad consequendam intelligentiæ ueritatem, & falsitatem seductionis uitandam, uerbis uti bonis, significationis non dubiæ, usitatis, electis: qualia esse nulla possunt, nisi eloquentum hominum cura studioq; quasi transcripta consuetudini & introducta, atq; uelut numisma probum signata, copia autem uerborum comparata & instructa. tum deinde, quod illa sola & dissipata, non exprimant uoluntatem animi cogitationesq; nostras: opus est

complexione

complexione illorum, ad quendam similiter optimum & notum atq; probatum modum exquisita atq; confecta: qui certe neq; dici neq; fingi ullus potest, nisi priorum expressionis atq; perfectionis. Hoc igitur Grammatici officium, & puerilis doctrina ita à nobis definiatur atq; determinetur, quod imitationis nullum adhuc studium complectitur. Multum tamen, uel potius plurimum refert, de quorum scriptis hæc etiam cognoscamus, & quos libellos in hunc ludum uel pueri, uel tanquam pueri (nam sera est multorum disciplina) afferamus. Sed de hoc breuiter dici potest, ut omnia sint, quæ tum proponantur, puræ & non ambiguæ bonitatis. Post quam uero eò peruentum fuerit, ut iam de orationis ipsius etiam forma & quasi effigie cogitandũ tibi sit: tum uero exemplum unum omnino tibi propones, secundum quod exprimatur & concinnetur illud opus tuum, & quasi collocatum ædificium extruatur. Hoc quale sit, aut esse possit, præter Ciceroniana scripta, in cupiditate quidem pulchritudinis ac laudis, non uideo. Nam si quid extaret melius, patienter eum qui contradicere uellet audirem. Nunc uero facere me posse non opinor, cum nemo hoc ausit dicere, non esse optima illa & perfectissima, aut meliora uel æquè bona alia inueniri. Dubium autem certe esse nequit, quin si quis ab optimis discesserit, iam tendat ad peiora: & quo abierit ab illis longius, hoc magis his implicetur. Cum autem sint duo, quæ in scriptis aliorum imitandis sumere soleamus, ipsius orationis facies & compositio, quæ stili nomine significatur: Et modus constitutioq; illius, qui est character ac genus ipsum dicendi: diligenter hoc discrimen tenendum est. errari enim admodum confusione horum uideo. Nam illud tertium, rerum etiam atq; argumenti effingendi studium, se quoq; comprehendẽdi necessitatem non affert ijs, qui alicuius scriptorũ similitudinem adamauerunt. Nisi quis in laudationibus præcisam esse imitationem Ciceronis credat, quia in hoc genere nulla feratur oratio illius. aut non posse similiter Epicurea dogmata explicari, si quis ita statuerit, ut illum Stoica disserue isse cernimus. Neq; enim natura, nec institutio fert, neq; patitur diuersitas, (ut ita dicam) soli atq; cœli, ut idem uniuersi per omnia sentiamus, de republica, de religione, de moribus, in philosophia. Quare hæc cuiq; libertas data est, ut sequatur rationẽ deliberationemq; animi sui: & ea tueatur sententia sua, & oratione affirmet, quæ uel respectus Numinis, uel instituta maiorum, leges, tempora, ipsa etiam natura inseuerit atq; excitarit. Explicatio uero illorum, quod ad genus orationis attinet, erit ea quidem consentanea in primis uniuscuiusq; ingenio: sed cura studioq; ad commendabilem quendam

dam modum facile redigetur. Compositio certe & stilus similitudinem referet eius, quem sibi quisq; imitandum sequendumq; delegerit. His expositis, multorum oblocutionibus responsum animaduertes, si quando hæc breuiter à nobis disputata, cogitatione intellectuq; tuo dilatare uolueris. Et fortasse ita res feret, ut ipsi in sequentibus iterum disseramus. Non autem putandum, ita quenq; à natura præparari, ut de illa neq; quasi limari, neq; accrescere quicquam, cura, labore, studio, disciplina possit. cum non frustra dictum sit, Ingenia studijs formari: Et quibus rebus quiq; ferè occupantur, cum earum rerum natura etiam animos usurpantium concordare. Hæc quidem eò pertinent, ut intelligatur, cum oratio nihil aliud certe sit nisi interpres intelligentiæ, fieri tamen posse, ut non utraq; quasi uis quædam & facultas indidem sumatur: et imitandi ratione inuiolata consequi studiosos, ut diuersissimis de rebus in contraria sententia, impari argumento, omni materia dissentiente, simillimi alicuius, quem sibi ducem sequendum delegerint, esse uideantur. Nam si nos, qui doctrinæ & literariæ eruditioni studemus, neminem omnium spectare, nullius similitudinem appetere, sine magistro, soli ipsi in nos conuersi, nobisq; nitentes, quæ uisum forte sit mandare literis uolueri-
mus: unum ex duobus existat necesse est, ut aut quàm quisquam ueterum meliora, aut multo deteriora efficiamus. Nullus enim à studio & industria similitudinis aliorum in casu ac fortuna locus. quorum posterius qui non summopere abominetur, quid cum eo agas? non enim cum dementibus hoc in colloquio, & tali disputatione prudentiæ nobis rixandum arbitror. Sed meliora uolunt edere. Vix puto quenquam, aut tam amantem sui uel fuisse uel esse, qui sentiat: aut tam arrogantem, qui dicere ausit. Nos enim in barbaria nati, amisso omni usu humanitatis ac artium, meliora facturos speremus illorum sæculorum doctissimis uiris: quos produxisse ideo natura uidetur, ut consummatissimum opus sapientiæ atq; eloquentiæ proferret, quale quidem mortalitas capere posset? Cum hoc igitur, si quis forte meliora fieri uelit, ne ipso quidem magnopere pugnabo: sed id modo respondebo, me quidem fieri non posse existimare. si quid tamen melius, non dicam ego uidero, sed omnino audiuero iactari, cum hactenus neutrum acciderit: tum me patienter cogniturum, quæ ab ipsis meliora affectantibus afferantur. Interea orabo, ut quod res est, ego puto, ipsi non sustinent negare, me sentire fateriq; æquo animo patiantur, Nos nisi de bonitate aliena nihil unquam egregium esse effecturos. Quæ autem est bonitas illa? nam non eadem omnibus uidetur. Mihi quidem, ut scis, (sæpe enim dictum dicendumq; est,) Ciceroniana illa consti

tuitur: qua nihil inueniri melius perfectiusq; potest, neq; quicquam unquam futurum est. Quod BEMBVS, cum ne ipse quidem (sic enim mihi persuadeo) crederet, in illa tamen moderatione responsionis suæ PICO concessit. Si quid enim optimum sit, illo melius certè aliud ullo tempore locoq; expectãdum non est. Et quamuis in humanis rebus summa perfectio & absoluta integritas nusquam reperiatur, est tamen quoddam ueritatis ipsius quasi simulacrum: quod cum conspeximus ad eum modum, quem qui homines nati sunt præstare ualeant, elaboratum, & probamus & admiramur, exosculamur, laudamus, nihil fieri melius, pulchrius, ornatius, absolutius potuisse prædicamus. Quod quidem usq; adeò uerum est, ut de tali opere neq; detrahi, neq; ad illud adiungi quicquam sine deprauatione posit. Hic est ille modus uirtutis in terris, artium, actionum, operum, omnium rerum: quò cum peruentum fuerit, consistatur necesse est. siue enim non attigeris, seu transcenderis, in uitio uersabere. Quare cum tale exemplum prolatum esse constat, tum omnes ad illud exprimendum suis quoq; operibus, qui quidem famæ & gloriæ sensu tanguntur, incitatissimè ferri, id tota mente intueri, atq; animo complecti, huic dies incumbere, inuigilare noctes consueuere. Hoc in unaquaque arte ac re studium, & hæc flamma amoris quantisper uiget, tam diu uiuit elaboratio laudabilissimorum operum. Vbi uero debilitata, atque etiam extincta fuerit, omnia tum subeunt deteriora & uitiosiora, donec rectitudo uniuersa euanescat, & ad nihilum recidat. Quod quidem & in Græcia & Italia usu uenit, & antiquissimis temporibus illis, & his posterioribus, cum istam curam etiam bella & tumultuationum crebritas excuteret hominibus. Quò igitur peruersitas processerit uidemus. Quis enim ante annos ducentos, qui Latine loqueretur, quiue scriberet, fuit? Nunc uero cum longissimo interuallo Latinitatis consuetudo & usus referatur, quis erit tam demens, qui uitiosa aut etiam aliena ac abhorrentia consectanda sibi putet? Cum autem reperta uerba sint, quibus in oratione coagmentatis, uoluntates & conceptiones animorum indicarentur: quæ (ut Cicero ait) si tacitis nobis intelligi possent, uerbis omnino non uteremur: à laudabili oratione prudentia abesse nequit. Nos uero qualia sint quæ intelligantur, id est, de rerum ipsarum ueritate falsitateue, iam non loquemur. Hoc dicemus, quod quisq; bene de animo suo in sermonem transferre & interpretari uelit, id bene prius intellectum esse oportere. Hanc autem intelligentiam & ipsam instruit & perficit imitationis hæc, de qua loquimur, ars atq; ratio: cum dicta, delecta, dilucide, ordine, consensu, omnia electa, collocata, disposita, construcla reddit. uelut, si quid de uirtutibus uitijs úe inuentum à nobis ac constitutũ

Intelligentiã iũuari rationẽ imitatiõis nr̃æ.

proferendum sit, ut uideamus quomodo fecerint qui de his optime scripsere: quo genere uerborum, qua structura usi, illustrarint expositione sua eas res, quas tractandas suscepissent, & idem de nostris & ipsi præstemus. Hoc ipsum statuetur de alijs omnibus materijs, de quibus eloquendo declarare iudicium & rationem animorum nostrorum uoluerimus. Quod quidem nisi diuturno labore, studio, exercitatione, maxima cura, sedulitate, contentione, nemo adipiscetur. Non enim leuibus operis, ac uili impensa parabile est. Tu mihi quidem, inquit STIBARVS, admodum probas sententiam de Imitatione tuam. De qua, quod gratißmum fuerit, si plura dicturus es, audiam te, ut feci hactenus, cupidißimè: sin hæc modo quasi à te promenda censuisti. illud tamen nõ cõmites, ut quæ à multis cõtra hãc scimus prodita, à te silentio prætereantur. Non enim, inquam, hoc mihi integrum: quandoquidẽ in hoc sum pelagus à te extrusus. sed in portum appellẽda nauis est. Quid igitur censes? nam etiam hac in parte morem geremus tibi, non nobis. Quid? aut quæ de re tandem? inquit. Vtris priore, inquam, loco respondeam? ueteribus an nouis? Equidem his, inquit, censeo, quorum mihi magis hærent in memoria contradictiones. à quibus tu, nisi fallor, recta uia ad antiquiores abducêris. Faciam, inquam, ut uis. Atq; ecce tibi ille se offert celeberrima doctrina, summa facultate ingenij, maximis honoribus uir: cui ego aut contrariam si forte resciuerit, aut ad alios inhonestam futuram esse nominis illius mentionem, qua in parte ab ipso dissentirem, si uererer, nunquam facerem, ut à me aut erga ipsum ingratius aliquid, aut apud alios suspiciosius proficisceretur. Cum autem humanitas illius nota, comitas etiam exhibita mihi, sapientiæ tot ipsius libri testes in medio sint: cur metuam, ne non in optimam partem accepturus ipse sit disputatiunculam meam, cum delectatum etiam iri hac illum confidam? Ad alios quidem, si forte emanarint sermones nostri, ne quid non illius, sed meæ personæ inhonestum sit, caucbo (ut spero) moderatione orationis meæ, & uitatione culpæ asperitatis ac aduersationum studij. Metuis igitur, inquit ille, à me? Minime ego quidem, inquam: nisi quantum uideo erepturum te latebras sermonibus nostris. Quin igitur, inquit, fidem accipis? Da modo, inquam. Magnam, inquit, illi cuius caussa tam diligenter tibi caues (quem enim dicas sentio) uoluptatem allatura hæc esse, si cognouerit. Non hoc expectaram, inquam: etsi nihil cupio amplius. Sed malueram illam latebrarum, uel etiam abolitionis. Perge modo, inquit. nihil enim periculi est, me spectante. Fiat, inquam, igitur: tametsi per me quoq; sum animo bene securo. Non enim in uirum ea doctrina, ingenio, honoribus, quos di-

xi, inuehemur tanquam oppugnatione nostra: sed ipsa de re simplicissime te cum sermocinabimur. ERASMI igitur libellus in manibus habetur, in quo non tam reprobatur (nisi admodum fallor) ucra ratio imitandi, quàm in illam nimis diligenter & seuere inquiritur. Quod & si fortasse ab ipso non sine caussa ad talem modum institutum est, discrepat tamen à ratione sententiáq; nostra, neq; propter quorundam errores relinquendum uidetur. Primum cum hoc proponat, traditurum se aptum & laudabilem imitationis Ciceronianæ modum: rem eò deducit, ut proposita imitatione multorum, non modo Ciceronianã excludere, sed ipsam imitatiõis uiã obstruere uideri aliquibus possit. Nam de Ciceronis quidem scriptis cum legendis, tum in exemplum assumendis, non tam multa, quàm contra quorundam, ut ipse innuit, infinitũ studiũ, quod in illius autoris lectiõe tractationeq; collocaretur, disputasse cernimus. Quod cur fecerit, neq; lubet neq; decet nos suspicando colligere. Quæ autem fingit quendam, captum hoc quasi morbo cupiditatis, de nimio uel potius præpostero studio suo narrare: nos quid attinet hoc quidem loco exquirere qualia sint? Sũt enim meo iudicio eiusmodi, ut ad rẽ nihil, aut perparũ faciant. Siue enim aliquis in morbo erroreue & tanquã perturbationе mẽtis fecit ita, ut ille cõmemorat, quid est tandem, quod ideo totũ genus & uniuersam rem exagitare insectando uelit? Siue hæc cõmentus est, accõmodata susceptо à se argumento, liceat illi suum morem uoluntatemq; obtinere, optima nostra omniumq; gratia. Veniamus igitur ad cõsiliarium. qui si quid fortè ingesserit non à se, sed ab alio subministratum, non ipsi quidem extorquere, sed potius intercipere conuersi ad suggerentem conabimur. Hoc sanè uel proprium, uel non prorsus alienum affert, astutè quidem certè, stultam esse imitationẽ quasi nudam & inanem Ciceronis. de hac enim agitur. Quid enim laudabiliter sperandum eum esse effecturum, qui imparatus à prudentia animi & mente, quasiq; uita scribendorum, in aucupio uocabulorum, compositionis, numerorum se non occuparit solum, sed misere etiam periculosecq; excruciauerit. Quasi uero cuiquam locus sit in omni eruditione literaria, stupido ac uecordi: aut quasi quisquam hortetur ad hanc prouinciam capiendã hebetes, & obtuso nullóue cerebro? Peculiaria enim hæc sunt prudentiæ, ingenij, industriæ, studij: non stultitiæ, stoliditatis, inertiæ, socordiæ. Fieri ne autem posse credendum, ut maxima sapientia, excelsissimo ingenio, summa industria, flagrantissimo studio composita scripta non placeant solummodo, sed in tantam admirationem sui rapiant, tanta cupiditate incendant atq; inflamment animum hominis fatui aut incogitantis? Si quis est uero non penitus

D. ERASMI Ciceronianus.

tus expers naturalis bonitatis, (nam talem remouendum uel ab omni, uel ab hac saltem doctrinæ parte, censemus: ne quis quasi functionem munusq; hoc studiorum uulgare nos, communeq; quoddam multorum prostituere existimet.) sed ille imbutus intelligentia naturali, optime ne se facturum cum animo suo, ut dixi, haud desipiente, statuet, Nihil se certi sequentem, non reuocata re ad iudicium animi sui, de qua dicturus scripturus ue sit, in buccam quod uenerit euomere? Nescio quid hoc orationis futurum esse sperem. Quamuis enim bona sententia concepta sit, eloqui tamen bene nisi exercitatus poterit nemo. Exercitatio autem, quæ sine certa stabiliq; imitatione dicenda sit, non uideo. Nam illum ingenio nullo, in quo nihil utrium potestatisq; suæ natura experiri ad gloriam & decus uoluerit, qua in re rerum omnium excellentem fore sperare possis? Indolem in primis uolo, ac quasi materiam probam & conuenientem, unde excudi labore, diligentia, cura, assiduitate quiduis facile posse uideatur. Omnino duæ sunt humanitatis peculiares naturæ, intelligentia & sermo. prior illa est: cum hic interpretis locũ teneat. liceat enim idem repetere uel sæpius. Quis autẽ prius eloqui ualeat, quàm inuenerit quid eloquatur? Quod si cui effingenda ac repræsentanda Ciceronis est proposita oratio, poterit ne à tota ratione & intellectu illius recedere, & aliqua quæ quidẽ lineamenta & ductus uocant persequi? Cumq; concupierit Ciceroniano modo moreq; loqui, dicere, scribere (nihil enim hac quidem in disputatione refert) non custodiet illam in imitando cupiditatem suam? Contraria hæc esse, seq; mutuo euertentia, uidentur. Tu ne agas omnibus uiribus tuis, ut Ciceronianè scripsisse aliquid perhibearis: & in experiundo quibus id maxime assequi possis, ea negligas ac post habeas? quid, quo sensu, ordine, caussa, modo, uia, ratione, concinnitate atq; consonantia, addam etiam consilio, apparatu, spe, opinione, ille dixerit, scripserit, fecerit, non spectabis? Talem ne quis imitatorem appellabit, aut esse credet? Scripsit quidam non pessimus autor in Græcia quondam, semper se iudicasse futile & friuolum studium æmulandi alienam dictionem. quæ si inimitabilis quædam esse uideatur, tum uero planè dementes habendos, qui sequi conentur. Quod quidem quale sit, ut fatear, non intelligo. Si qua est enim oratio bona, elegans, copiosa, splendida, quis uitio dederit ulli amorem, studium, curam illius? Quis contendentes laborantesq;, ut simili uti possint, reprehenderit? Est ne autem inimitabile quicquam humanarum rerum, hominis diligentiæ & labori? An deterreri quisquam studiosus bonæ rei ullius debet, professorum doctorumq; illa in re excellentia & magnitudine? Non

Plutarchus in Arato.

ita, mi DANIELE. ac æquum potius est, suscitari inflammariq; animos, uirtute priorum ac gloria: & somnum, ut Themistocli Miltiadis trophæa, ita laudem admirationemq; ueterum nobis excutere. Sed quid si in hoc conatu non aspiret fortuna successus? perridiculi enim infortunati isti imitatores, qui ingenio destituti effingant ad deformem quendam modum omnia, esse ducuntur. Quid ego, mi DANIELE, dicam? Nam mihi metuo, tibiq; adeò: cui cupio persuadere, pulcherrimum esse, uel periculum in hac re feciſſe. Sed de nobis non agitur. Si quid enim uel natura denegauit, uel casus ademit, nõ ideo in alijs, si quidem meretur, non suspicere, magni facere, commendare, ornare, annitti ut uniuersis inuidiosum reddatur: deniq; nõ ipsius illud splendore, sed nostra infirmitate metiri debemus. Humilitas hæc, uel potius malitia fuerit. Sed respiciamus tamen etiam ad nos, & nostrum gregem. Quid igitur est? Poëtæ egregij nõ obscura sententia est, IN MAGNIS ET VOLVISSE SATIS. Voluntas ergo certè talũ probari debebit, non ludibrio haberi fortuna. Si quid enim obstitit aliquorum pulcherrimo conatui, ut nobis quidem permulta, ideo ne ijs illudent aliorum feliciorum insectationes? Non defuit alicui planè ingenium, non uoluntas, non consideratio, non studium: quò tamen tendebat, non peruenit. miserandus ille quidem magis, quàm irridendus uidetur. Humanitatis est enim, aliorum miseria commoueri: Insultare autẽ calamitosis, superbum atq; crudele. optimeq; cecinit antiquus Poëta & hoc:

Pauperiem misero nulli exprobraueris unquam.

Nanq; Dei hæc etiam donum est.

Quid autem obsecro effeciſſent ijdem, quos hæc spes magnitudinis hoc tentatæ ardore, fefellit, si ne aspexiſſent quidem ad ista ardua & sublimia? iacuiſſent, multo magis fœdiusq; abiecti. Vt enim pumiliones, si quid est se inferius, despicientes, insuper etiam corripi solent: ad lacunaria autem, & imposita columnis sigilla pedes, colla, oculos erigentes quasi grandescunt: Ita illi delati ad parua & contemptibilia, multo futuri magis humiles, & (ut existimo) ridiculi fuiſſent. Sed appeti ea, quorum tanta magnitudo & præstantia sit, ut aliquis assequi non posse uideatur, absurdum, atq; etiam periculosum esse aiunt. Nam & in huiusmodi conatibus plærunq; cupiditatem ipsam frustrari euentum, & amitti tempus ac copiam aliorum, quibus uires adipiscendis forte suffeciſſent. Tum uero suum cuiq; & naturalem quasi statum tuendum retinendumq; esse censent, non affectanda ampliora. Hæc quidem oratio cum inhonesta, tum nocens etiam putanda est. Nam & confirmat ignauiam, & stabilit prauitatem, & spem debilitat, & studia reprimit, & frangit

μὴ δε τοῦ' οὐλομένου πεύκη θυμοφθόρον ἀνδρὶ
τεταλὼ' ὀνεῖδίζειν, μαχάων δόξιν ἀγὴν ἐόντων. Hes. ἔργ. pag. 56.

frangit industriam. Quapropter in scholis tam artium atq; disciplinarũ doctrinæ, quàm morum, sileat atq; obmutescat. ad arrogantiam & audaciam stultorum cohibendam sese, si uideatur, intendat. Sed reuertamur ad illam Græcam sententiam, quam aiebam me non intelligere. nisi quod astute patrocinari sibi autorem illius uoluisse suspicor, qui nullum certum genus, nullam rationem uiamq; orationis ingressus secutusq; fuerit. Nam uerbis rem eluat, uel potius infamat: æmulationẽ & certamen uocat. Quasi uero hoc agatur, ut imitator tanquam in lucta aut cursu superior laudibus, præmium eripiat autori uicto, uel etiam supplantato: ac non potius, ut de illius excellentia ac gloria ipse celebretur. Quid autem ponderis habeat sententia ista, nobis quidem expendentibus? cum in eum feratur, quem Cicero eruditiſsimum fuiſſe & rerum copia, sententiarumq; uarietate abundaſſe magnamq; eloquentiam ad scribendum attuliſſe tradit. de Timæo enim hæc ille scripſit. Vt autem donemus, expositã esse criminationi hanc diligentiam operæ ac studij imitationis, cum male fortè ceciderit, (si quidem de euentu omnia fere æstimari solent:) quid cum quò tendebatur peruentum fuerit, scilicet egregium laudabileq; opus contemni non poterit. Feratur igitur æquo animo, tentari urgeriq; studium illius, quod talis spes consoletur ac sustentet: neq; ullum nimium, aut ineptum, importunumue existimetur. Nam diligentia, assiduitas, labor, uigiliæ, sudores, in bonas res quasi insumpti, nunquam reprehensionem, sed laudem semper promerentur. Fateamur igitur aliquid hos, qui tanti faciunt similitudinem orationis Tullianæ, inhiantes isti nomini ac famæ, committere, in quo immoderata quædam cupiditas ineſse uideatur. Ignoscetur profecto facile ijs, cum aliquo etiam, ut ego sentio, non modo fauore, sed etiam admiratione, ab eruditis, quos in tantum sui amorem traxerit perspecta & cognita pulchritudo rei nobiliſsimæ. Quod si cui Cicero ualde placeat, cum Fabius, ut qui profecerit, commendat: quanto magis, si non probandũ, at patiendum certe uidetur, mentem alicuius incendi atq; ardere desiderio ſpecioſiſsimi & diuini cuiusdam boni. Nihil est præcipuæ claræq; ac illustris ei, quod facile & quasi stertentibus obtingere soleat. Ipsa fama uirtutis, & laudis celebritas, instrumentis ijs comparatur, in quibus primis insint labor & defatigatio. Quid igitur mihi aliquis passulas uuas memoret? Quid cõclaue tranquillitatis, & silentij plenum? Quid munerum fugam? Voluptates omnes omittendæ, ludus, iocus, conuiuia posthabenda: deneganda multa non solum libidini, sed etiam necessitati: deserenda colloquia familiaria, quæ iucundiſsima putantur: denique hæc laus cicerculis & fabæ,

etiam

etiam per Cleantheos Dioneosq; puteos, ac Menippeas molas, ut hos paululum adiuuemus, consectanda erat. Sed dimittamus talia. per iocum enim prorsus dici, uel fingi potius existimo. Quæ uera licet sint, quid uero id refert, si quid est admissum ab aliquo, quod utuperationem seueritatis effugere non posse uideatur? Quæ enim doctrina sustinuit unquam reprehensionem eorum uitiorum, quibus qui illam peruerse, oscitanter, male accipe rent, obnoxij essent? Sequuntur duo, quæ uel obsuam ipsius peculiarem exaggerationem propria illius putãda sunt. De paganitate, ut ipse uocat, & imitationis solitudine. quibus inculcatur, propter mutatam uniuersarum rerum faciem, temeritas imitationis ueterum. De quibus nunc deinceps breuiter, promiscueq; dicemus. Ac saltem hac in parte, ut opinor, concedenda est ornatoribus huius studij, non solum imitatio Ciceroniana, id est cura Latinitatis, sed usus sermonis cottidiani: cum sic docent, solum legendum sequendumq; Ciceronem, ut intelligatur hoc præcepto nihil aliud subijci, quàm ne cuius prior potiorúc lectio sit Ciceronis lectione. Itemq; cum iubent, solũ hũc spectari, uni intentos, uni deditos esse oportere. His scilicet custoditis, etiam alijs tamen uacabimus, ut reipublicæ, priuatæ, ualetudini. Absurde fortasse hæc colligo, sed multo illa obiectio absurdior uidetur. Tu ne solum legendum Ciceronem susceperis? Ex hoc incommodorum, quæ existant, mare inuehũt, quod nostra oratione quasi nauigari nihil attinet. Quis autem ignorat quid significetur in usu cotidiani sermonis, cum dicunt in re certa quempiam esse totum, nihil aliud noctes diesq; agere, loqui, cogitare: totos dies uni alicui studio tribuere atq; impendere, librum nũquam deponere de manu: & quæ sunt huiuscemodi. perspicuum enim certe est, talibus figuris præcipuam curam, operam, studium, significari. Vt si quem forte esse in omnium mortalium odio dicamus, relinquamus tamen eidem aliquam aliquorum beneuolentiam, quos uel natura uel etiam scelere adiunctos sibi habeat. Aut si quid ita euidens esse affirmemus, ut omnes mortales uidere possint, cæcos tamen exceptos esse patiamur. Quid ille qui dixit, Persas pharetras nunquam deponere, neq; de equis descendere: in cubiculum ne etiam attulisse ac lectulum, & in equis cœnitasse significare uoluit? Aut infantes quoq; & depositos senes affuisse, cum scripsit in cuiusdam urbis oppugnatione, nullius ita alienam ætatem fuisse, quin pro patria sua præliaretur? Sunt his omnium & scripta & sermones referti. quæ quidem conuenit non peruertere calliditate: sed cum non male dicta sint, commodè interpretari: ne quis fraudulentè agere, & in hac caussa deterrere astutè studiosos ab optimi autoris lectione & imitatione

tatione uelle uideatur. Neq; enim quicquam uult sibi hæc præceptio, Solum legendum sequendumq; Ciceronem, aliud, quàm ea huius scripta attentione, cura, diligentia, uigilantia, cupiditate, deniq; animo ac mente legenda cognoscendaq;, qua aliorum nulla. quæ quidem legantur & ipsa, si res poscat, ut poscere multum solcat: sed non hoc consilio ac proposito, quo Tulliana. Hæc enim placet haberi pro norma & regula, ad quam rectitudo omnis exquiratur. quod tribui aliorum nullis uolumus, cum neq; sint, nec fuerint, qui hoc mererentur. Penè igitur dicere ausim, calumnioſe à quibusdam hanc cõponi improbationem cupiditatis, uel (sit enim ita sanè) affectationis Tullianæ similitudinis. Qui si respiciunt ad se, & quoniam non fuerint ipsi hanc uiam ingressi, quasi inuidentes, struunt impedimentum alijs, ne ad hanc laudem attingant, culpandi admodum uidentur. Sin, quod magis libet credere, iudicio & ex sententia animi hæc proferũt, monẽdi, ne leuibus & inanibus dictis, neque quã contemnendũ negotiũ peracturos se esse sperent: neúc iocationibus aut nugis eludere tentent eos, quibus hæc optima & pulcherrima constituuntur: sed cum illis, rationibus & argumentis quãsi signis collatis decertent. In qua quidem tanquam uelitatiuncula, ERASMVM esse occupatorem iusto uidemus: quasi talibus incursiunculis labefactari studium pulcherrimum grauissimumq; possit. In quo genere quæ ab ipso adhibentur quasi infamiæ imponendæ gratia, non attrectabo, neq; ut detergam, neq; ut refutẽ. Morbidum quidem illum poteram monere, qui nimio opere Ciceronianus aueret perhiberi, ut potius augurio esse intentus, quàm de aliquo astro observare noctes uellet, cum augur Cicero fuerit, non astrologus. Sed horum à nobis uitabuntur concursus, ad conspectiũq; ridebimus unà potius, quàm illa derideamus. Illud uero, IN TANTA MVTATIONE RERVM OMNIVM, quibusdam etiam contrarijs, quod negant conseruari usum ueteris orationis posse, alieno ab ipsis loco affertur. Rem enim hæc modo difficilem esse & eximiam declarant, quam illi eleuare & abijcere conantur. Sed tritum est ueteri sermone prouerbium: Quæ bona & laudabilia sint, difficultate nunquam carere. Quid enim, ut Cicero ait, præclarum, non idem arduum? Difficilis est & hic pulcherrimus conatus, mi DANIELE, per est difficilis. Sed tamen quod contra imitationem illi afferunt, eo nobis non omni modo Latinitate, sed uernaculo & quibusq; suo sermone interdicitur. Constat enim, singulis ferè ætatibus morem, disciplinam, consuetudinem, leges mutari, abolerí prisca, & obliuione obrui, nasci & existere noua. neq; fieri tamen potest, ut ad singulas conuersiones ipsam etiam linguam innouemus. Itaq; & ipsi,

neq; ipsi modo, sed etiam imperitissimi linguæ Latinæ, cum maximopere abhorreant ab hac ratione accomodationis ueterum morum ac temporum ad nostra, plurimis in uocabulis tamen id faciunt. Fornicatorem nominant, togam, tunicam, uariante harum rerum proprietate. Nónne autem & ueteres, antiquissimas appellationes rerum usu mutato retinendas sibi putarunt? ut librũ & codicem dicerent, quæ membranis scripta, chartáue: locupletem, qui auro argentoq; diues esset: pecuniam, æs: ærarium, in quo moneta multo præciosior seruaretur: in prouincijs curiam, senatum, populumq;. Quod si hæc lex sanciatur, desinamus latinitatem affectare. Etiam frumentum non dicamus triturari, quod apud nos exculpitur fustibus. non extimulari iumenta, quæ flagris instigantur. Cisalpinorum & transalpinorum ob conuersam demonstrationem reijciamus nomina. Deniq; tabellarium, stilum, dolium, accubitũ uitemus. neq; Assiduus uersetur sermone nostro, si est ab ære dando dictus, ac non de uerbo factus, quo modo Residuus. Quinetiam sceleratum putemus, ut aliquid reijcientes, nihil ad Bacchum facere aiamus: aut crassam Mineruã, dextrum Apollinem, lætam Cererem nominemus. paganica enim hæc numina sunt. Neq; hæc scribens, uolo cuiquam nostro quasi edicto omnem fictionem nouorum nominum esse præcisam, cum sæpenumero necessitate ad illam adigamur. Hanc tamen etiam ipsam Tullianam esse oportere statuendum.

Quomodo uero, inquit ille, Tullianam & hanc? quam ingenij & dexteritatis cuiusq; propriam uerè existimant omnes. Sic, inquam, ut faciamus quemadmodum ille, & quæramus nostris rebus uoces conuenientes, interpretatione apta & quadrante. Quid enim ille aut usurpauit à se primus, aut ab alijs quasi mutuo, aut de externo sermone sibi assumpsit, quod nõ cũ significatione idoneum, tum forma bellũ atq; decens esset? Multa quidem, inquit ille, multi asseuerant, & hæc esse & alia, ubi Cicero quasi ipse sui dissimilis sit.

De his fortasse dicemus postea aliquid, DANIELE. Neq; enim mihi non durum admodum uidetur, in hac ulli quasi infantia eruditionis tantam iudicandi licentiam permitti. Sed si ille dissimilis est alicubi sui, cum nos similitudinem exprimendam ipsius sumpserimus, ab illa nimirum dissimilitudine abeamus necesse est. Dices ergo de his, inquit, ut aiebas postea. nunc quod cœpisti, perage. Nolunt igitur, inquam, illi magistratus, militiam, uestimenta, & quicquid est præterea in paruis magnisq; rebus, prisce dici atq; nominari. Etiam ne, inquit, si conuenienter beneq; posit? Nescio, inquam. sed ita uehementer in hoc acriterq; depugnant, ut sentire uideantur nostra tia meliora rectioraq; futura esse. Et ijdem tamen, Suo marte non reformidant: non augurium,

gurium, omen, auspicium, quæ nefaria quoq; nunc ducuntur. Nuptias, & credo Nouam nuptam audent uocare: quamuis nostris moribus nõ solum spõsa non obnubi, sed compta aperto maximè capite & ornato deduci soleat. Quid signa, ubi nunc in acie portantur? nunquit minus tamen collatis signis pugnatum dicunt? Et Gymnasium nominant, & uolumen, & calculos, quarum certe rerum usus exolcuit. Quid autem obsecro ipsis ueteribus quoq;, nõ tamẽ priscis illis, cum iam signa & uexilla portarẽtur in acie? quid igitur fuit Manipularis miles, si à manipulis, Iste maniplaris nomina miles habet? ut Ouidius ait. Quid potest superum mare, quid inferum significare nobis? quid laurea? qua uel Imperatorem, uel poëtam etiam insigniamus, nos qui arborẽ lauri nunquã uidimus. an ipsam latinitatẽ iam etiam non solum diuersi sensus, sed etiã situs atq; declinatio regionis usurpantiũ, immutabit atq; conuertet? Innumerabilia ergo sunt huiusmodi, quæ reb. mutatis quàm nõ excuti ant adimantq; similitudinis copiã, satis liquere arbitror. Mihi quidẽ, inquit ille, ualdè satis liquet. Sed ad illã iã difficultatẽ pulchritudinis reuertere. Vides inquã, mi DANIELE, quid faciãt, qui barbaras linguas Vandalicarũ & Scythicarũ gentiũ benè & perfectè discere studẽt, uel etiam semibarbaras Italiæ & Galliarum? Quid? inquit. non enim intelligo. Non solũ sonos, inquã, literarũ, et modulationẽ uerborũ exquisitam: sed etiã in gestu oris & labiorũ, atq; etiam manuum ac humerorum effingendo laborare. Maximè, inquit, uidemus hoc fieri, sed à perpaucis bellè. Nimirum difficilia sunt, inquam, hæc propter peregrinitatem. Aliena enim & abhorrentia à nostris ritibus & moribus non facilè percipimus, neq; absq; magna cura, & diligentia singulari. Hac ipsa de caussa, inueniuntur his temporibus tam pauci docti. fugiunt enim studij laborem & defatigationem, & molestias ac tædia discendi non perferunt: contentiq; uulgari ac qualicunq; eruditione, ex se reliqua pro mere proferreq; conantur. Quod potissimũ accidit ijs, qui ingenij bonitate & diuite quasi uena abundant. In quibus potissmum labor difficultasq; discertam quoq; negligentiam, ut Cicero ait, reddere solet: cum disserendo hoc studium subuertere, quàm bonitatem experiendo deprehendere malint. Atq; horum sunt scripta ferè rotunda, & haud inelegantis cuiusdam copiæ ac uenustatis, propter flosculos & uiriditatem orationis. Sed doctis eo nomine minus placent, quod maturitate & fructu assiduitatis ac curæ, & (ut dicam semel) sanitate ac uiribus deficiantur. Existimo autem ab ipsis multo hæc minoris pendi, quàm in quibus tanto sibi studio annitendum putent, neruosq; omnes (ut aiunt) intendant suos. Quam rem hoc loco ac tempore enu

cleandam nobis non arbitror. Nam si est uana quædam hæc delectatio solum atq; uoluptas, comprehendisse illam Latinitatis, id est orationis Tullianæ speciem atq; formam: fortasse qui tam uehementer & mirabiliter illi incumbant atq; studeant, stolidius facere uideantur. Sed meo quidem iudicio, res multo se aliter habet. In hoc enim sunt uniuersa, quæ expeti ab ambienti bus nomen famamq; literarum Latinarum solent, quiq; suas cogitationes de scribendas sibi & oratione Latina expromendas putauere. Hoc ipso enim efficitur uno, ne quid in scripto sit ociosum, hiulcum, asperum, sordidum, deforme, obscurum, præposterum, inconditum, ineptum: ut sententijs rebusq; uerba respondeant, cumq; his ipsis compositio consentiat. Omnia dilucide, eleganter, apposite, uenuste explicentur: propositis in rebus certitudo insit, progressiones fiāt disertæ, cōclusiones infallibiles: nihil deficere & quasi lin qui animo ueritatis, nihil mutilū mancumq;, nihil destitutum atq; debile uideatur. Hic me plura uolentē ad hunc modū de laudabili & probata oratione uerba facere, quasi perculsus ille magnitudine rei: Deū immortalē, exclamat, quid opū, quid magnificentiæ cōmemoras? Hæc ne omnia studiosis ex lectione Ciceroniana suppeditare credendum? Tum uero nimium uili isti libri uenerunt. Multo quidem dixi minus, inquam, atq; res est. Tu tamen ita habeto: Neminem unquam excellentem scriptorem Latinæ linguæ, bonitateq; ac laude præstantem, post hanc illius perfectionem, cuius opus iure sibi suo Cicero uendicat, extitisse, qui ab huius autoris uel imitatione, uel omnino similitudine alienus fuerit. Quod uel ex eo patet, quod in hac desertione atq; neglectu, quò res reciderit manifestum est. Neq; præclarius actum iri nobiscum, sperandum, nisi quidem prouiderimus, ne par à nobis inertiæ atq; prauitatis culpa suscipiatur. Quo enim abfuere ab hoc propius, eo fuere omnes meliores: deteriores autem, qui longius: donec omnis eloquentia defluxit, & libri barbariæ situ ac squalore obsoleuerunt. Nam de ijs qui eodem tempore uixere, difficile est loqui. fuit enim illa felicis. quædam, ut in Græcia olim decem Rhetorum, ætas. Hoc tamen sententiæ nostræ consequens ac consentaneum est, ut ex Græcis Demosthenis, ita Latinorum Ciceronis quenq; simillimum, optimum eloquentissimumq; censendum. Quid uero tu, si optio detur, uelis ne orationem tuam similem potius esse aut superiorum cuiuspiam, à quo hæc ratio prætermissa ac neglecta: aut posteriorum, cui improbata illa fuerit: quàm eorum, qui & studiose sunt & magnifice secuti? Ego uero, inquit, pudore prohibeor, quo minus hanc quasi litem decidam, responsionc ad interrogatum mea. Non hoc agitur, inquam, mi DANIELE. licet enim

Lectio Ciceronis & suppeditat.

pag. 124. u. 4

enim in amicitia meliora sequentem, & discedere ab amici uoluntate, & quasi regionem diuersam insistere: siue illa huic non placent, seu contingere nequeunt. Et ingenuitatis est, impertire debitam laudem alienis quoq;. Neq; tu, ut opinor, non malis perlocuplete esse censu, quàm hoc nostrati, tibiq; neutiquam cupienti irascar. Sit ita sanè, inquit. Sed ut maximè alicuius horum optarim me similem esse, quos mihi proponas, aut nomines, scire uelim.

Non habeo multos, inquā: sed duos possum eximios indicare, P. BEMBVM, & illius discipulum LONGOLIVM, qui cum ingenti Latinarum literarum damno in medio cursu concidit. neq; eos sanè multitudine operum, sed horum perfectione & bonitate admirabiles. Caue enim credas, post tantam occidionem & exitium artium bonarum literarumq; fieri posse, ut in multa præclara opera ingenium ac industria unius sufficiat. Etiam ueterum, florentibus illis & unà cum his quasi adolescentibus, uidemus doctissimos quosq; aliorum quidem respectu parum reliquisse scriptorum. Nam quanto alij singuli docti Græciæ, nisi fallor, librorum plus dedere quàm Plato? Quanto autem amplior numerus Varronis, quàm Ciceronis traditur?

Paruus & est cygni melior canor ille, gruum quàm
Clamor in æthereis dispersus sedibus austri.

Noli quæso, inquit ille, urgere hanc interrogationem: & illò potius redi, unde huc discessisti. Maximarum enim & splendidissimarum rerum commemoratio, mirificè commouit animum meum: qui nunc & in admiratione, & in desperatione illarum planè distrahitur. Nam & consilium atque uoluntatem, successu reddi laudabilem & gloriosam existimo: & quos ipse exitus frustrationis ingentioribus quàm æquum esset inhiasse ostēderit, daturos pœnas temeritatis suæ, non mitiores quàm Ixionem, Iunonium sponsum illum, ac Cadmi filiam ad optatum conspectum diuinæ maiestatis concrematam, persoluisse accepimus. Commodiusculè, inquam, loquere, mi DANIELE. Non enim improbum est in rebus humanis, summa appetere: neq; in ijs sceleratum, quæ nunquā perfecturus sis, inchoare. Tanta autem est excellentia animi, ut nisi quid illam retundat atq; repellat, nullum sese efferendi finem facere possit. Deterreri profecto ab opere cœpto ultimæ perfectionis desperatione par est neminem: uel quod fortuna incerta est: uel quod unusquisq; uirtutem, ut Deos iubet Hesiodus, colere pro uirili sua parte debet. Ita autem se, mi DANIELE, res habet, ut quemadmodum in uita non solum perfecta & constans felicitas, sed etiam interpolata quædam casibus tristibus, tamen pro felicitate habetur: Ita nos quoq;, si maximè plenam hanc & perpetuam felicitatem clo-

Petrus Bembus.

Longolius.

Paucitas eorū in doctrina magnitudini rei par.

Desperatio ultimæ perfectionis aut parta: tis nō omittēdū studiū imitationis.

quentiæ capere tenereq; non poſsimus, lætemur tamen in illius quaſi proſperitatis & ſecundæ fortunæ particulis, præſertim ſi bona ſuo numero uincere ſperemus: ut tanquam de pharetra candidulos calculos percenſentes, ſi plures quaſi ſtellulæ Ciceronianæ emicuerint in oratione noſtra, gaudeamus ſucceſſu, neq; ullo modo nimiam perfectionis maximæ cupiditatem, miſeriæ nos condemnare patiamur. Quod ſi quis in hoc conatu cum nihil non tentauerit, uix tamen mediocritatem quandam potuit aſſequi, homo neq; planè abſurdus, nec omnino abhorrens ab eruditione: huic' ne igitur, quia non ad ſummũ peruenerit, tam erit inhumanus, uel potius ſuperbus, qui infirmitatem & deficientiam uirium exprobraturus eſſe uideatur? aut qui non magis nitentem ad faſtigium illud, incitandum atq; fulciendum approbatione & quaſi promotione ſua, non retardandum irridendumq; ſtatuat? Quo modo & pueros incipientes pedibus conſiſtere & ingredi, hortamur & adiuuamus, ut currere et ſaltare (ſic enim loquimur) uelint, quamuis id facere non poſſe intelligamus. Sed iſti prorſus non ferre, neq; pati uolunt conatus, qui inanes futuri ſint, & eorũ quæ nunquam conſecuturi eſſe uideamur. Eſt' ne autem omnium rerum, quas quidem apprehendere mortalitas ualeat, quicquam, quò aditus non pateat curæ, aſſiduitati, labori, ſtudio? An non manifeſtum eſt, nonnullos deſtitutos bonitate ingenij ac naturæ, induſtria, attentioneq; & uſu, ac exercitatione eò certarum in rerum quaſi artificijs ſæpenumero peruenisſe, quò quidem ipſi uoluerint? Neq; hoc eiuſmodi eſt, de quo loquimur, ut eius facultas atq; copia tanquam uolandi humano generi negata ſit. Fert natura, ut ſimiles ueterum in eloquentia eſſe poſsimus: neq; fert ſolum, ſed etiam ad hoc nos incitat atque inſtigat. Siquidem eſt ſingularis laus iſta, eximia gloria, præcipuum decus, ad quæ appetenda & perſequenda hac mentis exaggeratione & uocis ſignificantia homines à reliquis illa animantibus diſtinxit, atq; ſeparauit. Huius autem ſicut aliarum uirtutum omnium exempla, non ad uoluptatem modo cognitionis, neq; admirationis ocium, ſed ad imitandum et effingendum propoſita nobis eſſe uoluit. A quibus ſi quis diuerſus abire, & detorquere à rectitudine ipſa curſum uoluntatis ſuæ non dubitauerit, quid illo homine agas? Aut quam medicinam orationis allaturum te huic cõfidas? Nihil enim audire, nihil cogitare, nihil conſideraре ſolent, qui ita ſunt quaſi ueneficio quodam erroris peruerſi atque corrupti: ſiue propria eſt hæc aliquorum opinio, ſeu inducta perſuaſione perperam monſtrantium. Vt enim recte dicitur ab Iſocrate, animi laborantis medicum eſſe ſermonem: Ita nemo ignorat, medicinæ etiam perniciosa eſſe nota, deq; illa & uenena peti. Fert enim, ut Aegyptum

dit Homerus,

dit Homerus, in permiſtione quadã, multa nõ modo bona, ſed etiã mala. Sed ut ad rẽ redeamus: Non eſt ulla res mi DANIELE tãta, tãq; ardua, quæ potius amitti deſperando, quàm æmulãdo appeti debeat. Si enim huc acceſſeris, uel tu, uel quicunque alius, hac natura & inſtructione artium, teq; immerſeris in hoc ſtudium imitationis Tullianæ, poſſum tibi ſpondere atq; promittere non poſt longiſsimum temporis ſpacium incredibilem ſuauitatem & uberrimos fructus. Neq; tu iſtam coloration em ſpernas. Formoſitas eſt illa, ut ſolis in uirili corpore, ſic orationis latinæ præcipua. Neq; ſi quid forte deeſſe tibi ſenſeris, ideo defatigere in quærendo. Minime etiam pudeat te, elegantis & ſpecioſæ clauſulæ Ciceronianæ, apte concinnatæ cum ſcripto tuo, ſuoq; ac proprio loco enitentis: non ut furto ſubtracta, ſed ut ſtudio & induſtria quæſita eſſe uideatur. Quod eò moneo, ne pulcherrimã rem, hoc imitationis ſtudium diſſimulari oportere exiſtimes. Quod (crede mihi) ut honeſta omnia oſtẽtari, totisq; uiribus, neq; una modo, ſed utraq; (ut aiunt) manu tractari glorioſiſsimum eſt futurum. Neminem autem certe ab huius tantæ taliſq; rei cura & deſiderio repellere debet, quod illius uſus ferè nullus uulgo nunc quidem eſſe poſſit. Non enim ideo ſuperuacanea, inutiliſue ducenda: uel nihil magnopere bonarum rerum omnium capeſſendum fuerit. Quid enim omnium uulgo nũc in honore ac precio? aut quid non contemptum potius eſt & deſpectum? Cõparantur hæc erga doctos & eruditos, quibus uigiliæ lucubrationesq; noſtræ dantur: quorum quantus numerus ſit, nemo unquam ſibi in hoc propoſito quærendum putauit. uſq; adeò, ut unius alicuius, qui in ſingularis doctrinæ & ſapientiæ opinone ſit, pluris fieri ab illis iudicium & approbatio ſoleat, quàm aliorum ſexcentũm. Itaq; in hac credo cogitatione hoc unumquenque ſibi ſubijcere:

Nec te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus.

Quis autem (ut alia complura omittam) quis ſi hoc ualere debeat, eruditionis pulcherrimam & maximam partem poëticam magni pendere, inq; hanc operam dare uelit? Nihil enim huius non à uulgo, ſed à doctis, quiq; ipſi poëtæ ſunt, uſu & ſenſibus tenetur: omnisq; illa ars in doctrinæ quodam quaſi penu recondita latet, neq; promi ad hodiernam tractationem poteſt, cum Muſica iam priſca amplius annis M & C. non corrupta mendoſaq;, ſed ignorata & extincta fuerit. Sed ut hoc largiamur, uoluptatem tantum & delectationem hoc ſtudium complecti, quod longe ſecus eſt: digniſs. certe illa fuerit homine. Cum enim beſtias etiam ipſas gaudere uideamus acclamationib. &

præconio

Imitatio, & non ut furta.

Poëtica

Imitationis ſtudiũ non eſſe diſſimulãdũ

Multitudo nõ eſt rapax optimorum in quarũq; ſtudiũ, vt Plato deputat.

præconio quodam uirtutis suæ: quid accidere queat homini iucundius, quàm quibus duobus à bestijs differt, ea sic esse perfecta, sic omni cura ac diligentia consummata, ut se digna ac uere propria esse appareant? Quamuis autẽ neq; stultè cogitatorum sapiens esse elocutio, neq; orationis uitijs non corrumpi intelligentiæ interpretatio possit: quid tamen obsecro, si hæc diuidantur, pro fuerit egregia inuentio, prudens consilium, cognitio præcellens, scientia singularis: si facultate, copia, lumine orationis deficiatur? Vix, ut opinor, ulli magnæ uoluptati, alijs quidem certe utilitati & fructui esse non poterit.

Demosthenis admirãda uirtus.

Hinc est quod in Demosthene admirabile inprimis & præstans fuisse scribitur, omnia ea quæcunq; animo suo concœpisset, explicare etiam ac illustra re oratione potuisse. Quod & inter Themistoclis laudes Thucydides posuit. Quid autem est in omni uita, quod non ducatur dulcedine, non sequatur delectationem, & ad uoluptatem adhærescat? Vt mihi ueriss. Poëta fecisse uideatur, suam cuiq; uoluptatem Deum fieri. Iocosa seria, magna parua, uoluptati quasi inhiant: mihiq;, si paululum temperasset suum placitum Epicurus, sensisse bellißime uideretur. Verum hæc dixeram non enucleanda, hoc loco ac tempore. Et mihi ita uidetur, inquit. & si cupio te audire hæc uel intempestiue differentem. Pergamus igitur ad alia, inquam. Non est autẽ uerendum, ne si multum nos in hac parte studiorum & unice exercuerimus, ad alia tractanda minus idonei reddamur. Vt enim senex Plautinus non dubitat, quin mulierecula quæ tenue sciret, etiam uberius nere posset: Ita si quis perfecte iam callcat linguam Latinam, reb. sic forte postulantibus, & ad faciliora, & quasi crassius filum sese demittere poterit. Quid autem hoc hominis fuerit? qui neq; argumento, nec hominibus patientibus, cognitam illam sibi & perceptam speciem orationis usurpando ostentet? Neq; recte mihi contra uniuersam hanc rationem inculcari exempla affectatæ de illa compositionis, in religionis nostræ tractatibus uidentur. Quis enim hoc serio quidem fecit? aut quis ita, quemadmodum uolumus, excultus lectione ueterum facturus omnino credatur? Non autem nostræ religionis professio in quibusdam sacrorum ritibus aut ceremonijs consistit, sed penitus interiusq; insidet mentibus:

Religio non in ceremonijs.

& in quas se insinuauit, facile eas à lusu & nugationib. huiusce modi abducit. Neq; iam ubi cor diuinitate illius contactum est, magis certe retorqueri oculos sinit in uersatione sui ad hæc aliaúe quãuis splẽdida & præclara, sed tamẽ humana, ac cogit seruari custodiriq; tenorem quendam suum deformitatis, stulticiæ, fatuitatis: ut omnes, sapientiß. quoq; homines, non imbutos diuinitus sensu ipsius, statuere necesse est. Sed quid uetat ad hæc etiam, si quis doctus

doctus à Deo beneuolente ac propitio ducatur, ab illa eruditione & cultura literarum transire? Aut cui dabitur uitio, quod animũ & excogitationes suas sanctas, oratione diserta atq; eleganti explicare studuerit? Quod si qui sunt, quibus religionis nostræ ueritas parum uel arridet uel perspecta est, ad quã quidem impietatem huius autoris lectione peculiariter instrui nequaquã certe possunt, cum in maximis & primis offendant rebus, leuiß. fuerit profecto hic uerborum atq; sermonis lusus. Quod hoc dico confidentius, quo studiosius ab aduersarijs huius opinionis defensum Ciceronem à peruersitate de Deo diuinisq; rebus sententiæ esse scimus. In quo ut illi toto cœlo aberrant, ita institutio impia ab hoc scriptore præcipua nulla composita est. Sed fortasse præconcœptæ aliqui uestitum hunc circundant, festiuitatis uerborum. Verum ut sol geminus non est, neq; duplices Thebæ, quamuis furenti Pentheo esse uideantur: sic & si aliqui cum improbitate sua hæc concilient suis opinionib. nihilo sunt tamẽ minus ipsa in suo genere et per se recta, utilia, fructuosa. Quarum autem rerum tanta (quæso) est bonitas, ut in abusum cadere non possit? Dicam planè, quod hoc loco in mentem mihi uenit: Aut ego multum decipior, aut religionis hoc parum est idoneum patrocinium. Nam si fuerit sententia de ueritate religionis & rerum diuinarũ aliena atq; peruersa, quid est quod uerbis potius uel oratione offendamur? Nominauit aliquis lararium, usus Latina uoce, cum notare uellet quod barbarè, ut opinor, capella dicitur: quid refert? An ideo hoc melius, quia uulgo notius? Immò uero eo prauius putandum. Sequuntur hæc, consistorium, iudicium rotæ, notarij, missa, processiones, sancti, ecclesiæ, Cardinales, Papa, Episcopi, Archiepiscopi, Episcopatus. Quid intelligatur, nemo nescit. Sed quæ sint rerum uitia, non quidem nos disputare, neq; excutere oportet: Ipsæ tamen res, quasi ædita uoce, uidentur clamare. Malunt uero aliqui, consiliũ, centurias iudicũ, aut iudiciũ centumuirale, scribas, sacrum piaculare, aut libum salutare, aut nescio quid: supplicationes, Diuos, Deos immortales, numina, templa, delubra, fana, senatum, principem, prætores, prouincias prætorias aut consulares. Ego ne ulli existimem, quem rerum uitia, depranatio, impietas non offendant, uerborum caussa bellum indicendum? Si possum pati sceleratam atq; impiam opinionem, qui minus locutionem feram, elegantem illius intelligentiæ interpretem? Quid autem uocat iste aliquis capellam rectius aut melius, quàm hic lararium? nisi quod alter flagitiosè barbaro, alter Romano uerbo utitur. Iam si, ut quidam dicunt, scribuntq;, asseuerantes eò usq; iniuriarum uel potius nefarij sceleris atq; immanitatis processum esse in iudicijs Romanensib.

ut nihil in ulla barbaria deterius fieri potuerit: si igitur in re tanta est turpitudo atq; prauitas, nominet sanè quisq; ut libet. Iam cur est libum salutare minus tolerabilis appellatio, quàm missa? supplicationes, quàm processiones? Dij, quàm sancti? fana, quàm ecclesiæ? senatus, quàm Cardinales? Princeps, quàm Papa? cum aut planè idem utrisq; designetur, aut hæc Latina notas ambobus certasq; res melius indicent. Ego uno doctissimo uiro adolescens multum utebar, quẽ nominari hoc loco à me debere non existimo. Is de numero erat eorum, quos nunc Dominicos flamines uocant. Ac solebat ad illa sacra præcipua Missarum, ut uocant, facienda, & raro & cum magna cura accedere: atq; etiam omnem orationem ceremoniarum de illa usitata & barbara, quæ in libris publicis exponeretur, in nouam & elegantem conuertere, inq; chartis seorsim perscribere. Quid ego hunc sceleris commisisse dicam? Nam si esset cordi Deo, uelletq; rem diuinam ad talem ille modum fieri, egó ne respuere hanc diligentiam puritatis uerborum suspicer? Sin est, ut nunc fit, quemadmodum fertur, tota res contraria & inuisa Deo, accessisséne potest tanquam cumuli aliquid hoc studio uerborum, ad rei uitium? Quid uero, si ille (quod non esse uerum puto) hoc toto facto suo lusit atq; iocatus est? Nescio profectò, an nocentior sit in rebus diuinis simplicitas, an simulatio erroris atq; impietatis. Sed hoc totum alienum prorsus est. quare ad rem redeamus. Exponitur ab Erasmo uersus elegans & sonorus Actij:

O uirgo spes fida hominum, spes fida Deorum.

Quantillum esse uidetur, quod hunc mouit? Deorum enim non debuisse dici, ait. Sed reliquam sententiam non accusat, in qua tot penè uitia, quot pulcherrimæ & aptissimæ numeris syllabæ inueniuntur: Spes hominum, spes Diuorum (ut illi placet) uirgo. Hoc, ut opinor, multo fuit potius emendandũ: aut si quis relinquit, quàm indignum fuerit, optimum uersum multo leuiorem ob caussam conuelli & labefactari? Quod si ego hæc recte & conuenienter in animum meum induco, facilis fuerit confutatio reliquorum, quæ à re prehensoribus huius studij ut absurda colliguntur. Neq; enim si quis huic sectæ sese addixerit, uerebitur interdum non solum alienis uerbis & figuris, ita ferente re familiari, rustica, priuata, publica, sua, amicorum, uti: sed ne matris quidem suæ lingua, atq; adeò balbutire cum pueris, cum sodalibus nugari, garrire in cœtibus uulgaribus. Nos enim de singulari & eximia quadam facultate scribendi, & de oratione loquimur, quæ tincta uetustatis coloribus, studium, eruditionem, diligentiam redoleat, quam ex hac sola exercitatione curaq; imitationis existere necesse est. Tum STIBARVS: Copiosam

sam esse orationem, inquit, Ciceronis aiunt, & locupletem: qualib. negant apta esse multorum ingenia. Fateor, inquam. Sed intelligendum, esse aliquid commune etiam hac in parte eruditionis, de qua loquimur. Nam cuncti certè anniti debent, ut bene Latinè loquantur, quicunq; ad huius linguæ studium sese contulerunt. idq; legendis optimis, id est Tullianis scriptis, ea cura atq; intentione, ut omnes suas cogitationes in illa defigant, consequentur: proposito nimirum exemplo, ad quod comparata uniuersa linguæ illius facultas referatur. Exprimet autem quisq; pro ingenij & naturæ suæ modo. Omnino studium erit summum, similia faciendi omnia. ita enim fiet, ut proxime accedatur. Sed similia etiam facient, qui longiuscule aberunt ab illis Ciceronis fluminibus, præstantes compositionis tamen exquisitionem & formam. An tu non esse Ciceronianum dixeris, qui breuiter atq; subtiliter eloquatur aliquid, Ciceronis quidẽ quasi æmulo ore? Immò certe: ut Apelleum, qui imitans grandes Apellis imagines, minutas pingeret. Copiositas quidem illa, si ut uitium notatur in Cicerone: quid ego dicam, ac potius de tota hac mentione uitiorum & macularum in Ciceroniano corpore, quid respõdeam culpantibus? Nam si quid est uitiosum absq; quidem controuersia, & manifestum erratum, non nobis quidem in hoc instituto nocuerit. Cum enim imitationem, quæ hac in parte maximæ artis nomen dignitatemq; sibi uendicet, turpem malamq; à nobis introduci nequaquam intelligi uelimus: quis ignorat, quin illorũ, quæ in deformitate & peccato sint, esse nequeat? Faciamus aliquid pinxisse Apellem deteriuscule, ac lapsum aut in symmetria, aut in historia: ut (uerbi caussa) si Romanum hominem, palliatum forte effinxisset: quid prohibuerit hæc emẽdantẽ, illius tamẽ tabulas habuisse propositas, quas imitaretur operibus suis? Nam fieri & potest & solet, ut aliquis maximã quapiam in arte celebritatem ac ueram laudem sapientiæ adeptus, in eiusdẽ tamen ipsius artis usu interdum peccet. quod non solum in doctrinæ, & istis ingenij, sed etiam morum atq; uitæ (ut ita apellem) artibus, uerum esse reperitur. Quis enim nescit, eum qui continentiss. sit, qui frugaliss. qui moderatiss. non tamen aliquando quasi exorbitare & declinare paululum de uirtutis uia? Neq; enim huius uitæ tanta felicitas est, ut quicquam summa possit perfectione concludere. Sed est ubiq; mediocritas quædam, in qua omnis perfectio consistit atq; spectatur. Verum huius etiam ipsius multum desiderari, requiriq;, nõnunquam solet: reprehendiq; aliquid singilatim ijs in rebus, quibus communiter maximæ bonitatis & eximiæ pulchritudinis laudem impertimus. Quem fugit, quanta Curij, Deciorum, ac Fabricij fama sit integritatis,

gritatis, pietatis, fortitudinis? Videlicet excitauerunt hi, probaruntq; illã, uita sua per huiusmodi uirtutes acta. Sed ab ijsdem nihil ne unquam leuiter, criminosè, ignauè factum dictum úe omni in ætate putabimus? Horum tamẽ nemo non splendidissima exempla honestatis ad imitandum sit habiturus. Idẽ de ijs, qui summopere sapientes uel fuere, uel crediti sunt, dixero. Quos, si quid (ut aliter fieri non potuit) in uita stulte fortè, inconsideratè ue constet fecisse: ideo non in ea parte, qua humanitati expositum perfectionis modum tenuere, sequendos esse dicemus? Et quia non omnia illis affuerint, propterea ab illorum imitatione resilientes, curabimus ne quid omnino præstantiæ inesse nobis possit? Stulticia hæc, & quidem maxima fuerit, quæ in medio sint repudiare, & inconcessa appetere, neq; animum sedatum quietumq; ulla in copia præstare. Sic enim usu nobis ueniet, quod auaris istis, ne quid omnino quo frui liceat possideamus. Vt enim studium rerum bonarum maximũ & infinitum esse debere confitendum, ita per illud acquisitis liberaliter utendum: & cum quasi merces quasdam animi diuturno labore ac longo tempore confeceris, explicandas illas proferendasq; esse existimo. Cum igitur nemini tam linguæ multum, frontis parum esse putem, qui optima esse omniũ quæ nobis lecta cognitaq; sint Ciceroniana scripta, negaturus sit: clarum quidem planumq; fit, in his perfectionem maximam, uel si hoc uis, summam contineri. Quia enim hoc nomen, hancq; laudẽ, quo aliud melius inueniri possit, meretur nihil: cumq; Ciceronianis scriptis, omniũ doctorum consentiente testimonio, ultima bonitas sit comparata: quisquam ne imperfecta, quæ optima esse fateatur, dicere audebit? Quæ porrò superbia, quodúe fastidium fuerit, non eo contentum esse, quo aliud ipsius etiam iudicio melius fieri nequeat? & hac copia spreta, uana opiniõe, ac fortasse spe, inhiare absentibus. Nec mihi necesse est, hæc tueri consuetudine, ut perfectionem uocare me dicam, non quæ in ueritate esset, sed quæ uideretur esse. ut cum sapientem fortemq; uulgari modulo, non quasi Stoicorum decempeda metimur. Immò ita sentio, & uerè statui à nobis, diciq; illam perfectionem: & qui aliquid melius fingant, eos in iucundo quodam imaginandi errore uersari. Itaq;, quod æmulatio aliquibus magis placet, qua priores fiamus, non assecłæ, (in quo se PICVS Fabianis sententijs iactitauit) non quidem male in genere, sicut & aliquis se ipsum uincere dicitur: sed hac quidem in parte parum ualet, cum sit à nobis uel quanta maxima possit existere, uel summa citra exceptionem bonitas & perfectio orationis Ciceronianæ constituta. Neq; nobis nimium dolendum, si maxime nostris operibus in peius effingatur archetypum illius, quod

quod in absolutis picturis imitandis dicit accidere Plinius. Prima enim sequẽtem, ut est egregie scriptum apud Ciceronem, honestum in secundis tertijsq; consistere. Quando enim fuit alia bonitas orationis prior ac maior? Ante ne quàm hæc existeret? An est postea insecuta? Immò certe contrà manifestum est, neq; priora secula cultam & eloquentem orationem parare, neq; posteriora relictam sibi tueri atq; retinere potuisse. Vnde apparet, quod impleuerit superiora, & ab inferioribus deminutum fuerit, idipsum plenum esse dicendum atq; perfectum. Vere enim ait ille, Seneca ut opinor, non posse ulterius crescere quod sit plenum. Quare cum hæc nobis perfectio cum ipsa natura constituta, tum oratione demonstrata sit, quæso quis dubitet illius similitudinem appetere? Siq; ulla à parte, uel si mauis particula apprehendere ualeat: quid non faciendum, suscipiendum studij, laboris, molestiæ, quæ non subeunda pericula, quid non exanclandum sudoris arbitretur? Nam qui hoc dicunt, cum totum tibi Ciceronem exprimendum sumpseris, errata etiam illius non negligenda: dolosè illi quidem certe agunt. ut si quis censeat, amicos etiam Platonis, gibbum illius: & Aristotelis, balbutiem imitari debuisse. fieri enim hoc non quidem debuit: sed si qua accidit, defensionẽ tamen quandã habuit communitatis eorum, quibus tanti uiri non potuissent carere. Hæc porrò non pátitur ratio ipsa complecti, Ciceroniani nominis cupidos. Nempe enim similitudinem illius autoris ambiunt. qui si cubi fragilitate humanæ naturæ quasi in lubrico cecidit, aut offendit, aut titubauit, ipse nimirũ ea in parte sibi uniuerso dissimilis fuerit. Quis igitur ita insaniet, ut cum ad illum accedere cœperit, sciens uolensq;, non immutato iudicio discedat, & similitudinem petens dissimilitudinem affectet? Sed hæc, inquiunt, uitia etiam ab ignorantibus & tacite contrahuntur. Optandum quidem, ut ita similitudine quadam induamur Ciceronis, & effigiem præ se ferant illius scriptorum nostra, ut nihil prorsus requiratur, aut desit, ne horum quidem illorum, quæ uitiosula uel sint, uel habeantur. Quæ studioso Latinitatis maior in hac uita contingere felicitas, aut quæ alia summa uotorum esse possit? Repetere licebat hoc loco disputationẽ quandam de Erratis nostram, quibus nostra conditio ita est obnoxia, ut præclare cum eo actum credi æquum sit, qui non innumerabilibus fuerit, neq; fœdissimis uitijs deturpatus. carere enim penitus, qui quidẽ sit homo natus, poterit nemo. Sed et illud benignæ magis fortunæ fuerit, quàm uirium nostrarum. ea est in errores & deceptiones animorum procliuitas. Qua tamen in culpa admodum subleuari solemus, & defendi sapientissimorum ueterum exemplo: sæpe etiam fortuita imitatione, cum honestus error

Plenum & perfectum quid.

sit magnos duces sequentibus, ut Fabius ait. Sed remitto te ad habitos hac de re sermones nostros, atq; etiam scriptum, quod te legisse puto. Legi, inquit ille: & legi perlibenter. itidemq; alios multos fecisse arbitror, qui post admissum dedecus consolationem quærerent. Nescio, inquam, quem ille libellus, quem úe alij nostri sortiti Genium fuerint: nisi quod ita sunt minuti & pusilli, ut indigere magnopere nõ uideãtur, uidelicet ex hoc genere πιφυλφωμ.

Hæc non sunt, inquit ille, huius loci. resume igitur, quæ reliquisti. Nihil igitur moremur, inquam, huiusmodi quorundam dicta: siue ita sentiunt illi, ut loquuntur: siue magis, ut ego puto, nugas agunt scientes. Quis enim ita sequendum Ciceronem doceat, ut etiam si quid in scriptis illius uitiosum esse constet, id exprimendum: aut cur metu quasi offensiunculæ & asperitatis cuiusdam, ne ingrediendum quidem hoc iter sibi putet? Sed enim ut in formoso corpore, persæpe næuulus alicubi decere creditur: sic in oratione quasi uerrucula non turpis interdum inest, neq; uiciositatem aliquam fugiendam habet. Talia sunt in ueterum libris incongrua cum uulgaribus præceptionibus, & inconsentanea uerbis: quæ ego non solum tacite contracta nihil nocere, sed etiam eruditionis iudicio expressa, hoc quoq; imitationis studio uenusta futura esse iudico. Vt enim in puero nemo ferret, si iussus flectere scelus, sic ingrediatur, orsus cum pronomine, ut fieri assolet, Hic scelus: aut si coniungat tanquam conuenientes genere uoces, Fama malum: cum tamen apud Terentium, adolescens ita indignabundus clamitet, Vbi illic scelus est qui me perdidit? & Virgilianum hoc celebre sit:

Fama malum, quo non aliud uelocius ullum.

Ita indoctis huiusmodi delictorum uenia dari nulla, neq; excusatio concedi potest: quæ contrà in studio & facultate quadam ingenij, usuq; literarum, non modo culpa carent, sed laudem & admirationem quoq; merentur. Iam uero, ut uerè uitiosum aliquid in Ciceronis scriptis inueniri non negauerim, quippe qui ipse annotarim (omnibus enim in rebus, ac ubiq; culpam præstare homini difficile, ac nisi fallor, denegatum esse scio. nam ingenium nonnũquam, sæpe iudicium, interdum cura etiam præstantissimos destituit:) sed ut non ausim hoc negare: ita uix permiserim ulli mortalium, damnandi, quæ uideantur perperam à Cicerone posita, liberam potestatem. in orationis autem compositionem, haud scio an ne inquisitionem quidem. Quo minus certe licentiam concesserim cuiquam, configendi ac iugulandi uerba figurasq;, si quæ parum ad pueris notam & perceptam rationem atq; modum quadrare uideantur. Nam de librariorum incuria, & mendis codicum, quod à PICO

motum

motum ERASMVS quasi uentilauit, nihilomagis in hoc autore legentibus quàm ullis alijs obstare poterit, quorum non minus corrupta esse scripta certum est. Cum autem perbelle dixerit Græcus Comicus, Menander ut opinor,

Nemo est miser, quicunq; se esse non putat:

Nisi quid planum factum fuerit esse mendosum, etiam si qui fortè suspicabuntur esse, nos utamur pro uero: & simus saltem opinione felices, quod bona & uera nos sequi credamus: præsertim cũ multũ diligenterq; in hoc siue usu, seu arte, ut mihi quoq; uidetur, uersato, non difficile futurum sit, huiusmodi deprauationes & deprehendere, & alicubi emendare. Neq; cum hoc dico, existimes uelim, probare me mutationis aut correctionis in ueterum scriptis leuitatem: qui huic generi iniquus sum, ut qui maxime: quiq; satius esse duco, non intelligi aliquos locos, quàm temeraria correctione uel scrupulum tolli. nisi quod ciusmodi fortè est, de quo & asseuerari, & in quo nullus suppositionis metus in esse posse uideatur. Nam qui in castigando sunt faciles, ut fortasse aliquid maculæ detergeant: periculum tamen fuerit, ne & sana cædere, & integra secare aggrediantur. Certe in Cicerone reprehensa nonnulla animaduerto, quæ ferri: nonnulla etiam quæ defendi debuerint. Sed hæc si uidetur, transiliamus. Minime, inquit ille. nam mihi hæc subtracta, multum uidentur de re ipsa detractura. Placet igitur, quandoquidem ad alia transituri sumus, sic ab illis abire, ut oratione nostra perfecta & conclusa relinquamus, quasiq; in caussæ fine epilogum illis adiungamus? Maximopere placet, inquit: itaq; ut facias, non te hortor, sed pro meo iure impero. Mos geratur, inquam. Demonstratum autem cõfido à nobis, nulla in re nõ, ad cognitionis studium imitandi industriam applicandam esse. Cum enim omnium rerum quæ discuntur, & præceptiones tradi, & exempla exponi soleant: tantum inter hæc & illas qui cogitare uolet interesse inueniet, quantum ab animali corpore carens anima distet. Itaq; & sine præceptis artium ad exempla respicientes, qui magnas progressiones fecerint reperire est multos: cum ipsæ illæ quem solæ instruxerint aliqua cuiuslibet artis facultate, dicere neminem habeas. ut exempla in harum quasi corpore uitam exercere uideantur. Quorum tamen ipsorum usum esse perartificiosum statuo: ut huius moderatricem atque magistram imitationem, uel singularis cuiusdam artis similitudinem obtinere, uel ipsam esse maximam artem iudicem. Præterea est planum, ut opinor, factum, quod, ut natura quidem ferat, optimum perfectissimumq; sit, illi soli operam nostram, ut quàm simillima edere proferreq; à nobis possimus, addictam esse oportere. Ciceroniana etiam,

nisi

nisi fallor, obtinuimus, facile reliquis bonitate & perfectione antecellere uniuersis. Quæ cum ita sint, si hæc eximia quædam & singularis ratio est studiorum, siq; laboris ingentis, ingenij etiam ac naturæ cum felicis tum tolerantis atq; fortis: ideo si neq; his fortasse præditi nos simus, & fugiamus molestiam, de infirmitate ac mollitudine nostra constituere quid rectum ac laudabile sit debebimus. Nihil enim uitiosius fieri possit, quàm quod uulgo faciunt, & in Comœdijs sæpissimè adumbratur, ut quis, quia ipse egerit aut dixerit, ob id rem quampiam probari postulet. Quibus igitur ingenium atq; animus non hebes, neq; ignauus, cupiditate pulcherrimæ rei eloquentiæ exarserit, quam nunc sic nominamus, usum exquisitum quendam linguæ Latinæ, & de ijs quæ dicta sunt, neminem offensum iri si Ciceronianam nominauero, confido: eos feramus æquo animo, diuino quodam instinctu flagrantes incredibili amore ingrediendi hanc uiam, in ea quoq; desudare atq; defatigari, quæ rereq; ac sectari itineris duces non uarios atq; dissidentes, sed certos & perseuerantes, quorum directa uestigia ipsi suo cursu consequantur, confirmata ad omne tædium, difficultatem, laborem, uoluntate. Non uituperemus etiam, si uitam sibi, nisi ad finem perueniant spei ac propositi sui, retinendam non putant. Sed talis, ut ducem nactus non prius cum amittit, quàm aut secutus compos uoti efficiatur, uel eam facultatem obtineat, ut ipse sibi præire, seq; quò perueniendum sit deducere ualeat: Ita in hac sententia atq; proposito, uita illi nihilo secus communis uiuitur, ne quis quasi in beatorum insulas ablegari hæc à nobis studia arbitretur. Neq; quicquam rerum necessariarum domi forisue, neq; ullæ actiones priuatæ aut publicæ omittuntur. multum temporis alijs & rebus & studijs trãsmittitur. semper tamen idem ille ad hæc quasi respectat, & pendet eius inde animus: eamq; init uictus quoq; cotidiani ac cultus rationem, quæ minimè studio suo impedimento sit, quaq; uis mentis ac memoriæ excitetur, non obruatur, ut animi perpetua sobrietas & attentio conseruetur. Nec non idem quoad licet, abducit sese, usumq; uitæ suæ à contrarijs actionibus, omniaq; & alimenta & cõsuetudinem abhorrentem ac diuersam fugere utareq; solet. Quæ cuncta de ijs accipienda sunt, qui uerè ardent, incensi amore atq; cupiditate huius gloriæ, huiusq; famæ. Nam pleriq; fingũt, & eloquentiæ fuco non uero, neq; naturali colore tincti, cum multitudine doctrinæ, tum magnitudine studij, atq; etiam uel in primis hac uictus usuq; ratione deterriti, cito resiliunt ab isto proposito, & sinunt frangi industriam suam difficultate: quæq; sustinere se posse non putant, ijs ipsis quæ comparari solere sciant, ea non audent sperare se consecuturos unquam esse. Quare mox

re mox aliò, quasiq; in diuerticula quædam abeunt, & dissentiant propositũ suum, neq; in hac rectitudine & destinatione magis continent. Tum uero non pauci, inq; primis callidiores quidam, falsa se statim persuasione induunt, nihil amplius accedere posse cognitioni suæ, sibiq; interdum multitudinis applausu commendati, uideri aliunde quicquam accepisse, neq; ex sese prompsisse illa præclara & admirabilia, turpe sibi esse existimant. Ita hos captantes quasi fluuiales auras, nunquam se uolunt alto committere, sed in hac opinione, cultu, ocio acquiescunt. Habes conclusionem, ut uoluisti. Nunc igitur deinceps, te quidem iubente, de quibusdam in Cicerone notatis atq; reprehensis disseramus: atq; ita ad aliorum obtrectationes, uel etiam obiecta isti studio, sensim accedamus. Ita fiat, inquit ille. sed nisi tu non uis, percupiam te hoc mihi prius exponere: cum ad tantam altitudinem & ingentiam hæc à te ratio quasi extruatur, putes' ne tam pauca ex omni numero scripta Ciceronis, ad eam exequendam sufficere posse. Ego quidem, inquam, ita bene consultum à fortuna iudico huius rei studiosis, ut & quæ satis, & quæ maxime utilia isti studio essent futura, ea maximè ac potissimum conseruarentur. Nisi tu forte non censes Apelleos esse, nisi qui cunctas illius tabulas, uel potius si qui perpaucas uidissent, potuisse? Nec magnopere nõ maximi libri Thucydidis historiarũ studiosa lectione adiutum fuisse Demosthenem? Quod quidem ipsius te credere factum non sinet. Nam nisi ipse fructum uberrimum ex eo sentiret sese percipere, nunquam faceret, ut toties describere sua manu uellet. septies autem descripsisse accepimus: quo de ipso suspicari licet, quæ fuerit lectionis assiduitas. Traditum etiam de non ignobili rhetore Dione Prusense legimus, duobus illum tantummodo libellis usum, ad maximam scientiam & celeberrimum usum rhetorices peruenisse. fuisse autem libellos istos, Platonis librum qui Phædon, & orationem Demosthenis quæ Falsæ legationis inscribitur. Quare cum non solum nobis tam copiosum exemplum Tullianorum scriptorum, sed etiam, ut ego sentio, exquisitum, & in primis studio huic expediens, relictum sit: non desperandam similitudinem, neq; desiderio amissorum præsentia bona negligenda esse arbitror. Quæ si probantur tibi, licet disputationem interruptam cõtexamus. Ita faciundum censeo, inquit. Et nempe erat illud propositum, de reprehensis quibusdam in Cicerone: quibus cum tu quasi laborantibus succurrisses, mox reliquos oppugnatores huius rationis si posses profligares. Recte, inquam, meministi. sed loquere superbius. Quid ni faciam? inquit. ita inflatus, & in tantam spem erectus priore oratione tua. Esto, inquam.

Thucydidis q̃ fuerit studiosus Demosthenes.

Dion rhetor.

quam. non enim mihi displicet. Sed ad censionem tandem ueniamus: quæq; notauerint quidam uerba, aut figuras, aut compositiones, consideremus. Et uerba quidem maximè in conuertendis Græcis ab illo usurpata, cum non ut improba carpantur, miror cur de illorum significantia quisquam pronunciare ausit: cum etiam si qua deterior sit, à nobis tamen, cur ita sit, caussa nulla afferri posse uideatur. Nam quare, quæso, ut unam dictionem uerbi gratia memoremus, parum significasse Latinis finem bonorum putandum? Mihi quidem prorsus cur suspicer, in mentem nihil uenit. Quo magis sum miratus, quæsiuiq; cum animo meo, quid ERASMVS cogitans hæc scripserit: Quis autem crederet esse Latinum, Dicit illi salutem, & iubet illum salutare, nisi nobis sermonem hunc ueterum consuetudo commendaret? Non enim certe dubitauit, an Ciccro Latine loquũ sciuerit. Sed cur illud tantopere incongruum uideatur? cum alia plurima multo uehementius perturbare indoctos posſint. quale est: Matris uox uisa est Philumenæ. &, Videor audisse de Lucio Crasso. &, Vt tuo sumptu suppeditare posſit. &, Qui in amore præcipitauit. &, Præcipitante repub. ac, Cũ & uita suppeditauisset. item, Si quid eò fuerit. Iam cur non biennem, ut quinquẽnem? Quur nemo sic loquitur, ut aborsam mulierem esse, sed abortum feciſse: opus habere, sed esse, dicat? Immò uero quis ausit omnino ficum appellare ficum, & ligonẽ hoc nomine, nisi ueteres antè feciſsent? Nobis tamen non temere hoc illum scripsisse persuasum sit. Accedamus igitur ad figuras, in quibus soloecismi isti notantur. Quo loco planè improbatur mihi, quod idem scripsit, Ciccronem excogitasse hanc sermonis figuram. nam illud, nisi fallor, significat dixisse, quod nemo doctus putarit imitandum, ESSE IN potestatem. Cuius similes leguntur, In amicitiam & ditionem: & quas supra recensui, non absq; suspicione tamen, librarios corrupisse locos, aut ipsum adeò autorem properatione. Nam & Gellius iam hæc remouit, & alij certe Græci Latiniq; similiter locuti sunt. Tale enim est hoc Plautinum, In mentem fuit. & Terẽtianum, Vbi me uidet esse in tantũ honorẽ. Iam Græcis τοῦ χάρα, et τῷ ἰχθύι. in potestatem: & τῷ αὐγάς, in luce, non ne usitatum? Suspicioſam autẽ scripturam reddere quorsum attinebat, in tanta copia similium figurarum, inq; crebritate illius? An uero non simile est? Ad iudicem causſam labefactari, pro coram iudice, uel apud iudicem. &, Ad fornicem Fabianum, Ad senatorem relictos, Ad urbem esſes, Ad iudiciũ affuturum. &, Deprehensus deniq; cũ ferro ad senatum. & illa repetita figura, Quæ in amicitiam P. R. ditionẽq; essent. et, Vt in uberr. Siciliæ partes Siciliã quæreremus. &, Tua scelera Dij immortales

In Pison.

immortales in nostros milites expiauerunt. & quod ad Atticum legitur, cur enim suspectum esse debeat, non uideo:) Quo die in Tusculanum essem futurus. Vt autem hæc præpostera esse, si ad regulas præceptionum exigantur: ita illa quoq; apud Græcos scriptores uideri possunt, εἴλκειν ὑπ' οἴκου, & ἁπλᾶσθαι ἐπὶ φυλῆς, & ναυσὶν ἐπὶ γλαφυρῆσιν ἑλαυνέμεν. Soloecismus autem, uel soloecophanes, ut Grammatici paulo appellant clementius, si quid ad easdem & rationes animi nostri non penitus respondet, perhibendum statim non est. Nã si hoc admittatur, ἄνω ποταμῶν scilicet χωροῦσι πηγαί. cũ nõ illos loqui nos, sed ab ipsis discere debeamus. Adducit ERASMVS ex epistola Ciceronis quapiam: Diu commorans Athenis, quoniam uenti negabant soluendi facultatem, erat animus ad te scribere. Soloecismús ne igitur perhibendus, quod nõ sit Cõmoranti? Sed hoc si confixerimus, quàm multa in Græcis Latinisq; scriptoribus confodienda erunt? Vt Homericum statim hoc:

φημὶ γὰρ οὔ μ' κατανῦσαι ἐνὶ φρένα πρηνίονα,
ἀγαπῆναι ἐπιειλίξαι ἐναίσιμα εἵματα φαίνων. Ἰλιάδ. ε.

Et hoc: οὐδέ ὁ ὅτω
ἐνβάλ' ἄλμῃ & ἰὼν ἄφυσ & κὰ πλοῦτον ἀφύξαι. Ἰλιάδ. α.

δεινὸν γὰρ ἦ τ' ἡμέρωσε, τὸν παρὰ τῇ βροτῷ ἀίσσομεν ἂ μηδέποτε νοσήσῃ πάλιν. Ἀριστοφ. ὄρνισι 416. Nebul.

Et Aristophaneum istud:

τὸν κριτὰς ἃ κρηλανοῦσιν ἤνλε πῦρ τὴν χορόν.
Ὀφιλῶ' ἐκ Δικαίων βελόμενοι ὑμῖν φράσαι.

Et Euripideum: ὡς οὐ μένοντα μ' ἀγὰ προσμίξω σφατῶν. Rhesus.

Hoc uero præcipuum Sophoclis:

τάχ' ἂν πατρὶς οἰκτρᾶς,
ἐξ ὀλβίων ἄφνλον ἰὼν σοὶ βίον. Trachin.

Verum quid ago? quæ enim pagella nõ aliquid tale complectitur in ueterũ libris? Sed enim poëtis licuit. Esto: etsi nulla apparet in his poëtica licentia. Quid uero Plato? qui unus poterit esse pro milibus Atticorũ. Non ne & ipse locutus est eodem modo? ὅτε προάγων λόγον, ὅτε μὴ ἀπείρασαι, βούλεσθαι ὑμῖν εἰς τὸ μέσον αὐτὸ θεῖναι. Cum nobis uideri posſit hoc rectum fuisse, τὸ δὲ προάγοντα λόγον. Quale autem quæso hoc est Demosthenis? ὥστε τοὺς ἐκπλέοντας αὖ περὶ τὴν ἀργολικὸν κόλπον τὸ λεγόμενον νεῶν, τάττε χρήματα καταχθῆναι εἰς ἄργος, κὰ αὖτὸν ξενθέντα ἀποθανεῖν. Vides enim, cum accusatiuo illo initiali reliqua nõ congruere. Qualia autem Xenophontea hæc? κὰ τὸν κύρον ἐπῄδη προσιτῶς, ὡς ἂν τοῖς μηδέποτε τοσοῦτον ὦσιν. Et mox: πάνυ μὲν οὖν ἔφη ὦ πάτερ, ὡς προσφιλῶς μοι ἐδοκεῖς διεῖπες ἄντα σὺ τῶν Διάκειται. Quid est autem Græcis usitatius, quàm sic loqui, γράμματα ἐκμανθάνειν. quod est perinde ac si dicas, scripta allatum esse.

An uero incongruitas secũdum præceptiones obscura, aut dubia est? Nec efficere tamen illa potuit, quo minus etiam elegans hæc figura orationis uideretur. Tantum igitur abest, ut quæ contra Grammaticorum præceptiones, quæq; quasi libera & uaga in ueterum scriptis reperta fuerint, solœcismi uocandi sint, ut ornamenta etiam ac flosculi putari debeant. Qualia multa audax ignoratio quorundam concerpsit, & abiecit. Sicut illud Homericum:

——τία γὰρ ξυνός πε ὁλυμπίᾳ ἔνδοθι αὐλῆ.

Ὁμηρ. Ἀ Seleucus Grammaticus ita censuit legendum,

ξυνός πευ τιαῦτα δόμοις ἔνι κτήματα κεῖται.

Ὁμηρ. Ἰ. Eratosthenes uero alium uersum ita mutauit:

οὐ γὰρ ἐγὼ γέ φημι τέλος χθιζὸς δρομῆναι,
ἢ δὲ ἄρ' ἐυφροσύνη μὲν ἔχη κακότητα ἀρύσσῃ.

Quid ego dicam illas uocum mutationes? Vt quod Aristophanes sic fecit, Ἰλιάδ. π'. γενειάδας ἀμφὶ γενείῳ, non ἰθειράδας, qui essent capitis pili. Zenodotus uero, οἰωνοῖσι τε δαῖτα. Ptolemæus aũt, ἀμφὶ δὲ λειμῶνας μαλακῷ σιοῦ, ἠδὲ σελίνῳ. Ἰλιάδ. ά. Vt non sine causa dictum sit, minimè correctos libros Homericos, esse correctissimos. Quod & de alijs uerissime perhiberi possit. Hæc enim origo atq; hic fons est corruptionum, damnandi ueterum scripta, uel saltem iudicandi licentia. Omnino in illa, ut ita dicam inconsequentia, Græci etiam studium aliquod potuisse, neq; non esse illos sedulò Latini secuti uidentur. Tale est hoc, Restitue me in quem accepisti locum. et, Quasi non renunciata tibi hæc sint sic fore. Mihin' quisquam? Quale uero hoc? an parum illi Ciceroniano simile? Nã nos omnes, quibus est alicunde aliquis obiectus labos, omne quod » est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est. Quàm illud cuaga- » gatur Horatianum?

Donarem pateras, gratáq; commodis:

Notũ est tibi enim uel de cantu nostro carmen. Virgilius aũt, dubitare potes quin transtulerit, id quod Græci dicunt, δέξαι λίον ὠθός? cum sic fecit,

Meq; timoris

Argue tu Drance solitum tibi.

Et Cicero, Interuerso regali hoc dono grauiter nos tulisse. Et à socijs ablata » ereptaq; ut Græcum hoc, φιλῶ σε καὶ κάλαμαι. Cui simile, Nec ueterũ memini Atti. x. lætorúe malorũ. et, Qua illi florentissima, nos duriore conflictati uidemur. Huiusmodi igitur, ut tandem desinam commemorare passim atq; ubiq; occurrentia in ueterum scriptis, damnare, magnæ & intolerabilis audaciæ fuerit. Quis uero credat, nos melius callere alienam linguam, quàm quorum propria

propria illa esset? Memini Ciceronem adducere locum Terentij:

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre deniq;.

Neq; ignoro multum ueteres Deniq;, in principio sententiæ posuisse, & sic hunc locum legi, & optimè sonare, ut Deniq; sequentibus addatur: ut fiat,

Deniq; nullum remittis tempus.

Sed contra Ciceronem, nisi perspecta exploratáq; re, affirmare non ausim, præsertim cũ utrunq; & ad istũ modum usurpasse sæpius sciam. Iam quod oblitum quid posuisset, hoc ita incongrue intulisse, Erat animus ad te scribere, ERASMVS Ciceronem suspicatur, nihil est. Nam hoc modo plurima suspecta esse sine causa oporteat. ut hoc, Multas à te accepi literas eodem Atti. x. die, omnes diligenter scriptas: ea uero, quæ uoluminis instar erat sæpe legẽ « da, sicuti facio. in qua non frustra laborem suscepisti. Vides enim, cogitationem transire à literis ad epistolam. Tale est etiam illud paulo antè commemoratum Terentianũ, tale & hoc Virgilij. Nõ enim mutandum censeo:

Postera lux, mea si non irrita dicta putabis,

Ingentes Danaum spectabis cædis aceruos.

Et Ciceronianum rursus: Cætera quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus con- Lent. tenderimus, quàm possumus, minus tamen faciemus quàm debemus. Ac de his quidem satis, uel potius nimium. Sequitur notata illius uelut temeraria reprehensio huius loquendi figuræ, Contumeliam facere: qua sit usus Terentius. quod quidem dubium non est. Sic enim ille,

Quin nouo modo ei faceres contumeliam.

Immò & Dicere contumelias legimus apud eundem poëtam. Et apud Plau- Asinar. tum: Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur? Sed de Ciceronis notatione, hoc equidem timide dico, propterea quod doctissimos ita uiros accepisse scio, & principem horum M. Fabium: sed dicetur tamen. Vtinam esset maior in ueterum scriptis attentio, & in nostris cura. nunquam enim certè laudabilis negligentia in rebus magnis & optimis artibus iudicanda. Cui uero non manifestum fit, non quidem oculis tantum, sed etiam animo intuenti illum locum, quàm meritam, quamq; incongruam locutionem Antonij « sua reprehensione Cicero exagitaucrit? Nempe enim sic ille: An ulla con- « tumelia est quàm facit dignus? Hoc quidẽ uoluit dicere, qua afficitur dignus. ut esset Contumeliam facere, sicut damnum, flagitium, ruinam, iacturam. sentiq;, non putandam contumeliam, qua afficeretur qui hac dignus esset. Quemadmodum & ille apud Comicum, maledicere se negat, qui quibus alter dignus esset, ea diceret. Quis autem obsecro sic locutus est, aut nunc au-

deat loqui? Nihil, ut opinor, clarius erit, quàm hæc esse ut dico, inspicientibus cum diligentia illum locum. Nam de Pijssimo hoc modo dixero, quod suprà nos fugerat, cum Ciceroni displicuerit, bonum probumq; uocabulum esse non posse. Obsequium uero si putauit primum nominasse Terentium Cicero, neq; hoc, ut Donatus ait, uerum est, detur errato uenia. Si tamen ex hoc ille collegit, quod Cicero ait, se Terentiano uerbo libẽter uti: quàm parũ prudenter fecerit in pronunciando, quis non uidet? Nunc igitur peruenimus ad reprehensionem compositionis Fabianam. Quod si tantum est uitium, ut Fabio placet, in tam pauculis uerbis bis excidisse Ciceroni, ueri mihi quidem simile non fit: Tres res inuisæ uisæ sunt Brute. Ego autem uel intelligẽtem ita feciſſe Ciceronem arbitror: uel non certe nequaquam ineptam neq; ingratam in lingua Latina resultationem illam, & in carmine, & in soluta oratione, fugisse. Innumerabilia enim est huiusmodi alia apud illum inuenire. ut hoc: Sed ne quo modo fieri quidẽ post hac possint, possum ullo modo suspicari. Et: Hos quos nos oratores uocaremus. Et: Difficile factu est, est enim. Et, Dicta esse dicebat. Et, Ad eas tres res. Et: Eũ qui faceret, facere ciuibus omnibus. Et, Omnia quidem præclara rara. Cum enim ne Maro quidem uitarit, elegantiæ & sonoritatis studiosiss. cui esse dubium potest, quin aut in Latino sermone nihil incommoditatis, aut etiam artis & studij aliquid, quod PONTANO uisum, ista habeant? Quale enim hoc? Fama malum. &, Date tæla. &, Stuppea flamma manu. Fuisse autem hanc, ut Pontanus uocat, alliterationem usitatam in illa lingua, uterum uersus indicant, quorum ab ijsdem singulæ dictiones literis inchoãtur: & Lucretiana multa. ut hæc, Vera ratione repulsa. &, Clara loca candida luce. Nã quid illa Comica memorem, ad hanc resultationem elaborata? non iam neglectiora Plautina sed Terentij artificiosa dico. ut hoc, Illa illico: Adeam ad eam: Fatue fateor: Mihi ostentatam tam breuẽ, tam optatam, tam insperatam. Quare illa tam mala, tamq; uitiosa, quàm istis uidentur, non sunt. Neq; hoc, Fortunatam natã, & Laurea laudi, ita ineptè resultat, quemadmodum cẽsent. Sed quoniam de compositione & numeris uerba facimus, quibus aut neglectis, aut male usurpatis, omni forma ac decore careat oratio necesse est, quæ concinnari illa, his percoli ornariq; soleat: contemptores nos quidem horum & derisores, uel si quis pro nihilo ac superuacaneum uel puerile etiam studium istud esse putat, ut Seneca, minoris quidem pendamus, quàm ut cum illis nobis uerba cõmutanda rixandumq; arbitremur: multo minus uero cum uituperatoribus, ob illam ipsam Ciceronis. Quandoquidem ea iudicij hæc est infelicitas, ut execranda

execranda magis quàm refutanda esse uideatur. Quid enim quæso doctis auribus sonant, quid sensibus significant illa iacentia sine circumductionibus, & abrupta, solisq; sententiarum quasi bracteolis quibusdam tinnula, cæsim omnibus tanquam correptis? At illa iudiciorũ inanitas, nónne se ipsa impugnat ac euertit? Alius enim aridũ, alius exundabundũ, hic durũ & horridũ, ille solutũ atq; elumbem fecit Ciceronẽ, maleuolẽtiæ scilicet ac inuidiæ calũnijs: quorum non uides unumquodq; conuellere alterum, quandoquidẽ contraria de eodem perhibeantur. Quid ego de Asinio, quid de Bruto dicam? quid de Coruino, ita ut aiunt uerbis elaborato? quid de alijs? Hoc quidem unum uere possum, eo quenq; istorum deteriorem habendum, quo magis Ciceronianam orationem improbauerit, quod hac ipsa re à perfectione bonitatis suam ipse longissimè abstraxerit. Coruinum sanè, si ille Messala est, quẽ Cicero tantopere & à sapientia & eloquentia laudat ad Brutum, siq; non discesſit de hac uia laudis, oppidò Ciceronianum fuisse oportet. At Pollionẽ, quem nam ego de coniectura faciam? qui studuerit corrumpere Latinam eloquentiam, calumniando & obtrectando Ciceroni. Noluit enim ipse profecto in hac malignitate uideri referre eum, quem odisset & damnaret iudicio suo. Intollerabile huic uisum, appellari Ciceronem linguæ Latinæ parentem, quasi hæc fama ac gloria illius, eriperet alijs Latine loquendi facultatem. Et eripit quidem certe: nisi quatenus à Cicerone hæc, ut liberi à parentibus uitam, sic ueritatem ac rectitudinem acceperit. Quod si inuidia, obtrectatio, malignitas illorum animos occuparat, ut res ipsa docet: quæ sinceritas iudicij expectari potuit? Nisi tu & Scythæ uocem præclaram putas: qui cum captum citharœdum sui temporis præcipuum Ismeniam, iussisset in cõuiuio fidibus canere, homo barbarus iurauit, se equum sæpe suum audiuisse suauius hinnientem. Concedatur cuiq; sentire quod uelit, etiamq; in his illa tua dominetur

Reginauitæ, & rerum opinio omnium.

Sed docti tencant ea, quæ ratio cuicerit ac confirmarit. Quid ego nunc de alijs, quæ in diuersis emicent & illustria reperiantur, pergam disserere? cum fecerim in hoc omnia esse optima & eximia. De quibus tamen longiores essemus, si quid omnino contentione ullorum dicere haberemus. Nunc nihil sanè possumus, uel etiam opus est, amissis ferè scriptis eorum omnium, quorum particulæ contra Ciceronem nominantur. Commodè, inquit ille, loqueris. Sed de uersificationibus Ciceronis cupio audire, quid respondendum putes culpatoribus. Nescio, inquam, quid respondeam. Nihil

am. Nihil enim uidi illorum operum, quæ uersibus composuisset. Hoc tamen confido, me facile doctis probaturum iudicium de illius uersibus meum:
» Neminem ante Ciceronem fuisse meliorem poëtam: Ipsum autem duxisse le-
» uius hoc studium, quàm in quo excellere uelle deberet. Natura enim & ingenio rapiebatur ad alia maiora, uel quæ ipsi saltem uiderentur maiora. cui quidem in præsentia disputationi supersedere libet. Quid autem offenderit criminatores uersuum Ciceronis, quantum quidem de reliquijs his possumus iudicare, non uideo. Quicquid enim est particulatim horum inspersum libris ipsius, mihi quidem admodum probatur, præsertim uersiones de Tragœdijs Græcorum, quas etiam admirari ac suspicere soleo. Sed in suo quæq; genere bona, & neutiquam reprehendenda existimo. Martiali meritò fortasse non arridebant. & concedi, ut opinor, nobis debet, multa ut & illius non placeant nobis. Si uero sciam, quid culpent tantopere in uersibus Ciceronianis, inueniam ut spero quod respondeam. Hoc igitur tum ages, inquit ille. Nunc uero, antequam ad alios refellendos accedas, & finias hunc tractatum laudis seu commendationis pulcherrimi studij, uelim explicari à te, quod paulo audacius (nisi fallor) à te ponitur, solo quidem uerbo, rationẽ & artem esse quandam illius, & ipsa præcepta quoq; tradi, ac tanquam itinera demonstrari, quæ ingressos ad optatum finem deferrent. Video, inquam, quid agas. Non es cõtentus ineptijs, impudentem etiam me facere uis: qui ea coner docere atq; ostendere, quæ nunquam didicerim, neq; cognouerim. Tum hoc est perdifficile in re, de qua quidem passim atq; carptim scripserint multi doctissimi uiri plurima. sed qui illorum genera digereret, & artificiosè partes componeret, nondum, quod ego sciam, repertus est. Ego uero non is sum, qui etiam te quasi in penetralia hæc deducere, & ad initia eloquentiæ admouere possim, præceptis & doctrina mea. Quid enim, ut ingenio prorsus non caream, rerum omnium suppeditauit ad hanc felicitatem? Primum enim, qua calamitate ac clade fatali nostræ patriæ interruptus fuerit cursus studiorum meorum, te non fugit. Sensisti enim mecum & ipse, præcipuas illius temporis miserias. Deinde quid ego memorem alienissimarum rerũ occupationes, quæ mihi obiectæ fuere? inter quas & si studia bonarum artium nunquam amittere uolui, tamen in hoc magis annitendũ fuit, ne penitus exciderent, quàm ut liceret ad suauitatem hanc & gloriam contendere. Tum ualetudo mea quàm celeriter affligi cœpta, lucubrandi & assiduitatis quasi subsidia eripuit. Quare à nobis ista ne petas. Quid ergo? inquit ille. esse ne ego te tam incogitantem putem, ut probaturum te mihi

speres ista præconia rei tibi ignotæ? Non planè ignotæ, mi DANIELE: sed conspectæ & intellectæ quasi per nebulam, ut aiunt. Nec tu non, ut opinor, me ferres, si prædicarem aliquam uisam tabulam aut statuam, quamuis neq; pingendi neq; fingendi artificium teneam. Multa, inquit ille, uerba facimus. tibi tamen dicendum de hoc, quod tenes: ut conditionem, de quibus scias ac possis, tibi ultro feram. Hoc ego apud te præsertim, inquam, facile & libenter fecero. Nam & antè memini, meo te exemplo incitatum ad discendum fuisse. Et non tam imitandi artem, quàm rationem, quam ego mihi exquisiuerim atq; secutus sim inter plurimas aduersitates meas, tecum pertente non grauatim sum communicaturus. Neq; ita loquar ut magister, neq; uero ut æstimator atq; iudex: sed tãquam uestigator ac obseruator quidam, non ille quidem indiligens, neq; somnolentus, sed nequaquam satis in tam late patente quasi campo eruditionis oculatus atq; strenuus. Primum igitur mihi cogitanti de hac ratione, in mentem ueniebat, omniũ rerum de quibus reb. cogitationes nostras temere uagari nollemus, earum & quosdã esse fines cõstituendos, & uiam exquirendam, qua ad finem destinatum perueniretur. Finem autem nihil esse aliud, quàm propositum quoddam spei ac uoluntatis. Sed uiam ad illum, notationem cõmunium quasi signorum, quibus dissipata & dispersa plurima tanquam collecta concludantur. Hæc sunt illæ quæ docti genera uocant, & generum ueluti membra ac partes specie distinctæ. His uidebam admiscendas singulis definitiones suas, quibus quarumq; rerum naturæ ac proprietates breuiter & circumscriptè explicarentur. ut quid quaq; uoce indicaretur, de orationis significatiõe planè perspici posset. De imitandi ratione.

Tum ille: Multa, inquit, agnosco, quæ copiosè disseri in scholis quondam audiuerim, à te luculenta & perspicua breuitate commemorata. Sed ut pueri faciebamus, sic nũc te oro, ut hæc ipsa tanquam in re præsenti, qualia sint etiam exemplis declarare studeas. Ita fiat, inquam: & facere omnino aliter non possum. Nam ut dixi, quid ego egerim, non quid omnino agendũ statuam, de hac ratione percensebo. atq; imitabor & hoc ipso loco studiosè P. BEMBVM, ut sicut ille quid sibi acciderit, & quid fecerit in constituenda & fundanda imitatione: ita quid nos in illa quasi architectati uel fabricati simus, referamus. Quæ quidem & scio, & ingenuè fateor esse ualdè leuia, uel potius futilia. Qualiacunq; tamen sunt, uolo tibi cognoscenda, cupienti quidem, uel ut uerius dicam cogenti, exponere. De quibus quidem certe ipsis, ut de puerorum picturis ac fictionibus, nostra cupiditas & uoluntas facilè perspicietur, utinam etiam aliqua se indoles ostendat. Sed hæc tu uideris.

nos uero ad rem. Atq; hic necessaria uidetur in primis explicatio quædam, quid ipsum hoc sit, in quo istam uel artem, uel rationem, uel curam imitationis exerceri & occupari uelimus. ne si hoc uacillet, tota oratio nostra titubet atq; allucinetur. Non igitur nunc proposita ulli studioso esse possunt, illa magnifica & mirabilia opera eloquentiæ, & summa atq; eximia uirtus orationis, qualis uiguit atq; floruit & in Græcia & Italia quondam, stante atq; incolumi Imperio, consummatisq; & completis sapientiæ inuentis, doctrina, humanitate, artibus. Omnia enim hæc iam iacent, collapsaq; sunt ac disiecta: quorum ruina eloquentia quoq; conuulsa & oppressa est, cuius splẽdor in diuturnis tenebris prorsus obsoleuit. Quapropter hac uoce nunc ita scilicet utimur, ut alijs multis, quas à uetustatis eximijs & altißimis rebus, paruis nostris & humi prostratis applicamus. Vt si senatum, si consulem nominemus in nostris oppidis, paucorum & non admodum dignitate præstantium consilium, & illius consilij quasi caput. Ad hunc ergo modum eloquentiæ uerbum usurpamus, sentiẽtes Latinitatis formam quandam, eamq; non tam dictionis uel locutionis, quod uox sonat, quàm scriptionis. Ex quo quantillum id sit, quod nobis de magnitudine & copia antiquitatis, quàm tenue quod de amplitudine illius, quam humile quod de sublimitate relinquitur, apparet. ut illud totum, quod respicientes quidam ad illa beatißima & abundantia his diuitijs tempora iactitant, de ueritate generum, qui sunt quidam characteres (ut Græci uocant) & formæ atq; imagines uel ingenij uel artis in dicendo, inter quas ut ipsas naturas animorum atq; rerum dißimilitudinẽ esse, semperq; fuisse, est necesse: hoc igitur ut uideas uniuersum, exiguum, uel potius nihil esse. Vnde excluditur & illa obiectio quorundam, qui (ut Catulus & Cæsar) neminẽ imitati, suapte natura sine ullius similitudine, quod quisq; uoluerit, nouũ & singulare quoddam quasi ex se gignere genus oportere censent. Nam non in hoc, de quo nobis cogitandum ac uidendum, sed in ipso genere dicendi diuersitas atq; dißimilitudo illa uersata fuit: quam necesse est in sermone uniuscuiusq; naturam atq; animum, in uoluntate rectitudinis atq; ueritatis referre. Atq; est hæc magna, uel potius infinita uarietas. Genera tamen tria Cicero constituit, ut scis, quorum in hanc disputationem doctrina nequaquam est inculcanda, tanquam separata, sed imitationi ut pars subijcienda. Nam & hoc certe illa præstat, ut in hac mediocritate nostra, quemadmodum à Cicerone præcipitur, parua summissè, modica temperatè, magna grauiter dicantur. Sed in præsentia nos aliud agimus, ac quandam quasi materiam quærimus, quæ illis formis effingatur & enitescat. Quid

Eloquentiæ nomen.

at. Quid igitur agimus? aut in quo laborandum nitendumq; esse dicimus? Pudet me iam priorum DANIELE, & deijcior animo, ut illa in Apologo mula Lydia. quæ incitata cursu, & exultans de pastu, ad equorum armenta festinasse: cumq; in fluuio fortè se contemplata, & recordata originis fuisset suæ, lento et solito gradu, demissa ceruice, ad mulas redijsse perhibetur. Quàm enim extulerimus & magnificerimus hoc studium, meminisse potes. Quod si iam dicamus in minimis, & ijs quorum ueteres ne rationem quidem exponendam ullam sibi putarint, uersari, quid est causse quin pudore obuoluto capite aufugiamus? Multum, inquit ille. Nam & ego Apologũ tibi renarrabo. Si ut illa simia, quæ pulchellam & dilectum simiolum suum cum amisisset, captum à uenatoribus, alterum fœdiusculũ & inuisum prius, tum esse postea mirificè complexa fertur: nos item quæ habemus, & quæ reliqua sunt, boni consulamus & amplectamur: tum uero hæc qualiacunq; sint, parua quidem ac minuta (agnosco enim quæ dicas, illa nimirum elemẽta linguæ Latinæ) tamen eiusmodi esse constat, ut sine hoc quasi fundamento, nullum egregium ædificium, quæ plurima extructa fuere, omnino excitari aut subsistere potuisset. Esto, inquam, mi DANIELE. Et nos suprà quosdam splendores etiam in hoc studio conati sumus ostendere. adiuuemus uero alter alterum, in quo non discrepauerit iudiciũ nostrum: quicquid alij dicant ac sentiant. Quasi uero hoc agamus, inquit, ut improbantes hæc redarguere, ac non potius nostrum propositum uel corroborare uel consolari uelimus. Exequar igitur, inquam, quod cœperam. Et hoc subiectum dicã esse studio atq; diligentiæ nostræ, in quo omnis imitatio uires suas intendat, ut quod ueteres domo attulere, & à matribus in forum, atq; (si hoc addendum) in ludum & magistros, quod illis minimum, quod contemnendum ac puerile uisum, studeamus consequi facultatem mediocrem Latini sermonis, eiusq; plani atq; perspicui & puri, atq; etiam non prorsum nudi, neq; inornati. In quo etiam ipso statim magno onere leuamur, & consulitur admodum socordiæ ac inertiæ nostræ. Non enim hoc quicquid est, quærimus ad eloquẽdum oratione, ut in eleganti & sincera pronunciatione literarum nobis tempus studij nostri terendum sit. Quis enim ausit iam sperare omnino uitationem putidæ expreßionis literarum? quis ullius uitij, quæ innumerabilia obscurando, extenuando, inflando, deprauando literarum sonos atq; tenorem, admittuntur? Ne ego dicam de ijs, quæ ad uocem & actionem quãdam eloquentiæ quondam pertinebant, nunc sunt obtrita & extincta. Ad scriptionem igitur omnia illa quæruntur, nunc quidem, & eruditionem doctrinæ

ctrinæ ac literarum. Quæ si contemnimus, licet etiam hanc curam & hunc laborem perridiculum esse ducamus. Sin id facere uel nolumus, uel non possumus, fieri nequit, quin ob demonstratum iter, quod ingressi accedere ad speratum concupitumq; bonum, aut etiam peruenire posse uideamur, non parum gaudeamus, ac potius beatos nos esse existimemus. Non enim, mi DANIELE, tantum ille Imperator Græciæ & rex regum Agamemnõ, toto animo exhilaratus fuit, cum se aliquis successus capiendi Ilij ostendit: neq; tum, quando Pergama Troiæ cepit atq; euertit: sed unicuiq; magnam uoluptatẽ affert quacunq; in re quam appetiuit, benignitas fortunæ, & casus prosperi: &, ut Euripides ait,

Quam quisq; rem expetiuit fortè animo suo,
Minoris haud putat, atq; cepisse Ilium.

Quare si his placuit nos dedere atq; addicere, neq; parua, nec contemnenda esse ducamus: sed ut amatores, undiq; augeamus comprobatione nostra. Atq; de quo agimus, hoc sciamus esse nunc propositum, ut discamus magno cum labore & incredibili studio, Latino sermone uti in scriptis nostris, quibus inuenta & excogitata animi explanare & declarare uoluerimus. Huius autẽ sunt partes præcipuæ duæ: uerba ipsa per se, & inter se coniuncta atq; deuincta. sic enim nobis est aptum distinguere. Atq; horum doctrinam reliquimus Grammaticis: quorum hoc esse officium uoluimus, ut non solum traderent ea uerba pueris, quæ sine omni ambiguitate Latina esse constaret, & bona, qualia nisi de optimis autoribus eius linguæ excepta, nulla fuerint: eademq; ut ita tractare atq; uoluere usurpando docerent, ne quid in flexu & obliquatione quadam, tẽporibus, generibus, numeris discreparet aut peruerteretur: sed etiam ut ad significandum ea quæ uellent, aptè ac quadratè illa iungere & construere assuefacerent, tali quidem modo quodam, qui nõ tantum ad præcepta Grammaticæ, sed exemplum quoq; & opus ueterum responderet. Vt, si forte hoc esse obscurius dictum uidetur, cum rectum sit Facere iniuriam, hoc est inferre: damnum facere ne sic dicant, sed dare. neq; habere se aliquare opus, sed necesse: Gratiam non scire, sed confiteri. Quæ in genere notasse, explanandi dicti caussa, sufficiat. Patet autem hoc latissimè, & omnes figuras Latini sermonis, id est totam proprietatem illius complectitur. Hæc si pueri, siue adulti repuerascẽtes, ut nobis necesse est, à Grãmatico ad doctorem imitationis attulerint: tum ille susceptis quos Latinum sermonem perdoceat, aliam proponet distinctionem illius, rerum, uerborum, compositionis. Rebus, sententias maximè designamus: uerba autem his

Quomodo ad hãc peruenit.

Vide pag. 23.

De hac pag. 101 & seq.

Vide pag. 82

bis conuenientia & idonea accommodabuntur, componenturq; hæc omnia ut similia antiquorũ scriptis sint. quam dum similitudinem inducet ille magister cohortatione & doctrina sua, scilicet exemplum proponet perfectissimum atq; optimum, & id quidem (ut nos obtinere uoluimus) Ciceronianum. Sed quia, si ab illo, quem fingimus, Grammatico hunc discipulum acceperimus malè institutum, aut etiam corruptum, nouus labor oriatur: ideo in illius etiam scholam introcamus, & quid ab eo expectetur, disseramus. Id autem est tale, ut primum quandam tradat pueris suis literarum syllabarumq; ac uocum cum proferendarũ, tum scribendarum scientiam exactam, & quoad fieri his temporibus potest, certam atq; absolutam, ut ne quid proferendo quasi infuscent, sed serena omnia reddant: nihil negligenter, somniculosè, confusè balbutientes enuncient, sed accuratè, alacriter, distinctè, sonorè. Tum exarare discant literas figuris uenustis, & illas ductibus elegantibus connectere, atq; dictiones pulchrè describere. Iam autem statim incipientibus lectioni scriptioniq; operam dare, omnia proponet eiusmodi, de quibus nullum secuturæ spei periculum creetur. Ea erunt scripta ueterum autorum incorruptæ linguæ Latinæ. Ab his initijs mox ad inserenda cognitioni puerili uerba, & earum naturas atq; proprietates demonstrandas, tum cõstructionẽ illorũ aggredietur. In quo multo maximè aduigilabit, ne quid perperam aut praue uel ipse tradat, uel discipuli rapiant. Itaq; etiã tum potissimum scriptionibus confidet, & conseruari quàm optimè rectitudinem posse credet, si illam sub stylum subigat atq; subducat. Itaq; & discipulos suos crebro scribere iubebit, cõuenientes ætati & captui illorum materias: & ipse scriptis eorum suum aliquod mox componet, & de hoc emendare ipsos sua iubebit. In hoc autem totis uiribus & summo conatu incumbet, ut quàm lõgissimè abstrahat à uernaculi sermonis quasi natura, & Latini proprietatem ipsis inserat. Hic est ille campus figurarum notandarum, quem sæpe iam indico, qui & multorum opera atq; industria, de quodam exiguo spacio admodum ingens & patefactus indies magis aperitur. Quorum tamen quasi accumulatis fructibus eruditionis, qui contentus esse potuerit, similis mihi uidetur locupleti sanè, sed non bono patrifamilias: qui cum quæ uillicus de agro miserit, cum copiosa sint & eximia, nihil quærat amplius, neq; qua bonitate fundos habeat, ipsumq; solum possessionum suarum, & ea loca ubi illa prouenerunt atq; creuerunt, non cognoscere neq; aspicere studeat. Atq; etiam (non enim omnes qui ista colligunt, eodem iudicio atq; diligentia faciunt) tum ualde est considerandum magistro, ut quia promiscuè de diuersis

Ratio instituendi pueros.

autoribus, omnibus sanè bonis atq; laudatis, excerpta & percepta afferuntur, nequa sint tamen eiusmodi, ut aliquando in orationem adhibita, parum eam Ciceronianam redditura esse uideantur: in quibus tamen discrepantia modica ab imitationis magistro facile corrigetur, multæ autem & magnæ sunt ferè inemendabiles. Ego quidem sentio me inscium eò delapsum, ut iam etiam docere atq; præcipere non dubitem, quod neq; posse neq; uelle me facere dixeram. Tu uero taces, & me quasi delirare cum bona uenia tua pateris, neq; inhiberi à te iubetur quasi remigatio hæc sermonum nostrorum.

Placet enim mihi cursus, inquit: cui ego uentos secundos illud numen nescio quod Homericum, Mineruam quidem opinor, insuper aspirare, tantum abest ut retineri aut conuerti uelim. Sed nos tamen moderabimur, inquam, ac in Grammatico ludo paululũ etiam nũc commorati, perueniemus mox ad narrationẽ ineptiarũ nostrarũ. Hic igitur Grãmaticus ualde esse debet perspicax, primũ in nominib. ijs, quæ ad alia adijci cõsueuere, ut quã adiectionis illorũ rationẽ ueteres seruarint, deprehẽsam pueris exponat. ut Hominem insanum dici, & insanas substructiones, insanũ negotiũ. Est enim diuersitas maxima earum rerũ, quibus idem uerbũ illud adijcitur. ne in his uero quidẽ ut opinor, ualere nostra existimatio, sed ueterũ debet autoritas. Talia sunt: Sapiens consul, & consilium: Apricus campus, & Apricis statio gratissima mergis: Noua res, domus, consul, equus, iudicium: Mendicus homo, & instrumentum: Pauperæ mulieres, & pauperæ res: Cautus, & pars cautior: doctissimi uiri, & libri: Senex Cato, & memoria: Formidulosus homo, & formidolosa tempora. ita Ciues religiosi, & religiosissima delubra: ita Homo ignauus, & disciplina ignaua: Periculosa nauigatio, & Periculosus sicut inofficiosus: petulans homo, & dictum: Longa uia, fabula, longior opinio. In quibus ipsis si uariatur significatio, maiore etiam est attentione opus. ut in superiori exemplo, formidolosus homo, timidum: tempora formidolosa, metuenda significant. In hoc genere etiam manifestius est hoc: Minus clarum putauit fore, quod de armario, quàm quod de sacrario esset ablatũ. &: Etiam hæc, quæ sunt certissima & clarissima, relinquam. &, Patre tuo clarissimo uiro. Nam & simpliciter illo uerbo Claritatis, & in utranq; partẽ uirtutis atq; scelerum celebritas innuitur. Tale est, Nobilis latro, & nobilibus trimetris. &, Amisisti quod plurimi homines nobilissimi. Arbitror satis planum factum esse à me, animaduersionem adiectionum qualem esse conueniat, uel qualem quidem nos uidimus esse. Cuius intelligentia quamuis observationis sit cuiusdã adultioris, & robustioris studij, quàm puerile esse possit, tamen

Adiectiuorũ nominum ratio.

Ad At. xiii.

tamen iam tum quoq; hæc indicanda sunt tanquam digito, ut dicitur, protenso. Sed propria & peculiaria nomina adiectionum in exemplis, exquisita cura proponet. ut Vir fortis, mulier formosa, templum augustum, tyrannus crudelis, parricida impius, facinus nefarium, iustum aut iniustum iudicium. Similiter & in uerbis, quæ ita propriè uocamus, quorum ipsorũ adiectiones sunt quæ dicũtur Aduerbia. ut Miserè amat, cupit: malè metuit, peßimè odit, auidè expectat, arctè dormit, acutè cernit, liquidè audit, sagaciter odoratur, clarè loquitur. cui rei permediocris diligentia magistri satis facere poterit. Tum quæ annotata & tradita sunt à multis doctis & diligentibus uiris, de eleganti usu singularum partium, quibus oratio perficitur, & coniunctarũ etiam inter se. Hæc igitur pueri apud Grammaticum legẽt, atq; cognoscent. Quem ego non alia de causa ab imitationis magistro separo, nisi ut maior in hac re difficultas, & opus grandius esse intelligatur, quàm creditur & expectatur ab illis magistris & præceptis, quibus uulgo administratur institutio puerilis. Nã hæc omnia, de quibus tam magnificè loquor & disputo præclare, puerilia esse sentio & fateor, optarimq; in scholis exerceri ac ualere: non ut uiris, uel etiam senescentibus, sed ephebis et adolescentibus perficiẽdum esset hoc quicquid est eruditionis, & in reliquam uitam transferendũ atq; usurpandum in optimarũ rerum atq; artium cultu & tractatu. Tales igitur ludos aperiri, & aliquando hæc in scholis studia excitari atq; florere optemus, & precemur Deum. nam ab humana ope, uereor, ne penitus desperandum sit. Speremus tamen, inquit ille, & quam quasi oppressit Epimetheus, ut esset in hominum potestate, deam non emittamus. Si libet, inquam. sed mihi profecto illa sensim elabi solet. Noui enim, inquit, despera tiones tuas. Sed ad propositum. Nunc igitur tu, ne quæso derideas inquam me, neq; illudas meos in hoc studio perquàm friuolos conatus. Nam quid ego mihi quasi artis & rationis tanquam de luto finxerim, exponam. Cum orationem igitur in res & uerba, & compositionem tum horum inter se, tum illigationem in hæc illarũ uelut in genera quædam tribuere cœpissem: ibi igitur quia nihil sine uerborum tanquam instrumento peragi posse cernerem, cœpi illa notare primum communia, tum uero deinde insignia & eminentia, de quibus similitudo concupita maxime scilicet emicaret. Quia autẽ uidebam usuuenire in hac mutatione morum, uitæ, rerumpub. Imperij, diuersitate gentis, sententiarum atq; opinionum abhorrentia, persuasione etiã quadam maximarum rerum singulari, ut uocabulis nouis esset sæpe utendum, ualde hac in parte Ciceronianam tanquam incudem instruere studebã, qua

pag. 60.

De Verbis. I. seu Vocabulis

quæ illa fabricarentur. Et quia illorum nouitiorum frequens esset forma de
nominationis, ideo non solum quo modo Græcas ille uoces Latinè uertisset,
sed ōēs denominationes uel ignotiores uulgo, uel (ut uidebantur) audaciores
annotare sum aggressus, et quasi seponere. Ex quo hoc cōsequū mihi uidebar,
ut in omni interpretatione & deductione noui alicuius uerbi, Ciceroniañ
filum sequerer. Verba autē in uniuersum autoris omnino nullius Latinæ lin-
guæ respuebam, antiquiorum uero studiosissime congerebam: sed sic assume-
bam tamen, ut quadrare ad constitutæ rationis usum ac consuetudinem uide-
rentur. Atq; uel in primis ea obseruabam, quæ flecti uariariq; terminationi
bus non solent. quod in his appositè aut secus usurpatis, uel elucere imitatio
nem, uel manifesto deprehendi dissimilitudinem arbitrarer. Sed omnis obser
uatio erat significationis & ordinis. sed quoniam facta est antiquorum uer-
borum mentio, quæ nunc constituto Ciceroniano seculo priorum ætatū intelli
gi necesse est, dicamus de ijs si uidetur pluscula. Ita enim, inquit ille, nihil præ
terieris, quod animaduerti in hoc sermone debuisse uideatur. Cū igitur anti
quitatis, inquā, omnium iudicio & naturali quodā sensu magna sit autoritas
atq; dignitas, cumq; illa quod sit posteritatis magistra reuerentiā summam
mereatur, fit ut, nisi frequentata uitio illo quod Græcè κακοζηλία dicitur,
uerba prisca orationem nunquam deformare soleant: præsertim cum rudio-
ra, neq; ad consuetudinem Ciceronianam & usum orationis illius satis ex-
polita, diligentiam & consideration em studiosorum fugere non possint. Cū
sic uero etiam assumuntur, ut de industria factum esse constet, siue est ita no
tum aliquid ut unde sit appareat, seu etiam ipsam antiquitatem nominatim
ostentamus: tum uero inter illas gemmulas figurarum propter raritatem
usus numerari debebunt, ut sunt quæ exempli causſa paucula commemorabo.
(cui enim nō plurima uel succurrunt, uel reperire in promptu est?) Perpauc
faciam, indipiscor, consuadeo, dierectus, autumo, medioximus, mediastinus,
pausa, clueo, mendaciloquentia, turpilucricupidus. Nam in quibus uctores
etiam ipsi manifesto lusere, quid attinet recensere? Absumedo, dentilegos,
scrofipasci, uaniloquidorus, nugipolyloquides. Redeo igitur ad superiora.
huiusmodi igitur sunt: Vicissatim, occipio, subleſtus, incipisso, seruaßit, iuſ-
so: quo tamen & Maro usus, sicut & Olli & hoc, pro illi & huc. In hac er
go parte quasi ruditatis, minus, uel potius nihil est periculi. Huius enim
formæ sermonis à perfectione eloquentiæ quasi quoddam Canachi signum
abfuit illa quidem, sed ita ut non solum materia, sed elaboratio etiam & opus
emendationem libenter atq; facile admitteret ac reciperet. Quam perfectam
&

& absolutam bonitate sic posteriores magis magisq; elimando pertuderunt,
ut in proximis statim ineptiarum plurimum deprehendere liceat. quæ sunt
eo minus iucundæ, quo in pleris q; magis offendit nimium quod est, quàm id
quod parum. Quā de re (dicendum enim liberè est) ego ista posteriora, bel
la, facета, emuncta, floridā scripta, in hoc quidem proposito nostro, ut senex
Plautinus nouos & facetos mores & turbidos, nihil moror, quibus boni de
decorant se. Priscorum certe scripta, quantulumcunq; reliquum illorum est,
si quis sedulo & industriè, multumq; ac diligenter euoluat, non solum copi
osam quasi supellectilem sibi Latinitatis comparaucrit hoc studio suo, sed eti
am (quod plurimi fieri à nobis necesse est) hoc consequetur, ut antiquitate
scilicet perspecta, minus offendatur nouitate in scriptis Ciceronianis. Quid
enim obsecro Cicero ipse, an non est fassus, quanti priscorum autoritatem fa
ceret, cum testimonijs illorum quæ ipse dixisset comprobat? Quid quod ob
summum amorem et cultum illorum, pulcherrimum illud genus exercitiorū
quod Græce dicitur προάφρασις, in suo sermone respuit, ne deterioribus uerbis
uti assuesceret. Sed immorandum & huic loco, uel potius paululum insisten
dum, ut excitetur tua harum quoq; rerum cogitatio & cura. An non igitur
quàm diligens lector ueterum Cicero fuerit, ut omittam alia indicia manife-
sta, illa declarant, quæ de Terentio excerpsit atq; usurpauit? ut hoc: Aderat
frequens, aduocabat, omni studio gratiaq; pugnabat: Cum remiserant dolo-
res pedum: Vel mori satius est: Quid ais bone custos, defensorq; prouinciæ.
&, Timarchides columen familiæ uestræ: Potius doloris quàm eloquentiæ
partes esse susceptas: Longum est dicere: Quid hoc homine facias? An du
bitamus, quin hoc Terentianum, Tacent, satis laudant: Ciceronianum illud
effinxerit? Tacendo loqui, non inficiando confiteri uidebantur. &, Testi-
monij illius dictio: huius causſæ dictionem? Hoc uero, Quæ nunc est aduxo
rem tuam: illud, Erat ad portas cum imperio? & innumerabilia huius for-
mæ alia. Quàm multa hoc? Hic ego, quàm multa? Nam nescias, an eius sit
potestas posthac uel nunquam tibi. Quàm multissima autē illa concisa, quo-
rum præcipuum exemplum: Funus interim procedit, sequimur: & cæte-
ra. sunt enim tibi nota. Sed hæc colligere nimis longum, neq; id nunc agitur.
Quid autem? an non illud assensionis ac concessionis, AVDIO, Terentianū
est? quid? Male audire? unde hoc natum? Optimè se ostendunt: nisi inde, Sed
ut olim te ostendisti. An uero obscurè expressit ista? Ego Pamphile, hoc tibi
pro seruitio debeo. &, Ego te postquā emi. Et, Ego Pamphile esse inter nos.
De quo quidem mox inter alia Ciceroniana dicemus. Rursum, Scribitur Hera-

Qu. Fr. Phil. xii.

raclio dica: &, Tibi scribam dicam. Vel quod ipsi cupio Glycerio: Quid ego Fundanio non cupio? Vt redeat iam in uiam: Redeamus in uiam. Id est profecto: pro Quintio. Id erat profecto, credamus hoc. Te esse huic rei caput: Caput enim esse arbitrabatur oratori. Applicat primum ad Chrysidis patrem se: Meq; ad eundem quem Romæ audiueram, Molonem applicaui.

De Cl. or. Att. v ii.

Equidem istuc Chreme æqui boniq; facio: Tranquilliß. autem est animus meus, qui totum istud æqui boni facit. Amici omnes modo uno ore omnes autores fuere: Ego quidem tibi autor non sum, ut te urbi committas. Sicut & Plaut. Autor tibi sum, ut me amando enices. Hæc pauca, sed ut hoc loco multa, ad incitandam curam tuam commemoraui. Non enim te diligenter quidem cogitare solum uolo, posteriores à prioribus loqui didicisse, quod aliter fieri non posset: sed etiam quæ imitandi illos industria fuerit eorum, qui eloquentia præstitere reliquis, ut non uulgo, sed doctis esse magistris usi uiderentur. Verum quàm cupidus fuerit Terentiani sermonis Cicero, ipse maximè declarat, cum Catonem introducit fatentem se libenter Terentiano uerbo uti. Atq; illa superiora, scito, sicut omnes facimus, pro mea opinione, ut quæq; maxime insignia uisa sunt, me collegisse. alia fortasse censebunt alij. Neq; tu DANIELE, in huiusmodi re ullius potius studio & industria delecteris, aut labori atq; iudicio fidas, quàm tuo. ita enim cum & ipse quæsieris, & non aliena opera parata acceperis, magis etiam intelliges bona tua, & lucrum uberius senties. deniq; non tanquam oculis captus alieno lumine dirigeris. Immiscui autem uel hanc ob causam longiorem his de rebus mentionem, ut cum uideres tantum tributum esse Terentio ab autore & principe eloquentiæ Latinæ, multo etiam uehementius illum amares, & arctius complecterere, quem non soles ferè de manu deponere. Sicut uero Cicero à uetustate, multa studiose quasi implicuit suæ orationi, ita illi quoq; antè fecerant, ut & ipsi à prioribus quæ probassent, ad se transferrent. ut Plautina Terentius hæc, quæ deinceps memorabimus: utinam liceret etiam aliorum exquirere. Credo, inquit ille, te ex animo optare. sed cogitanti mihi interdum, uidetur ista penuria scriptorum ueterum nonnullam commoditatem nobis afferre. Nam studium nostrum astringit & continet, ac diligentiam & assiduitatem, tum etiam attentionem & curam excitat atq; extundit: quibus, ut opinor, mens acuitur, & ingenia confirmantur. Sed tu quæso illa Plautina, quæ aiebas, commemora, atq; plurima quidem. Quæ mihi, in quam, in memoria erunt, & eximia uidebuntur. Vt illud, Præ ut futurum est. &, Audaciæ columen, In oculum utrumuis conquiniscito, oculum, an in aurem?

Plautina à Terentio usurpata.

aurem? Male conciliati: Pernicies adolescentum: Iuuabo aut re, aut opera, aut consilio bono: Rem actam agis: Si patrissat filius: Statur hic ad hunc modum: Quod tua nihil refert, ne cures: Dabo aliam pugnam: Seruiat suo sibi patri: &, Sua sibi fallacia: Vt sæpe iam in multis locis, plus insciens quis fecit, quàm sciens, boni: Nunc obsecro te Milphio hanc per dexteram: Faciam huius diei, lociq;, meiq; semper memineris: In noxia es: Ventum facite ut gaudeam. Tantum est. Satis ne multa? Si uidetur tibi, inquit. sed nũc hoc mihi da operæ, ut singula hæc quasi marites Terentianis. Quin ipse facis? inquam. Quia te malo, inquit. Fiat igitur, inquam. Ordiemur autẽ à primis. Vide enim: Præ ut huius rabies quæ dabit: Columen uero familiæ: In aurem utramuis ociosus ut dormias: Male conciliate: Pernicies communis adolescentum: Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero: Ohe, actum aiunt ne agas: Laudo Ctesipho, patrissas. Quid agitur? statur. Tua quod nihil refert, percontari desinas. Dabit hic aliam pugnam denuo. Suo sibi hunc gladio iugulo. Plus hodie boni feci imprudẽs, quàm sciens ante hunc diem unquam. Quod per hanc ego te dextram oro. Faciam, ut huius loci, dieiq;, meiq;, semper memineris. Hic in noxia est. &, Virgini uentulum sic facito. Tãtum est. Sed redeo nunc, longo sanè interuallo, ad ea uerba, quæ ad imitationẽ præcipue nos cœpisse obseruare, & quasi seponere diximus. Nihil est enim certe in hoc genere à nobis perfectum, inchoata quidem & tentata multa. Huius igitur notæ erunt: Fistulator, brachati, mastrucati, essęda, essędarij, adipale, opacare, ordinare, uultuosus, actuosus, suspiciosus, laboriosus. imperiosus, qui imperium teneat: ut, Imperiosorum populorum & regum illustrium. assentatoria. Quotenorum iugerum, ut ducenorũ. Plautus dixit Quotumodie, ut septimo. mœstitia, ægrimonia, principatus, morigerari, exaggerare, præsidium statuum, expultrix. zonarij, ut tabernarij & tabellarij. mensarius, superbiloquentia, turpificati, confisio, conflictio. tibicini modi, ut ludus fidicinus. primoribus labris, audientia, sermocinari, procrastinare, coæquare, ostiatim, corollarium. nauicularia, ut argentaria. amandare, periclitari. receptum, sicut promissum. pedetẽtim, conscelerati, celebrari, obsoleuit, acerbatim, abortio, cancelli, disceptare, discriminare, mitificatio, atratum, illecebra, relaxare, quadrare, enucleate, exulcerare, & causa exulcerata, ordinatim, conciliatricula, aggregare, commodare, contemtio, mirabiliter, pacificatoria legatio, mirifice, furenter, largiter. Hæc omnia, & alia quidem multo plura, uel sunt, uel mihi uidebantur insignia & eminentia, simul ad speciẽ ipsam, simul etiam ad usum, & quasi fabricam nouorum. Quot enim hinc

pag. 64. u. 4.

Verba nouitia apud Cic.

procudi similia posse censes? concesso iure scilicet, quo licet, semperq; licebit, ut Horatius ait,

Signatum præsente nota producere nomen.

Nota igitur ipsa inuenta, & constituta, non tanquam nummos adulteratos, mala uerba in oratione Latina spargemus. Quæ quidem à nobis proponitur Ciceronianæ imaginis, effingenda & exprimenda uniuersis, qui huius linguæ famam ambiuerint: ut est copiose disputatum. Neque minus sedulo animaduerti traductiones illius, Græcorum uerborum, & uersiones in Latina: ut quæ exempli caussa paucula referam. καλόν, honestum. τέλος, finis, & ultimum. ἡδονή, uoluptas. ἰσονομία, æquabilitas. ἐπιθυμία, cupiditas. πάθος, perturbatio. πρᾶγμα τι παθητικὸν ἐκ δυσεντερικῆς πάθης, ὑποχόνδριον οὐκ ἀποκλίνων: Tanti autem morbi aderãt uesicæ & uiscerum, ut nihil ad eorũ magnitudinẽ posit accedere. ὁρμή, appetitus et appetitio. θυμοειδὴς, iracũdus. Sophismata, fallaces conclusiunculæ. πρόνοια, prouidentia. ποιότης, qualitas. εἶδος, forma & species. Similiter & ἰδέα. προηγμένα, præposita. ἀποπροηγμένα, reiecta. λόγμα, decretum. ἀπόδειξις, argumenti conclusio. κατάληψις, compræhensio. ἐναργεία, perspicuitas, & euidentia. ἔννοια, notitia. ἄδηλα, incerta. ἀναλγησία, indolentia. πανήγυρις, mercatus, qui haberetur maximo ludorum apparatu. νόσημα, morbus. ἀῤῥώστημα, ægrotatio. φιλογυνία, mulierositas. θύμωσις, excandescentia. σωφροσύνη, moderatio, temperantia, modestia. κόσμιος, frugi. ἀκακία, innocentia. σχήματα, gestus. ῥυθμός, numerus. εἰρωνία, dissimulatio. σωρίτης, acerualis. περίοδος quidem uariè ab illo, similiter & ἐπιμονή ἐστιν ἀπὸ φυσικῶν ἐπιχειρημάτων. Quid uero illa singularia, an non magnopere adiuuare, diligenter annotata poterunt? Directos in quincuncem ordines, quod apud Xenophontem est. Λί ἴσαι δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι. Et apud eundem, μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιφοιτῶσι. Minuta & roranti pocula. Et, ἢ σίτῳ ἢ μέθῃ πλησθέντα σκιρτᾶ: Immoderato tumefacta potu atque pastu exultare. Et, οὐδὲ ἀνοίας οὐδὲν ἐλλείπειν, οὐδ' ἀναισχυντίας: Cum temeritate atque impudentia. Item hoc totum, ἐγὼ μὲν καὶ αὐτὸς ὑπὲρ Πρωταγόρα καὶ Σωκράτους, ἀξιῶ ὑμᾶς συγχωρῆσαι μὴ ἀμφισβητεῖν μὲν, ἐρίζειν δὲ μή. Quod Cicero interpretans Protagoram Platonis, ut à Grammaticis ille locus adducitur, sic fecit: Nunc à uobis Protagora & Socrates postulo, concedatis alter alteri, & inter uos de huiuscemodi rebus controuersemini, non concertetis. Iam illæ figuræ eximiæ linguæ Græcæ diligenter obseruatæ, quãtum adiumẽti ad hoc quod agitur allaturæ uidentur? Vt quæ mihi iam in mentem ueniunt. exemplum enim demonstrandũ uidetur. λόγῳ καὶ ἔργῳ. Εἴτις

Ex epistola Epicuri.

De Senect. Oeconom.

Conuiuio.

De Diuin.

Πολιτειῶν β'.

Prisc. li. VIII.

εἴτις καὶ ἄλλος: Verbo & re, & in Dialogo de Amicitia, opere. & de Fin. 3. Erat enim, si cuiusquam, certe tuum. & Atti. lib. 6. Quod si cuiquam, huic tamen non. ἔστι ὅτε, Est ubi id isto modo ualeat. Item, πλέον ἄγαν, nimiũ quantum. Item, ὅπως. de Finib. 5. Sed ne dum huic obsequor, uobis molestus sim. Sed hæc iam regulam uerborum excedere uidentur. Satis autem, quãuis pauca, indicare poterunt, quales tanquam typi exquirendi præparãdiq; sint signorum Ciceronis, de quibus orationis illius similitudo undiq; exprimatur atque existat. In quo quidem est, ut Comicus ait, omnibus in medio palma posita, qui pulchritudinem & decus concupiuerunt eloquentiæ Latinæ, quam illi imitationis studio atq; industria certatim appetere debebũt. Sequitur illarum particularum respectus, quæ suam quandam formam semper seruãt, neque in aliam se declinari patiuntur, de quorum consentaneo usu reddi insignem maxime orationem Latinam aiebam. In his igitur potiß. ordo & significatio notabatur. Ordo: ut, CVM, TVM, TAM, QVAM, ENIM, AVT. Significatio autem. Ibi ille: Nihil, inquit, ista mihi profuerint. neq; tu tamen aliud acturum te significasti, quàm ut meis commoditatibus inserui res. Nunc tu quasi præstigiator, uibrata & circumacta prius omnino, quàm aspicere potuerim, aufers, & intra cortinam recondis. Quæ, nisi tanquam auarus mercator, ordine collocaris, & explicueris, atque etiam extruxeris & ornaris, me quidem nunquam profecto capient. Sed sic, inquam, tamen satis longi sumus: & istas explicationes & collocationes, in quolibet Grãmatico libello contemplari ociosè, cum uoles, poteris. Ego uero nolo, inquit, amandari hoc studium meum à tua expositione: sed te uel tua, uel alienа commemorantem, audire uolo. Ergo ut uis, hæc exemplis (inquam) locupletemus. CVM igitur, & TVM, particulæ quædam non simpliciter distinctæ, sed etiam quasi coaceruatæ oratione sententiæ sunt. ut: Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia bona dicere. Et antecedit quidem CVM, sequitur autem alterum: In quo etiam si multi mecum cõtendent, tamen cum reliquis omnibus, tum Craßis tuis iudicibus, omnes facile superabo. Similiter & TVM repetitum, ea quæ ponuntur distinguit, & accumulat. Additurq; ad illud quod posterius est, sæpe distinctionis aut exaggerationis particula. Quorum ista exempla esse possunt: Noui animum tuũ mihi amicissim. tum nulla in cæteros maleuolentia suffusum: contraq; cum magnum & excellsum, tum etiã apertum & simplicem. Tum enim censet imagines diuinitate præditas inesse uniuersitati rerum, tum principia mentes q; quæ sunt in eodem uniuerso Deos esse dicit: tum animantes imagines, quæ uel prodesse

Tuscul. V. «

Particula indeclinabiles. pag. 64.

Cũ & Tum. vide pag. 74. «

Ad Graff. lib. epist. V.

Ep. lib. I. De Nat. D. I. « «

Epist. lib. VI. nobis solent, uel nocere: tum ingentes quasdam imagines, &c. Quantum sa
» pientiß. uirorum monumentis atque præceptis, plurimoq; (ut scis) doctri-
Att. I. » næ studio: tum magno etiam usu tractandæ reipubl. &c. Deinde uidi no-
» stros publicanos facile à Senatu disiungi, quanquam à me ipso non diuelle-
» rentur: tum autem beatos homines hos, piscinarios dico, amicos tuos, non
obscure nobis inuidere. Quo quidem loco, Tum, repetitum non est. Sicu-
» ti & in Bruto: Longius autẽ procedens, & in cæteris eloquentiæ partibus,
» tum maxime in celeritate & continuatione uerborum adhærescens. Sed
Att. IIII. redeo ad superiora. Nam & simpliciter ita geminatur: Pro quo emori tum
Att. II. pie possum, tum libenter. Et cum adiuncto: Et tum Græcos, tum uero La
Nb. pro Sylla Cat. IIII. tinos. Similiter & CVM sequens adiunctum habet: Cum sit charum, tum
vide Cũ gñ. De Fin. III. uero dulce atq; iucundũ. Idq; cum Græcis, tum magis nobis. Cum multis
Tusc. III. in locis nostrorum hominum ingenia uirtutesq;, Brute, soleo mirari, tum ma
xime his in studijs. Et enumerationis seu ordinis est, sicut Deinde: Primũ
Cat. III. quod mihi gratias egistis singularibus uerbis, & mea uirtute perditorum ho
» minum patefactam esse cõiurationem decreuistis: deinde quod P. Lentulum,
» ut se abdicaret prætura, coegistis: tum quod cũ, & cæteros de quibus, &c.
Tam et Quam. TAM, & QVAM, comparatiuæ particulæ, hoc ordine semper inueniuntur
collocatæ, ut Tam præcedat, Quàm sequatur. Cuius exempla fortasse memo
rabuntur deinceps. nam frequentatio horũ Ciceroniana prorsus est. ENIM
Enim et Nam. postponitur, NAM antecedit. Sed sunt etiã alia multo plura, & ut opinor
de his ag. pag. 72. m. 17 minus animaduersa uulgo, obseruanda nobis. de quibus & ipsis, si uidetur,
nostros conatus & adumbrationes, atque etiam (ut Græco uerbo dicam) μι-
κρολογίαν, tibi demonstrabimus. Ita prorsus facies, inquit: neque quicquã,
quod notandum censeas, præteribis. Immo uero, inquã, permulta necessa
rio: quæ scilicet aut in memoria non sunt, aut me fugiunt. Nihil est enim in
pag. 67. m. 20 hac parte, ut dixi, à nobis absolutum atque perfectum. Sed hic illud ualde
Etsi. Et Etsi uerumtamen de Ciceronianum, ETSI, nobis in primis occurrit. quod & solum positum,
aliis nostri ratione. Ep. & subiunctũ, & inculcatũ, & præpositũ inuenies. Neque secus eiusdẽ signi
fol. 265. ficationis uoces, QVANQVAM, QVAMVIS, TAMETSI, ETIAMSI.
Ergo. quorum quidem exempla satis scio à te non desiderari. ERGO & præponi
Igit. De Nat. D. II. & postponi solet: Ergo est aliquid melius, Nemo ergo non miser. IGITVR
Itaq. Tusc. ferè postponitur, ITAQVE præcedit: nisi cum similitudinem denotat.
Eqdem. EQVIDEM, postponi quidem & ipsum solere nõ ignoro: sed præpositum,
omnino autẽ in significatione primæ personæ, ualde Ciceroni ssat. Sicut ETSI
Videret Gaiet inf. pag. quoque, cum indicatiuo modo magis, quàm subiunctiuo. VIDELICET,
74. m. 29.

SCILICET,

(QVONIAM QVIDEM) pro Tam.
Vt quoniam quidem his dixit 278.

Quanq; probo sortũ, ad Att. VI. Illud
Quanquã hoc mihi admodũ notoria
inter nos ipsi.

SCILICET, affirmatiuæ particulæ, cum præcedunt, tum sequuntur. SIN Sin Quidem
aduersatiuum, adiunctum sæpe habet Autem. Particulæ QVIDEM, elegan
tißimus est in explenda cum oratione, tum compositione usus. AC POTIVS, Correctionis formæ.
& VEL POTIVS, correctiõis sunt formæ, sicut IMMO, et IMMO ETIAM.
Ego omni officio, ac potius pietate. &: Nam & consilium tuum, uel casus po Epi. lib. VI.
tius, diutius in armis ciuilibus commorandi. Item, VEL MAGIS. de Fin. 3. "
Quanto id uel nobis magis est concedendum. Sed & AVT POTIVS: Cum "
Senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes ha Pro Sest.
beret. Et SIVE POTIVS. Att. lib. 8. Quid perturbatius hoc ab urbe discess- "
su, siue potius turpiss. fuga? Item VEL, & SIVE, sola, ut: Vnũ illud exti- Lib. IX.
mescebam, ne quid turpiter facerẽ, uel dicã iam effecissem. Dixit Põpeius, Qu. Fr. II.
siue uoluit. Et SIVE ADEO: Ne illud quidem cogitabas, huius improbißi- Verr. III.
mi furti, siue adeò nephariæ prædæ, tam illustrem ac tam nobilem ciuitatem "
testem futuram. ET quoq; repetitũ orationẽ distinguit, & quasi extruit, " Et. 7.
ac attollit. quod ex uno hoc loco, qui est in Bruto, facile perspicies. Atqui & "
ita est, inquit, & uehementer placet. Nec uero sine caussa. nam & didicit, "
& omißis cæteris studijs unum id egit, sesq; cotidianis commentationibus "
acerrime exercuit. Itaq; & lectis utitur uerbis, & frequẽtibus, & splẽdo "
re uocis, dignitate motus sit speciosum & illustre quod dicitur. Ad hoc in " Nec
negatione apponitur NEC. Cui nec satis est, quod est: et idipsum quod ha- παραδ. 20.
bes, ne non diuturnũ sit futurum times. id est, cui & non satis est. Quãtum Bruto.
& ipse sperarit, nec ego dubitarim. In uehementioribus quoque clausulis "
eleganter ponitur, ut in hoc Virgiliano:

Et dubitamus adhuc uirtutem extendere factis.

Pro L. M. Et quisquam dubitabit, quin hũic tantum bellum transmittendum " pag. sig. m. 35
sit? In aduersationis significatiõe iungitur sæpe TAMEN cum SED, AT, " Tamẽ. Sed.
VERVM. Sed harum particularum est non tantum in hac usus. nam & am- " At. Vtrũm.
plificationis sunt. ut,

Nec calamis solum æquiparas, sed uoce magistrum.

Pro Milone cauebat magis Põpeius, quàm timebat. Non ea solum quæ timen "
da erãt, sed omnia, ne aliquid uos timeretis. Tum addi plerũq; ETIAM so- " Etiam.
let, uel similis forma. ut ad Qu. Fr. Angor meum non modo animum, sed ne "
odium quidem esse liberum. Neq; id solum mea sponte, sed multo etiam ma Ser. Sulp.
gis monente & denunciante te. Neq; in talibus quasi contentionibus, sed
per se quoque positis illis particulis, ETIAM annectitur. Verumetiam, ut Pro Mil.
intelligo, cauebat magis Pompeius. At etiã restitas fugitiue? Et sunt initia- "
les "

In animis ser reperit, Et absui profiscrons in Graeciã, et postea
de meo consilio &c. Ep. f. 143. Item. Et in Attilij negotio te amanti te
et me hareste semper sic in animo habui. Ep. 226. Et 232 bis,
Et te sine arbitror et ego de ipso audiram. Et libris emendatis et
seruatis omnibus.

les digreßiuæ, quaſiq; indices nouæ mentionis:

At Regina graui iam dudum ſaucia cura.

Orat. De Orat. III. Sed in omni re difficile eſt, formam, quod χαρακτῆρα Græce dicitur, exponere optimi. Sed in ore ſunt omnia. Sunt & cuiuſdã quaſi attentionis, uel commonitionis. Teren. At diligenter, At maturè. At tibi ipſi dicendum erit aliquid, quod non ſentias. Sed ecce nuncij, ſcribente me hæc ipſa noctu in Cale-
Ep. lib. VIII. Att. VIII. Rud. no. Plaut. Sed autem, Quid ſi hanc hinc abſtulerit quiſpiam? Ita & in occupationibus uſurpantur. Sunt & explicationis, itemq; quaſi inhibitionis,
Pro Sest. quam aduerſationem ferè uocant. Si non omnem, at aliquam partem mœroris ſui deponeret. Si non ſubtilius diſputãdum, at certe iudices dolentius de-
» plorandum. Sunt & deprecationum, cohortationũ, reprehenſionis, con-
In Vert. V. cluſionis, interminationis, imprecationum, uoti. At uos cõmunem pop. Ro.
» cauſam ſuſcipite. At te Dij Deæq; perduint, cũ iſtoc odio Laches. Sed tu illũ
Atq nunc animum adhibe quæſo. Atque in his ferè omnibus ſignificationibus
» reperias, & compoſitum ATQVI. Eſt etiam SED concluſiua, ſic: Sed de
Lib. epiſt. VI. his hactenus. Sed hæc lõgiora fortaſſe fuerũt, quàm neceſſe fuit. Sed hæc aliàs pluribus. Additur & ENIM: coniunctimq; pronunciatur ATENIM, SEDENIM. Sed nos hoc non agimus ut doceamus, uerum ut quid diſcendum ſit indicemus. Eſt ſimiliter NAM quoque inuenire, ut SED, uel AT ini-
Orat. tiale, quemadmodum diximus: Nam ſententiarum ornamenta quæ perma-
» nent, etiam ſi uerba mutaueris, ſunt illa quidem permulta. & Terentius: Nã
Porro. quæſiui nunc ego eam. &, Nã qui tibi iſta incidit ſuſpicio? PORRO ſequi
Vero. tur nonnunquam, cum ſignificat prætcrea. Initiale: Porrò Eunuchum dixti uelle te. Et cum AVTEM, ſicut ENIM cum VERO. Quæ particula non ſo-
Att. XVI. lum in quadam ſententiæ diſceßione uoces cõiungit, ſed etiam affirmatiue po-
De Orat. I. nitur: Sæpe præſens & illi oſtendiſti, & uero etiã mihi. Sed is ſi quis eſſet,
Tuscul. II. aut ſi etiam unquã fuiſſet, aut uero ſi eſſe poſſet, tu eſſes unus profecto, &c.
» Item initialis: Fuiſti ſæpe, cũ Athenis eſſes, in ſcholis philoſophorũ. Vero ac
» libenter. Hæc etiam ſtomachantis uox eſt: Id ipſum uirgo uero. Et hortãtis:
Partim. » Moue uero te ocius mea nutrix. PARTIM ſeruit diuiſionibus ſententiæ, ua-
» riè quidem, ſed exempla ſunt in promptu. aut cum genitiuo, ſecundum hoc
» Terentianum: Partim ſum earũ exactus, partim uix ſteti. aut abſolute, iux-
Tuscul. III. ta hoc: Partim quæ perſpexi his oculis, partim quæ accepi auribus. Sõlũ autem ſic poſitũ legitur: Nã cum à primo urbis ortu regijs inſtitutis, partim
Tamen. etiam legibus, &c. TAMEN, aſſeuerationis: Tu tamen interea calido mihi
pro Sex. n. 6. Att. ſanguine pœnas Perſolues. Cum illum plumbeo gladio iugulatũ iri tamẽ

Enim in Vero] Enimuero mihi nec iocandi locus ẽ, ita me multa ſolicitant. Ad Att. 7. Enimuero ingt Craſſus, mirari ſatis nõ queo de Orat. vt illud, Enimuero dare mihil lori ẽ.

TAMEN. ἀνευ πονηρίας, ſunt ſine malitia poſita ἀναντιλόγητα. Tamẽ a malitia ẽ deſumpta. ad Rapyr.

diceret. Et interrogandi forma, ironice: Tamen ne lex eſt? ANTEQVAM, PRIVSQVAM, POSTQVAM, POSTEAQVAM, & interrupta POSTEA VERO QVAM, Poſt non fuiſti quàm, ſunt nota. ETENIM cauſſalis et præcedit & ſequitur: Sim etenim impudens, ſi plus poſtulem, quàm homini à rerum natura tribui poteſt. Sed præcedentis uſus frequentiſs. eſt. DENIQVE, omnino, ſeu poſtremo ſignificat: Denique nullũ eſt iam dictum, quod non ſit dictum prius. Significat & tandem: Sed illam ſpero, ubi hoc cognouerit, non poſſe ſe mecum eſſe, abituram denique. Significat & demum. Plautus Capt. Tum denique omnes noſtra intelligimus bona. Cicero Titio: Quàm ſi eoſdem bona, aut deniq; aliqua repub. perdidiſſes. Attico: Qui enim amiſſo Corfinio denique, certiorem me ſui conſilij fecit, is queretur Brunduſium me non uenisſe. id eſt, tandem. pro Cæcina: Tum amittitur hæc ciuitas denique, cum is qui profugit, receptus eſt in exilium, hoc eſt, in aliam ciuitatem. hoc eſt, tum demum. Quàm benigne denique uſi liberalitate Antonij milites, Imperatorem reliquerunt. id eſt, tandem. &, Ipſe deniq; fatetur: hoc eſt, poſtremo. PRAETEREA, narrationem producit:

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici.

Et exceptionem ſignificat: ut, Præterea neminem. Qu. Fr. Teſtis uchemẽs fui, præterea quieui. Et amplius: Sibi alia præterea centum confecerit. Ad hanc mortem tam repentinam, uocemq; morientis, omnia præterea quæ ſolent eſſe indicia & ueſtigia ueneni, in illius mortuæ corpore fuerunt. hoc eſt, inſuper. IAM, perelegans particula. non cum uſitato modo præſentiam notat, ſed cum aut hanc uchementer duplicatum: aut initiale, quaſi attentionem. ut, Primum iam de amore comperit. &, Iam tum erat ſuſpicio. Iam illud Senatuſc. quod eo die factum eſt, ea perſcriptione eſt, &c. Et tum uero, IAM VERO. De Orat. Iam uero narrationem quod iubent ueriſimilẽ eſſe, recte nos admonent. Item de præterito: IAM INDE. &, IAM VSQVE AB. Et IAMDIV, ac IAMPRIDEM. Orat. In me quidem iampridẽ effectũ eſt, quod futurũ fuit. Et IAMDVDVM. Varietatẽ ſignificat MODO: Meq; inſpectante ſæpe eũ in ſenatu modo ſeuere ſeducerẽt, modo familiariter atq; hilare amplexarẽtur. Modo ait hoc, modo illud. Quo mõ dixit Virgilius:

Nunc acris Orontis
Nunc Amyci caſum gemit. Et,
Iamq; hos curſu, iam præterit illos.
Et. Nunc hos, nunc illos aditus.

QVOMODO, comparatiuum, pro VT. Tuſcul. 3. Prudentiæ uero quid re-

P.D.S. Etenim. Deniq. Præterea. Lib. III. In Verr. V. Pro Cluen. Iam. Mel. Modo. Lentulo. Diuin. I. Quomodo.

k ſpondebis

Jam autem vide Vallam.

» spondebis dicenti, uirtute se esse contentam, quomodo ad bene uiuendum, sic
Tum, seu Tunc. & ad beatè. TVM, seu TVNC, etiam concessionis particula. Teren. Si qui-
Lib. x. dem me amaret, tum istud prodesset. Attico: Consilium istud tum esset pru-
» dens, ut mihi uidetur, si nostras rationes ad Hispanien sem casum accõmoda-
turi essemus. Et idem respondẽs ad CVM, in quadam uelut exaggeratione:
3. pag. 69. Cuius generis eo plura exempla memoriæ mandaui, quod comperissem illud
» in dialogo de Amicitia: Cum sæpe multa narraret, tum memini domi in he-
» micyclo sedentem, ut solebat, cum & ego essem unà, & pauci admodum fami
liares, in eum sermonem incidere. Hoc igitur cum comperissem suspectum
III. mendi nomine esse, pluscula obseruaui huius modi. ut hoc in Verrem: Et cum
» edictum totum eorum arbitratu, quandiu fuit designatus componeret, qui ab
» isto ius ad utilitatem suam nundinarentur: tum uero in magistratu contra
Bruto. illud edictum suum, sine ulla religione decernebat. Quo tempore cum mul-
» ta propter eam curam, quam pro repub. suscepi, grauiter ferrem, tum nihil
» tuli grauius. Item in dialogo eodem illo: Cumq; plurimas & max. com-
» moditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona
» spe prælucet in posterum, &c. Epist. lib. 10. Cum rebus enim ipsis essent &
» studijs beneficijsq; in Rep. gratiss. tum erant grauiss. uerbis & sententijs ple
» næ. pro Deiotaro: Cum in omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicẽ-
» di commoueri soleam uehementius, quàm uidetur uel usus, uel ætas mea po-
» stulare: tum in hac caussa ita me multa perturbant, &c. QVARE &
Quare. Quam obrem. Quãd modũ. » QVAMOBREM aduerbia, relatiua nota: sed in subiunctionibus elegans ho
» rum usus. Tale & QVEMADMODVM. Pro Flac. Nunquã laborant, quẽ-
» admodum probent quod dicunt, sed quemadmodum se explicent dicendo. De
» Fin. 3. Satis autem esse argumẽti uidetur, quamobrem illa quæ natura prima
» sunt, à se ita natura diligamus. Pro S. Roscio: Quid ergo affers? quare id fa-
» ctum putemus. Teren. Multæ sunt caussæ, quamobrem cupio illam abducere.
P.A.C. Tamen admodum mirabar abs te quamobrem diceretur. &: Nihil est, qua-
Quippe. re exploratũ cuiquam possit esse, &c. QVIPPE, affirmatiua, ut Scilicet. sed
» in hac ratio & caussa intelligitur. Ironicõs Maro: Quippe uetor fatis. Et,
» Nos munera tẽplis Quippe tuis ferimus. ut illud: Id populus curat scilicet.
Ciceronianum est & hoc: & simpliciter referri ad superiora, caussalibus uo-
cibus additis, ueluti QVI, CVM, SI. De Fin. 3. Quippe cum Peripatetici om
» nia quæ ipsi bona appellant, pertinere dicant ad beate uiuendum. Lentulo:
» Vbi multa de mea sententia questus est Cæsar, quippe qui etiam Rauennæ
» Crassum ante uidisset. Item pro Milone: Quippe si ille obuiam futurus non
erat.

pag. sup. n. 19

Numirũ Iamvero.

erat. NIMIRVM, tam præponitur, quam sequitur, ita ut ICCIRCO. alteriẽ
dubitationem remouet, rationem reddit alterum. NEDVM, subiunctiuum.
Papirio: Me uero nihil istorum nec iuuenem quidem mouit unquam, nedum
senem. Tamẽ nec C. Popilius, nec Qu. Metellus clariss. atq; ampliss. uiri uim
tribunitiam sustinere potuerunt, nedum his temporibus, his moribus, his ma
gistratibus, sine uestra sapientia ac iudiciorum remedijs salui esse possimus.
Et præpositum: Attic. lib. 10. Tu quoniam quartana cares, & nedum mor-
bum remouisti, sed etiã grauedinem, te uegetum nobis in Græcia siste. PRI
MVM, solum positum. Terent. primum iam hoc de amore comperit. pro Fl.
MVM, solum positum. Terent. primum iam hoc de amore comperit. pro Fl.
Primum patere me esse curiosum. NON ITA multis annis ante. Non ita
multo post. aduerbialiter QVINETIAM: Quinetiam misericordia quædã
consecuta est. SIMVL ATQVE, & AC, et VT, ETIAM atq; etiam, ITE-
RVM atque iterum, MAGNOPERE, nota. NE QVIDEM, auget: soletq;
ferè interponi unum uerbum, aut plura. Quanquam ne id quidem ualde du-
bium est. Ne si tuto id quidem mihi liceret. Ego autem ne irasci possum qui-
dem ijs, quos ualde amo. Sed & OMNINO ad NE respõdet: Ne forte ui-
dear tibi non modo beatus, sed ne liber omnino fuisse. Item, NE QVIDEM
continua: Ne quidem ullum esse malum, nisi quod idem dici turpe posset. Sed
ne quidem de utilitate sua cogitarunt. NON MODO, præpositũ: ad quod,
sicut NON SOLVM, respondet SED, & VERVM ETIAM. Idem subiun
ctum: Et nullum meum minimum dictum, non modo factum pro Cæsare in-
terceßit, &c. VT, subiunctum: Reliquum est, ut quæratur. &, Hoc primum
frater meus in Asia fecit, ut hoc sumptu remigum ciuitates liberaret. Putat
enim etiam, ut sit bonum aliquod, præter uirtutem. Et, VT NE: Finge ali-
quid saltem commodè, ut ne planè uidearis id facere, quod apertè facis. Cõ-
parationem significans. Terẽt. Credo ut est dementia. pro S. Roscio: Vt erat
furiosus. Tamen nobis alio loco, ut se tota res habeat, quod ad eam ciuitatem
attinet, demonstrabitur. Neq; ut unumquemq; uestrum. Item admirationem:
Vt ipse se sustentat, ut omnia uerba moderatur, ut timet? Concessionis: Sed
utut est, indulge ualetudini. Quæ nihil minus ut ego absim, confici possunt.
HIC, indicationẽ generalem significat. Terẽ. Hic ego illum cõtemsi præ me.
Attico: Hic tu in me illud desideras? &: Hic te, inquit, tenco. Hic ego, quantũ
humano consilio efficere potui. VEL, in significatione augmenti: Vel hoc
quis non credat abs te ortum? Pro Fl. Vel quod est in decreto scriptum. &:
Cum uel iniquissimam pacem iustiss. bello anteferrem, uel quas proxime acce
peram, quàm prudẽtes, &c. QVIN, increpandi. Trebatio: Quin tu urges

Nedum.
Cluent.
Primũ.
Pro S. Rosc
Mario.
Ne quidem.
Lentu.
Top.
Att. u.
Mario.
Tusc. iii.
Phil. v.
Non modo.
Lentu.
Pro Flac.
Vt.
Tusc. v.
Pro S. Rosc.
Verr. iii.
Pro D. S.
Pro Flac.
Tironi.
Planco.
Lib. viii.
Her.
Pro Quinct.
Lentu.
Vel.
Cæcinnæ.
Cælio.
Quin.

* Ep. Vt ne qd noui deformat. Et alib., Terent. ut ne nimis Resp. ubi ẽ mihi spes dubias. Et Terentij illud, Vt ne quid nimis

istam occasionem, & facultatem. In contrario auget: Quin ipse hinc euolare cupio. Nam quod significet cur non, aut, quo minus, notissimum. TAMETSI, præpositum: Sed tametsi omnium caussa, quos commẽdo uelle debeo, tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. Subiunctum: Nec id solum quia mihi Cuspius dicit credo, tametsi id satis esse debebat. Tametsi non facile dijudicatur uerus amor & fictus. AC, initiale: Ac me quidem diu cogitãtem, ratio ipsa potiss. in hanc sentẽtiam ducit. Item: Ac mihi quidem uidetur hoc nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse. Ac mihi repetenda est ueteris cuiusdam memoriæ, non sanè satis explicata recordatio. Subiunctum: SIMVL AC, NON SECVS AC, AEQVE AC, IVXTA AC. cui particulæ, in positu & significatione simile reperitur, ATQVE. Iuxta ac si meus frater esset. Non secus ac de teterr. hostibus. Simul ac timere desijsses, similem te futurum tui. Item hoc modo: Nemo erat qui illum reum ac non milies condemnatum arbitraretur. Itemq; hoc: Honos talis pop. Rom. uoluntate paucis est delatus, ac mihi. SECVNDVM, post: Quibus ille secundum fratrem plurimum tribuebat. Plautus Capt. Nam secundũ patrem tu es pater proximus. pro: Qui cum sententiã secundũ Plotium se dicturum ostenderet. Nec cogat ante horam decimam de absente secundum præsentem iudicare. IDEO, EO, ICCIRCO, PROPTEREA: ad quæ respondent QVOD, QVIA, VT, & negatio NE. Ita fit, ut absint, propterea quod officium sequuntur: Taceant autem iccirco, quia periculum metuunt. Qui iccirco etiam maioribus nostris præcipuam gratiam debemus, quod eorum labore est factum, ut impune in ocio esse possemus. Quas iccirco non commoro, ne de miserijs meorum necessariorum conquerens, homines quos nolo uidear offendere. Hæc propterea scripsi, ut me non sine causa laborare intelligeres. Teren. Non quo quenquam plus amem, aut diligam, eò feci. QVO, solum: Non quo ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. Qui igitur exisse è potestate dicuntur, iccirco dicũtur, quia non sint in potestate mentis. Vt iccirco non minus ei credatis, quod homo minus idoneus habetur. Et ordine mutato: Quod enim eum tibi quæstoris in locum constitueras, iccirco tibi amicum in perpetuum fore putasti. CAETERVM, ALIOQVI, SIS, OPPIDO, leguntur quidem apud Ciceronem, sed non sunt frequentata ab illo: quare utemur & nos parcius. Nam CAETEROQVI, & ECONTRA, suspecta esse audio doctis. Quorum prius cur reijciam, si (quod paulò ante dictum est) Alioqui admittitur, non uideo. Posterius certe una litera priuatum à librarijs suspicor, cum esset Etcontra, seu Eccontra. Iam uero latiss. se aperit

Tametsi. Ar. Serũdum. Idco

Seruil. Valer. Papir. Iuuen. 1. De Orat. 1. P.R. In Pis. Phil. 11. Att. 1. In Vati. Acad. Pro Flac. Verr. 111. Pro S. Rosc. Contra Rul. Pu. Seruil. Pro Cœlio. Tusc. 111. P.A.C. Verr. 111.

rit & patentissimus campus earum dictionum, quæ præpositiones uocãtur. In quibus cur præcipuum esse uelim obseruationis studium, de uario & multiplici usurpatione unius aut alterius, uel etiã tertiæ exempli loco adductæ, facile perspicies. Etiam quartæ ac quintæ uelim, inquit, uel potius omniũ, si tu sis ad commemorandum paratus. Neque ego satis in præsentia sum instructus, inquam: neq; fieri omnino oportere iudico. Hæc igitur uide. De Dauo audiui. Discere id de me. Ecquid nos amas de fidicina istac. Quod is me accusare de te solebat. Pro ex, & ob. Plautus Capt. Emit hosce de præda ambo de quæstoribus. Idem: cum illos emi de præda à quæstoribus. Cicero pro Flacco: Fũdum Cynæum Romæ mercatus est de pupillo Meculonio. Idem Rutilio: Quæ prædia Laberius emerat à Cæsare de bonis Plotianis. Idem Memmio: Vt ei de habitatione accommodes. Hecyra: Etsi tibi caussa est de hac re mater. Cicero: De cæteris rebus habes Dionysium. Andria: Primum iam de amore hoc comperit. Plautus Capt. Quo de genere gnatus est illic Philocrates. In Verr. De Argyrinensi populo fideli & illustri breuiter cognoscite. In eundem: Regna denique iam omnia de uestris cupiditatibus, & iniurijs expostulant. In eund. Cupijsse te cælasse de phaleris. Neque quicquam est proprius factũ, quàm ut illud Vticense exemplũ de Adriano trãsferretur Syracusas. Lentulo: Nos cum maximo consilio, studio, labore, gratia, de caussa Regia niteremur. In Cat. 3. Qui omnia de repub. præclara et egregia sentirent. In eundem: Ego enim de meo sensu iudico. hoc est, secundum meum sensum. In eundem: De te autem Catilina cum quiescũt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant: id est, in caussa tua. De Orat. 2. Cum ad me in Tusculanum, inquit, heri uesperi uenisset Cæsar de Tusculano suo. In Verr. De sella surrexit atque abijt. Acad. initio: Et nisi de uia fessus esset. Quærere incepimus de Carpinatio. id est, quis esset Carpinatius. Idẽ: De te ipso inquam Labiene, quæro. id est, ex te. Nihil de Dione, nihil de socrus tua, femina primaria, Seruilia, uetere Dionis hospita audisti? Pro lege Manilia: Reliquũ est, ut de felicitate (quam præstare de se nemo potest, meminisse & commemorare de altero possumus) sicut æquum est homini de potesta te Deorum, timide & pauca dicamus. Pro Cæcina: Nec minus uereretur, ne contemnere Ebutium, quàm de eo contemptus esse existimaretur. id est, ab eo, uel propter illum. Cum is patri suspectus esset de nouerca. Pro Cælio: Quæro enim cur Licinium titubantem, hæsitantem, cedentem, fugere conantem, mulieraria manus ista de manibus amiserit. Pro Milo. Deinde postea se gladio percussum ab uno de illis. id est, illorum. In Catil. 4. Video de istis qui se popu-

Præpositiones. De.

Att. 1. Lib. epi. xiii. Att. vii. Act. v. Lib. v. epist. Pro Rabir. Verr. iiii. Offic. iii.

» se populares haberi uolunt, abesse non neminem. Ad Qu. Fr. 3. Drusus erat
» de præuaricatione absolutus. Quinto Fr. 2. Quod sæpe uiatoribus cũ pro-
» perant, euenit, ut si serius quàm uoluerint, forte surrexerint properando,
» etiam citius quàm si de multa nocte uigilassent, perueniant quò uelint. ad
» Attic. 7. Et multa de nocte profectum esse ad Cæsarem. Philippic. 2. Non
» solum de die, sed etiam in diem uiuere. Terent. Apparare de die conuiuium.
Lib. VIII. Attico: Obsignata iam epistola, quàm de nocte daturus eram. Teren. De ar-
Lib. X. gento somnium. &, Etiam de sorte uenio in dubium. Attico: De sorore lau-
» do, deq; puero datur opera. Spero esse meliora. lib. 5. De Quinto Fr. scito cũ
» non mediocriter laborare de usura. Metello: Debes existimare, te maximis
Lib. VII. de rebus à fratre esse cælatum. Attico: De Terentia & Tullia tibi assentior.
Lib. XII. Eidem: Quàm si olim de ratione habenda impetrasset. Eidem: Sed & ma-
» gna res est, & difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum hærede, etsi
Lib. X. de cupiditate nemini concedam. id est, cupiditate. Eidem: Scripsi equidẽ Bal-
» bo, te ad me de beneuolentia scripsisse, & de suspicione egi gratias, de altero
Lib. XIII. ei me purgaui. Att. Ante lucem cum scriberem contra Epicureos, de eodem
Att. lib. VII. oleo & opera exaraui nescio quid, ad te. Item illa: De me erat optime meri
XVI. tus. &, male similiter. Et, aliter de ipsis ac de me ipso consulendum. &, Nec
De Amic. me hercule de me laboro. &, De his communis uita contenta est. id est, his.
neque enim caussa uidetur esse, cur scripturam suspectam reddamus. Item
» cum finem notat. Pro Quint. Biduo post, aut ut statim de iure aliquis cucur
» rerit non toto triduo. id est, dicto iure. AD, apud. Plautus: Ad iudicem. &, Vt
Capt. in seruitute hic ad suum maneat patrem. Terent. Ea quæ nunc est ad uxorem
» tuam. Vatinius Ciceroni: Quare si opus erit, ad Cæsarẽ meam caussam agas.
Verr. III. Cicero pro Sest. Erat ad portas cum imperio. Idem: Statim Romæ, & ad ur-
» bem, antequam proficisceretur. Idem ad Brut. Non enim propositũ est huic
» epistolæ, Messalam ut laudem, præsertim ad Brutum. Pro Cælio: fama ado-
Act. VI. lescentis paulo hæsit ad metas. In Verr. Vt noctu uigilias agerent ad ædes sa
» cras. In Pis. Togulæ lictoribus ad portam præsto fuerunt. Appio: Vt circi-
Lib. X. ter Id. Sextil. putem me ad Iconium fore. Eidem: Cum ad urbem eßes. Atti
» co: Commodum ad te dederam literas de pluribus rebus, cum ad me bene ma
Lib. VII. ne Dionysius fuit. Eidem: Vt essem ad urbem. Et Liuio: Mors ad omnium
oculos esset. Huiusmodi sunt & illa, in quibus præpositionis casus omis-
» sus est: Ad Opis, ad Cõcordiæ, ad Apollinis, ad Castoris. Terent. Ad contume
» liam omnia accipiunt. Idem: Cum fingis falsas caussas ad discordiam. Quæ-
πυσαΑ. ro enim à uobis, num ullam cogitationẽ habuisse uideãtur ij, qui hanc remp.

tam

tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri aut argẽti ad auaritiam, «
aut amœnitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum «
ad uoluptates. Luceio: Equidem ad nostram laudem non multum uideo in- «
teresse, sed ad properationem meam quiddam interest. In Catil. 3. Mihi ua- «
leat ad gloriam. Latonam ex longo errore & fuga grauidam, & iam ad pa- Verr. III.
riendum uicinam. Canere ad citharam: id est, adhibita cithara. Cicero pro «
lege Agrar. Erant hostiæ maiores in foro constitutæ, quæ ab his prætoribus «
de tribunali, sicut à nobis Consulibus, de consilij sententia probatis, ad «
præconem & ad tibicinem immolabantur. Terentius: At nihil ad nostram «
hanc. De opt. g. d. Sed nihil ad eum oratorem, quem quærimus. De diuinatio «
ne: Ad nostri augurij rationem dixit Ennius. Nunquam ego dicam C. Fa- De Amic.
bric. M. Curium, Ti. Corrunc. quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad «
istorum normam fuisse sapientes. Item: Si et ea mercatus esses, quæ ego desi- Fabio.
derabam, & ad eam summam quam uolueram. Pro: Nullus locus est ad Pro Deiot.
statuam rostris clarior. Erga, & aduersus. pro Archia: Marius, qui du- «
rior ad hæc studia uidebatur. Attico: Dubito, an excusationẽ aliquã ad filium «
parem. Eidem: Hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. Si- Lib. IX.
gnificat appositum, pro Murena: Sed nunc de studijs ad honorem dispositis, «
non de insita cuiusq; uirtute disputo. pro Archia: Quàm multas nobis ima «
gines, non solum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum fortiß. uirorum «
expressas, scriptores & Græci & Latini reliquerunt? de Amicitia: Omnes «
ad unum idem sentiunt. Planco: Cui sunt assensi ad unum. &, Cui me in tali «
re libenter ad pedes abiecissem: Attico. Et Qu. Fr. Sanè frequentes fuimus Lib. II.
omnino ad ducentos. Et, Amant ad quoddam tempus. Cum annos ad quin- De Amic.
quaginta natus esset. In Bruto: Ipsorum ad ætatem laus eloquentiæ perfecta Cluen.
nondum fuit. id est, usq; ad. pro Sex. R. Tecti esse ad alienos possumus. Plau «
tus: Ad cœnam hercle aliò promisi foras. Et mox: Atque ad illum renunciari. «
De Orat. 2. Cum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat. Ad arbitrium «
suum, id est pro arbitrio: De Oratore. & Att. Ad id quod quæris, multum Lib. XI.
interest. At, post, seu ultra. Attico lib. 10. Iurabat ad summam, quod nullo ne- «
gotio faceret, amicis. mihi Cæsarem fore. Eidem lib. 8. Vnum etiã restat ami «
co nostro ad omne dedecus. pro Cluent. Et ad hanc mortem tam repentinam, «
uocemq; morientis, omnia præterea quæ solent esse indicia & uestigia uene- «
ni, in illius mortuæ corpore fuerũt. Significat adæquationem, pro Quin- «
tio: Decidis statuisq; tu propter necessitudinẽ, quæ tibi cũ Scapulis est, quid «
ijs ad denarium solueretur. Ad diem, Attico: Dicuntur enim occulte milites Lib. XIII.

ad

De Amic. ad eam diem comparati. Eidem: Ad Sept. Idus. Cum Senatu dimisso, demum
" reductus ad uesperam est. Nihil ad rem: intelligitur Pertinet. Terentius:
Ab. Abs, A. " Nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet. AB, & ABS, & A, ad uerba
" passiua apponitur: Factum à uobis duriter, immisericorditerq;. Ad quã for
" mam adiungi & hæc uidentur recte posse: Peto à te, impetro à te, & simili-
" Ter. Pater esse dicse ab illis. Pro Cluentio: Auditis non ab inimico. Ibidem:
" Fratris autem liberos prius uita priuauit, quàm illi hanc ab natura propria
" lucem accipere potuerunt. De Finib. Eseq; hominis ingenui & liberaliter
" educati, uelle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam uiris.
" Item: Disces à principe huius ætatis philosophorum. Pro Murena: Qui om
IIII. nia à nobis sperent. Ib. Quæ à nobis consequuntur. In Catil. Habemus
" enim etiam à Cæsare, sicut ipsius dignitas postulabat, & maiorum eius am-
" plitudo sententiam tanquam obsidem perpetuæ in rempub. uoluntatis. Pro
" Murena: A me tu id quæris. pro Sylla: Quàm multorum hic uitam est à L.
" Sylla deprecatus. pro Archia: Ergo ille corporis motu tantum amorem con
Qu. Fr. II. ciliarat à nobis. Pro Cluentio: Ab secundo hærede nihil legat. Qua quidem
" nihil utor abs te. Teren. Ociũ à senibus ad potandũ ut habeam. Idem: Quàm
" ioco rem uoluisti à me tandem, quin perfeceris. Ego impetrare nequeo hoc
" abs te, &c. pro Flacco: Ab A. Sextilio dicit se dedisse, & suis fratribus. Ibi-
" dem: Cum iste se pecuniam, quam huius fide sumpserat, à discipulis suis dice-
Attico. ret Fusijs persoluturum. Homines non modo non recusare, sed etiam hoc di
Lib. VI. cere, se à me soluere. Quod enim prætori dare consuessent, quoniam ego
" non acceperam, se à me quodammodo dare. Plaut. Nam hæc literata est, ab
" se cantat cuia sit. Idem: Qui amant à lenone. Terent. Postremo à me argen-
" tum quanti est sumito. & rursum: Petito has à me decem. pro Quintio:
Diui. in Verr. Quod abs te C. Aquili, & à uobis qui adestis in consilio, quæso. Nihil est
" enim quod minus ferendum sit, quàm rationem ab altero uitæ reposcere, qui
Capt. non posit suæ reddere. Plaut. Viaticum à trapezita ut dem tibi. Attico: Li
Lib. VII. Lib. IX. teras à te mihi reddidit. Eidem: Sed cum eadem metuam ab hac parte. Te-
Att. XII. rent. Ab hinc triennium. Quod pro Cornificio me ab hinc amplius annis
VI. XXV. spopondisse dicit Flauius. Att. Magnum enim bellum impendet à Par-
Curcu. this. Eidem: Et saluebis à meo Cicerone. Plaut. Tam à me pudica est, quàm
Epist. XIII. si soror mea sit. Cicero: Quæ prædia Laberius emerat à Cæsare. Ter. Hei
Flac. mihi metui à Chrysside. &, Ego dudum nõnihil Dauæ ueritus sum abs te. In Ver.
IIII. " Ab se caueat quemadmodum uelit. Plaut. Hoc mihi abs te caueo cautius.
App. Cice. Quibus ego à tali uiro cõtentus eram. Cicero: Quid? ab ingenuis mu-

lieribus

lieribus. hæreditas lege non ueniunt? Idem: Spem habere à Trib. pl. si tua In Pis.
cõsilia cum illo cõiunxeris, sed à Senatu quidem desperasse. Martemq; com- Pro Mil.
munem, qui sæpe spoliantem iam & exultantem euertit & perculit ab abie cc
cto. Hæc promiscue ut quicq; in mentẽ uenit recitata, omnia quidẽ ad unum
caput in quadam dissimilitudine posse referri uidentur. Significat hæc præ-
positio & usq; ab, ut, Sed hoc à primo cogitauit. et, Tuas nunc epistolas à pri- Att. li. VI. et IX
mo lego. id est, usq; ab initio. Idẽ: Nam qui ab adolescentulo quæstũ sibi insti- Pro Quint.
tuisset, sine impendio. Significat & separationẽ. Cicero: Dissensit M. Lep. Cat. III.
à clarissimo & fortissimo uiro Q u. Catulo. Idem: Ne ab hæreditate exclude- Pro Clu.
retur. Et rursum: Cuius ab audacia fratris liberos ne materni quidem corpo- cc
ris custodia tegere potuisset. pro Font. A quo periculo defendite Iud. ciuẽ for cc
tem atq; innocentem. Et hoc: A repub. detestantur. &, Omne tempus quod In Pis.
mihi ab amicorum negotijs datur. Talia sunt: A Larino, Ab Aeno, Ab Roma, Diu. in Verr
Ab Epheso, Ab Athenis. et Plautinum: Nam absq; te esset, ego illum haberem Bach. (Absq)
rectum ad ingenium bonum, et Terent. Quàm fortunatus sum cæteris rebus cc
absq; una hæc foret. Vbi tamen per se Absq; hoc quasi aduerbialiter ponitur. cc
Sed idem alibi: Nam absq; eo esset, recte ego mihi uidissem. De Oratore Cice Phor.
ro dixit, A me: quod aliàs est, pro me. de Finibus A se, pro per se. Satis esse aũt I.
menti uidetur, quamobrem ea quæ natura prima sunt, à se ita natura diliga III.
mus. Notaui enim hunc locum diligentius, propter quorũdam correctionẽ, cc
minime, nisi fallor, necessariã. Est & perelegans usus iste: Sumus enim flagi- cc
tiose imparati, cum à militib. tum à pecunia. Vir & cõtra audaciã fortiss. et Att. V II.
ab innocẽtia clementiss. Et: Ita me nudum à propinquis, nulla cognatione mu Pro S.R.
nitũ, &c. Sed ego profecto fui lõgior, quàm hoc tempore esse me oportuit, P.R.S
etsi ne de his pauculis quidem uocibus omnia quæ deberent, attuli. Volo au- A. Quint.
tem hæc in eam partem omnia accipi, ut exempli loco ad imitandum, si uidea
tur, exposita tibi esse existimes. Hoc enim tantũ agitur, ut demonstrem, quid
ego cœperim in hoc proposito et studio linguæ Latinæ facere: non ut aliquid
eximium & splendidum nescio quid consecuti ostentemus atq; uenditemus.
Noui, inquit ille, atq; scio: ne tu de hoc tantopere labores. Sed nihil ne dices
saltem de duabus adhuc præpositionibus, E X & I N: quorum & ipsorũ u- In uero meo est
sum ualde uarium esse, animaduertisse uideor. Ita est ut dicis, inquam. Sed ita ad Plan. solere
tu quod animaduertisse te ais, etiam perspicere studeas, & explorare marte Rufo, Hor. Od. in postr.
tuo. Volo enim iam uel ui quadam te à collectionibus & cõmentarijs Gram- semper. Liu. idem
maticorum, ad ipsas copias & fontes autorum abstrahere. Immo uero tu in alia cũ
inquit, cupiditati meæ orationem tuam subtrahis. Sed do tibi ueniam. Quare

l ad alia

De rebus II. παρὰ τὸ ἐρμηνεύειν.

ad alia licet transeas. Post hanc igitur curam uerborum, ad res ipsas, quas uerbis significare & exprimere uellem, me conuertebam. Volo autem nunc maxime, rerum appellatione sententias ipsas accipi, quæ potiß. in hoc studio propositæ essent considerationi nostræ. Neq; enim certe res tantummodo illæ putandæ, ut quibusdam in quadam doctrina non pereruditis uidetur, quas sanè admirabiles exanguibus quidam & miseris literis prodidere, uel excogitatas à se, uel de aliorum scriptis inuentis q; exquisitas. Non ego profecto contemno, neq; paruifacio, ullam partem studiorum humanitatis: sed sic tamen statuo, non minus rerũ esse in uno aliquo eleganti dicto ueterũ de moribus & uita, deq; cõmuni intelligentia & sensu atq; ratione generis nostri, quàm in nescio quibus acutis et spinosis disputationibus quorundã, qui sibi solis cognitionẽ et scientiã rerũ uendicãt. Qui si forte omnino hæc pertinere ad res negabunt, & uerborum esse contendent, ab ijs saltem hoc petamus, ut me ferant paulisper, non artificiose, sed tamen latine loquentem: si cogitationem bonam, aptam, grauem, plenam, acutam, qualiscunq; uel tenuißimi sensus, enunciatam eleganti & splendida atq; uberi oratione, pulchram rem, præclaram rem, eximiam rem, appellem atq; nominem. Quod si planè nolent, & in illo perstabunt, relinquamus sanè illis suas res, nos nostras nobiscum quasi diuortio facto auferamus. Itaque in præsentia nobis res sententiæ sint, ut re quidem uera sunt. Sed fortasse, si alio loco de his uerba facerem, non ita simpliciter, ut nunc, & quasi uulgariter loquerer. Cum autem sententias eorum, de quibus uerba facere uoluerimus, oratione eleganti & ornata pronuntiari conueniat, nimirum opus fuerit illas esse eiusmodi, atque ita constitutas ac compositas, ut neq; ieiunam iacentes, neq; luxuriosam illam exultantes reddant: sed cum hac aptæ et deuinctæ progrediantur, siue etiam decurrant. Ne expositio in his dissentientibus & alienis, existat minuta, attenuata, disiecta, uasta, spissa, coacta: ac potius ut custodiatur illa bonæ cogitationis circumscriptio, membris ipsis quasi in corpore quodam circumductionis extremæ apte dispositis, eleganter & iucunde confecta, utq; in oratione ea uis animi, quæ mens atq; consilium uocatur, eluceat ac conspiciatur.

ἑρμηνεία. Hoc totum ueteres Græci pulcherrima uoce ἑρμηνείαν appellauere. Atq; hic est, mi STIBARE, fons Ciceronitatis, ut ita dicam: hoc est, non iam Latine modo, sed prudenter loquendi. unde si qui forte abhorrent, siue qui non ualde hæc magni ducenda arbitrantur, ij se fateantur ab ipsa planè humanitate esse alienos. Nam si hæc ex homine sustuleris, quid obsecro nisi forma quædam oris & corporis humani relinquatur? Vides igitur quid agam, quàm non studeam

non studeam fatuos aut stultos tanquam ad Ciceronianas epulas inuitare: sed intelligentes, sagaces, prudentes. Qui cum perspexerint nihil neq; melius animo compræhendi, neq; elegantius oratione proferri posse, quàm quæ Cicero diuinitate quadã ingenij sui elaborarit, quæq; in illis scriptis cernantur atque pateant: an uidentur tibi facere posse, ut ab hoc exemplo illius discedant, & se studiosos eloquentiæ tamen perhiberi uelint? Non profecto poterunt: sed in hoc incumbent omnibus uiribus, ut illa quæ dixi scripta imitantes, neque sententias, neque orationem fluctuantem, & quasi ambiguis paßibus errantem, usurpent. sed ut tam animo quàm uoce, sequentia ad antepositа accommodentur & respondeant. Ne illa temere proiecta, & quasi subsidiaria manu defecta esse uideantur. Ex hoc enim ruina illis accideret, & depræhensa sine firmitate despicerentur. Itaq; annitentur, ut quemadmodum densa acies non solum ad speciem, sed etiam uictoriæ spem in primis laudatur: ita illarum, quas aiebam, subiunctionũ, & tanquam ordinis, confirmationum, probationum, explicationum, interpretationum, amplificationum instructio, implicata sibi, pariterq; in copia orationis procedens, maxime sit & conspicua & admirabilis, iucunda, uehemens, efficax, denicq; Ciceroniana. Atq; ita, ut si quid extra hæc temere procurrens, & locum suum non tenens forte se ostendat, tanquam non solum superuacaneum, sed etiam contrarium amoueatur, uel sanè iuguletur. Horum autem ipsorum cum non unum aliquod seorsim exemplum proponi posßit (sunt enim fusa & distributa per omnem & intelligentiam, & orationẽ) notari tamen insignes locos non inutile fuerit, in scriptis Ciceronianis: qui & ipsi sunt innumerabiles, ut Rhetoricorum de Inuentione exordium: quod si uidetur, puer nobis recitet. Ita faciat, inquit ille. demonstratoq; tum loco, puer ita.

Sæpe & multum hoc mecum cogitaui, boni ne an mali plus attulerit homi
nibus et ciuitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiæ studium. Nam cum
& nostræ reipublicæ detrimenta considero, & maximarum ciuitatum uete
res animo colligo calamitates, non minimam uideo per disertiß. homines in
uectam esse partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria
propter uetustatem remotas, ex literarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmißimas societates, sanctißimas amicitias intelligo, tum animi ratione, tum etiam facilius eloquentia comparatas: ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potißimam sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus, eloquentiam uero sine sapientia nimium obesse plerunq;,

» runq; prodesse nunquam. Quare si quis omissis rectiss. atque honestiss. stu-
» dijs rationis & officij, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is
» inutilis sibi, pernicios⁹ patriæ ciuis alitur. Qui uero ita se armat eloquen-
» tia, ut non oppugnare commoda patriæ, uerum propugnare posit: is mihi
» uir & suis & publicis rationibus utiliss. atq; amiciss. ciuis fore uidetur.

Hic ego: Hactenus, inquam. At ille me intuens: Quantum, inquit, momenti in hoc est, excitari attentionem indicatione aliqua? Nam mihi nunquam, sæpe quidem legenti, hic locus tam eximius & splendidus atq; admirabilis, ut hodie, uisus est. Sed sunt alij, inquã, multo meliores. quanquã mihi certe singuli ferè meliores alijs uidentur esse, ut Præfatio in libros de Oratore, ut alia ferè proëmia insignia omnia sunt. Quid aũt est in illo modò recitato non elegans, concinnũ, ordinatũ? Quæ rationũ firmitas, quæ orationis atq; sententiarũ amplitudo? Cum aũt animus incitari, & oratio cursu quasi quodã ferri cœpit, rectũ tamen illũ teneri, neq; cogitata dictaq; dilabi, sed uelut alueo inclusa uel placide defluere, uel etiã turbulente ruere: cõtineri tamen, neq; tanquàm exundantia restagnare oportet. Quod quale dicam, licet de Cæliano isto loco perspicias: (quem quidẽ tum indicatũ puer recitauit, cum qui patrocinium quoddam uoluptatũ in adolescentia complectitur, quem hic etiam a-
» scripsimus.) Detur aliquid ætati, sit adolescentia liberior, non omnia uolu-
» ptatibus denegentur, non semper superet uera illa & directa ratio, uincat a-
» liquando cupiditas uoluptas q; rationem, dummodo illa in hoc genere præ-
» scriptio moderatio q; teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ suæ, ne spoliet alie-
» nam. ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alte-
» rius damnum atq; famam: ne probrum castis, labem integris, infamiam bo-
» nis inferat. Ne quem interimat, ne interfit insidijs, scelere careat. Postremo
» cum paruerit uoluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque
» ad manes hasce adolescentiæ cupiditates, reuocet se aliquando ad curam rei
» domesticæ, rei forensis, reipublicæ: ut ea quæ ratione antè non perspexerat,
» satietate abiecisse, experiendo contempsisse uideatur. Ascripsimus & alte
» rum quendam, recitatum de Catilinaria prima: O Dij immortales, ubi nam
» gentium sumus? Quam Remp. habemus? In qua urbe uiuimus? Hic hic sunt
» in nostro numero P.C. in hoc orbis terræ sanctissimo grauissimo q; cõsilio, qui
» de meo uestrum q; omnium interitu, qui de huius urbis atq; adeò orbis terra-
» rum exitio cogitent. Hosce ego uideo consul, & de Repub. sententiam rogo:
» & quos ferro trucidari oportebat, eos nondum uoce uulnero. Fuisti igitur a-
» pud Leccam ea nocte Catilina, &c. Post hæc uide hunc quoq; inquam mihi

locum de

locum de Epistola ad Dolobellam, quem memoriter tibi recitare possum.
Neminem conueni, conuenio autem ipse complurimos. Sunt enim permulti
optimi uiri, qui ualetudinis causa in hæc loca ueniant. Præterea ex municipijs frequentes necessarij mei, quin omnes cum te summis laudibus ad cœlũ
extulerunt, mihi continuo gratias agant. Vides quàm urgentes cogitationes
aptiss. sententijs addensens, quàm præclare extulerit. Per autem sunt elegantes omnes in oratione distinctiones & partitiones, siue aliquid explicatur,
seu quid remouetur, siue etiam asseritur, uel totum uel pars aliqua. Vt hoc:
Sic enim tibi persuadeas uelim, unum mihi esse solatiũ, quare facilius possim
pati te esse sine nobis, si tibi id esse emolumento sciam. Sin autem id non est,
nihil duobus nobis est stultius, me, qui te non Romam attraham: te, qui
non huc aduoles. & alibi: Quare siue habes, siue non, scribe tamen aliquid.
Item: Quare si plane à nobis deficis, moleste fero: sin Pansæ assentari commodum est, ignosco. Item: Quod si scribere oblitus es, minus multi iam te aduocato causa cadent: sin nostri oblitus es, dabo operam ut istuc ueniã, antequam
plane ex animo tuo effluo: sin æstiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut feciſti de Britania. Quid illa? quæ uel plura in mentem ueniunt, uel longiorem mentionem postulant, ut circumduci uno ambitu nequeant, sed singillatim sint explicanda, quàm sunt accurate distinguenda, ut ad sua quasi capita quæq; referantur? Quale est, ut mihi uidetur, præcipuum quidem, in Epistola ad Ruffum: Sed sic me & liberalitatis fructu priuas, & diligentiæ, & quod minime tamen laboro, mediocris etiam prudentiæ. Liberalitatis: quod
mauis scribæ mei beneficio, quàm meo, legatũ meum, præfectum q; Leptam
maxima calamitate leuatos, cum præsertim non deberent esse obligati. Diligentiæ: quod existimas de tãto officio meo, tanto etiam periculo, nec scisse me
quicquam, nec cogitasse. scribam quicquid uoluisset, cum id mihi ne recitasset
quidem, retulisse. Prudentiæ: cum rem à me non insipienter actam, ne cogitatam quidem putes. Quæ cum res fert, non etiam solemus ad illum modum
disiungere, sed statim quæq; suis rationibus accumulare. & coaceruatim totum efferre. ut in Oratore: Illud admonemus tamen, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit: nec subobscœno, ne mimicum:
nec petulanti, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odij locum risus occupet: neq; aut sua persona, aut iudicum, aut tempore alienũ. Curioni: Ego te abfuisse à nobis & doleo, quod carui fructu iucundissimæ consuetudinis tuæ: & lætor, quod absens omnia cum maxima dignitate es cõsecutus. Sed superioris generis etiam hoc præcipuum exemplũ

Pro S. R.

anima memoriaq; retinui: His de rebus tantis, tamq; atrocibus, neq; satis mē
» commode dicere, neq; satis grauiter conqueri, neq; satis libere uociferari pos-
» se intelligo. Nam cōmoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora sunt
impedimento. Insignis autē locus est pro Cœlio: Sed ego Atracino humaniß.
» atq; opt. adolescenti, meo necessario, ignosco: qui habet excusationem uel pie-
» tatis, uel necessitatis, uel ætatis. Si noluit accusare, pietati tribuo: si iussus est,
» necessitati: si sperauit aliquid, pueritiæ. Quia uero in his est orationis mira-
bilis elegantia, & sententiarum illuminatio, ideo exempla in summa uarieta
te à studiosis Latinitatis plurima cōquirenda sunt. Huc pertinet eorum quæ
Partitulæ distinctionū et partitionū. Ruffo. inferuntur alijs, uel explicandi, uel probandi, uel confirmandi causa, distinctio & partitio. In quo genere sunt maxime Ciceroniana, ALTERVM re-
petitum, ut hoc: Alterum timori, alterū mihi te negare non potuisse arbitror.
Off. I. Et: Quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis. Et: Itaque al-
Luceio. terum minus mirum, fortiorem te esse, cum aliquid speres: alterum magis mi
Att. VIII. rum, spe ulla teneri. Item: Sed obsecro te, quid hoc miserius? quàm alterum
» plausus in fœdiß. causa quærere, alterum autem offensiones in optima. alte-
rum existimari conseruatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum.
Distinguuntur & hæc, quæ alijs inferri aiebamus, & alia quæcunq;, distri-
» butionum particulis: VEL, SIVE, AVT. nec non similiter illis, de quibus
Att. VIII. diximus, CVM, TVM. Itemq;, ET, NEC, seu NEQVE. ut hoc: Velti
» bi paruimus, uel non occurrimus, uel hoc fuit rectius. Item: Vt mihi uel consi-
Ruffo. lium meum cum illius consilio, uel fortuna coniungenda esse uideatur. Item:
Crasso. Ad coeundam societatem uel periculi, uel laboris. Teren. Vel me monere hoc,
Att. X. uel percontari puta. Additur & ETIAM: ut, Dignitatis tuæ uel tuendæ,
Pro Quint. uel etiam augendæ. Nunc siue iracundia, siue dolore, siue metu permotus, gra
Pro Flac. uius scripsi. Qui cum te aut uoluntas congregasset, aut fortuna coniunxis-
» set. Item: Sed si forte aliquādo aut beneficij huius obtrectator, aut uirtutis ho-
Vide 3 in Et. Crass. stis, aut laudis inuidus extitisset. Terent. Aut consolando, aut consilio, aut re
» iuuero. Vt florentiß. tuis rebus mea perspici posset & memoria nostræ uo-
Mario. luntatis, & amicitiæ fides. Sed huius formæ supra quoque exempla re-
» tulimus. Terent. Principio & habet quod det, & dat nemo largius.
Quod sint inuicta et ordo rerum et deguisitati huc 224 Philo. » Quod si Romæ esses, tamen neque nos lepore tuo, neque te, si quis est in me,
Att. X. meo frui liceret. Terent. Quem neque fides, neque iusiurandum, neque
» illum misericordia repressit, neque reflexit, neque quod partus instabat
» propè. Tamen non uidit, nec quomodo Lacedæmoniorum, nec quo
» modo suorum ciuium inuidiam effugeret, necquid Artaxerxi polliceretur.

Cum autem

Cum autem cogitationum quædam quasi accumulatio & densitas, propterea quod attentionem et perspicacitatem animi in primis declarat, unde et συνετὸν νόον, & ξυνετοὺς prudentes Græci dixere: illa igitur crebritas atq; aggregatio cum præcipuum ornatum habeat, danda opera sedulo, ut in hac adiunctionum uel explicandi uel amplificandi causa proprietas & conuenientia seruetur. Vt in hoc Ciceroniano factum uidere potes. Quid nam esse Brute causæ putem, cur cum cōstemus ex animo & corpore, corporis curandi tuendiq; causa quæsita sit ars, eiusq; utilitas Deorum immortalium inuen
tioni consecrata, animi autem doctrina nec tam desiderata sit antequam in-
uenta, nec tam culta posteaquam cognita est, nec tam multis grata & proba-
ta, pluribusq; etiam suspecta & inuisa? Item in hoc: Nam præter na-
uigationis longæ & hyemalis, & minimè portuosæ periculum. Vides enim
certe, quàm amplè, quamq; conuenienter de periculo illo nauigationis dixe-
rit. Deniq; in omnibus relationib. & appositis, proprietas in primis uer-
borum ad cogitationis facultatem accommodanda. Cuius in Sicilia uirtu
tem hostes, misericordiam uicti, fidem cæteri Siculi perspexerunt. Summa
est enim Iud. hominis in cōmunem municipij rem diligentia, in singulos mu-
nicipes benignitas, in omnes homines iustitia & fides. Et ornamēta digni
tatis, & præsidia stabilitatis. Quis interpretari potest, impudētior ne, qui
in senatu: an improbior, qui in Dolabellam: an impurior, qui patre audiente:
an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impiè dixeris. Et hic lo-
cus ab ipso adductus de libro quinto librorū de Repub. Vt enim gubernatori
cursus secundus, medico salus, Imperatori uictoria: sic huic moderatori rei-
publ. beata ciuium uita proposita est, ut opibus firma, copijs locuples, gloria
ampla, uirtute honesta sit. Semper iudicaui in te & in capiendo consilio
prudentiam summam esse, & in dando fidem. Eas litteras ad eum misi, qui-
bus & placarem ut fratrem, & monerem ut minorem, & obiurgarem ut er
rantem. A quo nil speres boni reipub. quia nō uult: nil metuas mali, quia non
audet. Hoc loco referenda & ea, quarū tanquam definitio & præscriptio
quædā in partitione inest, siue quid nos enumerādo sumimus, seu concedimus
alijs, quibus diligenter cogitata, eleganter uerbis expromūtur. Itaq; potiß. in
his & nihil uitiosum esse debet: et si quid fortè sit, ut minus plenum, aut non
certum atq; indubitatum, id statim se ipsum prodit. Sumuntur enim perpe-
ram aut plura quàm retineri, aut infirmiorā quàm ut consistere, aut paucio
ra quàm oportuisse uideantur. Memini cuidam aliquando illud quod est in fi
ne lib. 2. de Oratore ita sumptum: Tum Cæsar, si quod difficilius est, id tibi
reliquit,

Dilucidat et conuincentes expositiones in actis simulationis et dissimulationis registratorum.

Initiū Tus. 111.

Verr. III.

Pro Cluent.

Pro Marc.

Att. VIII.

Att. I.

De Sutorib.

» reliquit, est nobis inquit causa, cur te audire cupiamus: sin quod facilius, tibi
» causa non est cur recuses. Hoc igitur recordor cuidam non placuisse, qui pu-
taret infirmius esse, cum & ex contrario sic sumi posset: Si reliquit quod est
facilius, non est cur me audire cupiatis: sin quod difficilius, mihi causa est cur
recusem. Sed neq; hoc uerum est. nam ad id quod Crassus posuerat, illa sunt
accommodata: & nimis minute huiusmodi passim occurrentia in scriptis ue-
Ruffo. terum, atq; etiam nostra imitatione quasi concidere non debemus. Huius for-
» mæ & hoc esse exemplum potest ex plurimis et frequentiß. Si honos is fuit,
» maiorem tibi habere non potui: si fides, maiorem tibi habui, quàm penè ipsi
» mihi. Si prouidendum fuit, ne quid aliter ac tibi & honestum & utile esset, 10
referretur, non habui cui potius id negotiũ quàm scribæ darem. Et alibi: Hoc
Torq. autem tempore breuior esse debeo. Siue enim tum nihil opus fuit tam multis
» uerbis, nihilomagis nũc opus est: siue tum opus fuit, illud satis est, præsertim
» Torq. cum accesserit nihil noui. Et Att. 10. Si uera sunt, ignoscis: si falsa, me libente
» eripies mihi hunc errorem. Item: Necesse est enim, aut armis urgeri rempub.
» sempiternis: aut his positis, recreari aliquando, aut funditus interire. Si ar-
» ma ualebunt, nec eos à quibus receßeris uereri debemus, nec eos quos adiu-
» uisti. Si armis aut cõditione positis, aut defatigatione abiectis, aut uictoria de
» tractis, ciuitas respirauerit, & dignitate tua frui tibi & fortunis licebit. Sin
» omnino interierint omnia, fueritq; is exitus, quem uir prudentiß. M. Anto- 20
» nius iam tum timebat, cum tantũ instare malorũ suspicabatur, misera est illa
Pro Quint. quidẽ cõsolatio, tali præsertim & ciui & uiro, sed tamen necessaria. Restat,
» ut aut summa negligentia tibi obstiterit, aut unica liberalitas. Si negligentiã
» dices, mirabimur: si bonitatẽ, ridebimus. neq; præterea quid poßis dicere in-
uenio. Perpauca quidẽ sunt hæc, & ut ego quoq; iudico, non magni ponderis.
Sed tamen coniecturam de his facere poteris uoluntatis nostræ: & imitans
hunc conatum meum, nonnihil uel efficere, uel etiam perficere in hoc studio.
Nos quoq; ipsi, ut opinor, aut fuissemus longius in hoc spacio progreßi, aut
nunc etiam progrederemur, nisi tot nobis & tam ineuitabilia impedimenta
obijcerentur. Verum quid uel te futurum sit, uel ego præstiterim, fortuna ui- 30
derit. Sequitur in mea expositione generalis quædam notatio Ciceroniana
locutionis, in quibus uideretur certa etiam cogitationis forma implicita.
Etsi enim nullum uerbum potest dici, quod ad sensum aliquem cogitationẽq;
non referatur, tamen uolo te intelligere, sermonis quosdam me nunc significare quasi gestus, siue status Ciceronianos, nequaquam uulgaris ac cõmunis
cuiusdam, sed melioris notæ, quos profecto ed animi sententiam proprie per-

tincre

Copia

tinere iudicandum. Hæc duobus primum generibus cœpimus complecti: uno plenitatis, & quasi abundantiæ: & altero contrario, cum se cogitatum, sententia, res (nihil enim ad præsens interest) uerbis non efferret. Superioris sunt hæc: Eam, quo tutior esset uita nostra, se feciße commemorat, ut non modo uirtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonijs deleniret. Alius enim quißiam dixisset credo: Eam se commemorat uirtute flexisse & deleniuisse. Att. 10. Velim si qui erunt, ad quos aliquid scribendum à me existimes, ipse conficias. Alius forte ita: Si quid ad aliquos scribendum existimabis, ipse conficias. Nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiam reipub. noceret. Item: Sed hoc primum faciam, ut Imperatores appellem eos, quorum uirtute & consilij felicitate max. periculis seruitutis atq; interitus liberati sumus. Item: Quid habemus per deos immortales, quod remittamus? hoc est enim, Quid possumus remittere? Si debuisset, Sexte, petisses statim: si non statim, paulo quidem post: si non paulo, at aliquando. Vides certe, ut exuberet hoc loco oratio. Deinde si uoletis etiã tum, cum ueri simile erit aliquẽ cõmisisse in suspicione latratote. Poterat omitti Tum. Et pro Fl. Is qui ea patefacienda curauit. &: Damnatus est is, qui Catilinam signa patriæ inferentem interemit. Poterat abesse, Is. Tantũmodo clament, alterum satis erat. Talia sunt: Id quod maxime florere in generis sui gloria uiderat. Extatq; id quod mihi ostendis quibusdã literis. Sunt & talia hæc, insignem quendam in modum facta: cum demonstratiuum pronomen quasi abundare uidetur. non enim certe abundat, sed aut laudem innuit: Papir. Cicero ille quem spectabant, cuius ob os, &c. Aut odium: pro Flac. Capadocem autem illum non modo recipiebat suis urbibus, uerum etiam ultro uocabat. Aut notationem: Erunt etiam, & hi quidem eruditi Græcis literis, &c. Est autem consolatio peruulgata quidem illa maxime, &c. Quæ forma ferè habet correctionem illatam: Non ille quidem mihi ignotus, sed tamen et gratus & acceptus, &c. Cuius sermo est, ille quidẽ melle dulcior, sed à forensi strepitu remotiß. Ludo autẽ et ioco uti illis quidem licet, sed sicut somno & cæteris quietibus. Eódem & hæc referentur: Si uolo is esse, quem tu me esse uoluisti. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, neruos uirtuti incideret. Cum præsertim eas ad me is literas miserit, quibus, etiamsi tibi, cui sum amiciß. hostis essem, placarer tamen. Si nos ij sumus, qui esse debemus, id est studio digni, & literis nostris. Is enim tu uir es, & eum me esse cupio, ut quoniam in eadem reipub. tempora incidimus, cõiunctionem amicitiamq; nostram utriq; nostrũ laudi sperem fore. Diximus

m supra

Id autem tantũ abest ab officio, ut nihil magis officio posset esse contrariũ. pro Cõgestino. Off. 9. Ita 11. scribas propter ciuisdẽ gentis, nationis, linguæ.

ad præsens

Locutiones plures ab abundantes.

de hoc postmodi inquirendum pag. 96.

suprà de formis partitionum, siue distinctionum, nonnihil. Earum & hæc pronomina sunt demonstrationis, HIC, ILLE, ISTE. Quæ sic usurpari Grammatici tradidere, ut HIC propiora, remotiora ILLE denotaret: & ISTE significationem quandam haberet uituperationis. Sed est hæc notatio reuera generalis. Et harum particularum si qua relationis etiam diuersitas est, ISTE propius quiddam uidetur indicare. Significationes autem
Off.1. certè sunt promiscuæ. Quamobrem magnopere te hortor mi Cicero, ut non
» solum orationes meas, sed hos etiam de Philosophia libros, qui se iam illis ferè
» æquarunt, studiose legas. Vis enim dicendi maior est in illis. Sed hoc quoque
» colendum est æquabile & temperatum orationis genus. Et id quidem nemi-
» ni Græcorum uideo adhuc contigisse, ut idem utroq; in genere elaboraret,
» sequereturq; & illud forense genus dicendi, & hoc quietum disputandi.
Cælio. Item. Neque solum ista uestra oratoria, sed hæc etiam leuia nostratia. Item
» Att.10. Et tamen, mi Attice, auguria quoq; me incitant quadam spe nõ dubia.
» non hæc collegij nostri ab Attico (siue est uerius ab Appio) sed illa Platonis
Pro S.R. de tyrannis. Item: In his leuioribus peccatis, quæ magis crebra, & iam propè cotidiana sunt. Quæ quidem ad hoc genus plenũ & copiosum referebã,
» quia, ut uides, hac orationis forma sententiæ quasi grandescũt. Iam illa quoq;
Verborũ repetitio. plena & grauis eorundem uerborum repetitio est, cogitatione quasi commo
Læntu. rante & insistente. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio li-
» beralitatis, magna memoria consulatus tui. Hæc profectò uides quãto expres-
» siora, quãtoq; illustriora futura sint, cum aliquantũ ex prouincia atq; ex im-
De Orat.iij. perio laudis accesserit. Non uidit flagrantem bello Italiam, non ardentem
» inuidia senatum, non sceleris nefarij Principes ciuitatis reos, non luctum fi-
fuit fuit ista quõdam in hac Repub. uirtus
» liæ, non exilium generi, non acerbiß. C. Marij fugam, non illam post reditum
» eius cædem omniũ crudeliß. non denique in omni genere deformatã eam ciui-
Catil. 97 Et plura de
» tatẽ, in qua ipse florentißima multũ omnibus gloria præstitisset. Alia ro-
Verr.iiij. gando, alia poscendo, alia sumendo. Terent. Fac periculũ in literis, fac in pa-
» læstra. Et: Vbi molestum non erit, ubi tu uoles, ubi tempus erit. In quibus ita
locatis, & repetitis, contentio quædam animi, uel etiam cõmotio deprehenditur. Quare placidius cum fit, & quasi tranquillius, hæc mutantur. SustiOff.iij. nes enim non paruam expectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam
honorũ, nonnullã fortasse nominis. Ad hoc genus pertinẽt repetitæ præpo-
» sitiones eæ, cum quibus uerba conduplicata essent. Accedere ad dignitatem.
Contra Rul. Attendite animos ad ea, quæ consequuntur. Teren. Non ne accedam ad illos.
» Idem: Ad id alludere. Addi ad improbitatem. Ad ea quæ dixi affer. Nulla
poteſt eſſe

poteſt eſſe homini ad hominem naturæ adiunctio. Ad Achillis tumulum astitisset. Vt aut libidinis ministri, aut adiutores essent ad iniuriam. Non adesse ad iudicium. Ingressum in bellum. Immitto in meas aures, apud Plautum. Immersit in consuetudinem. In eum inuadunt. Quem in diem incurrat. In illis libellis inscribunt. Qui in nostras fortunas imminent. Exhaurietur ex urbe. Exire ex urbe hostem consul iubet. Ex urbe uel eiecimus, uel emisimus. Ex multis uitijs exarsit. Ex portentis extiterunt. Emersisse è niuibus. Sub imperiũ pop. Ro. ditioneq; subiunxit. Pro suo partu ita propugnant. A qua ego confiteor nullum ætatis meæ tempus abhorruisse. Abfutura à sensu. Absum à consilio. A nullius tempore aut commodum abstraxerit, &c. Nemo tantum de urbanis præsidijs detraxit. Vt ipse de me detraham. De conuiuio discederet. De sanitate ac mente deturbat. Teren. De digito annulum detraho. De cesserunt de uita. Decesit de prouincia. Sed nimis diu in his immoramur. quare alias, ut uocauimus, abundantes formas attexamus. Tale igitur hoc: Facies ut sciamus. Quamobrem fac animo magno forticq; sis. & alibi: Sic fac existimes. Terent. Fac animo hæc præsenti dicas. Cura ut ualeas. Terent. Quod si eò meæ fortunæ redeunt Phanium, à te ut distrahar. Pro Fla. Is nunc id agit, ut ad falsum auaritiæ testimonium, uerum etiam maleficij crimen adiungat. Pro S. R. Ego hæc omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum ciuem Roscium fuisse fingeret, &c. Postea uero quàm magnam spem habere cœpi, fore ut te breui tempore incolumẽ haberemus, facere non potui, quin tibi & sententiam & uoluntatem declararem meam. Qui cum omnes Cæsarẽ metuebamus, ipse eum diligebat. Pro Qu. Illud etiã restiterat, quod hesterno die fecerũt, ut te in ius adducerẽt. Quod quidẽ cotidie magis ex eorũ sermonibus adducor, ut sperẽ. Item hæc: Caue dubites. De me autẽ sic uelim, iudices. Credas hoc mihi uelim. Crebro enim hoc finale reperitur. Et hoc, in Verr.3. Accidit cum iste à Cn. Dolobella efflagitasset, ut se ad regẽ Nicomedem, regemq; Sadalam mitteret, &c. Vt illo itinere ueniret Lampsacũ. Terent. Euenit senibus ambobus, iter illi in Lemnũ ut esset, &c. Tum euenit, duabus animi temerarijs partibus compressis, ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat. Vt nihil inter te atq; inter quadrupedẽ aliquid putes interesse. Item: Tam propè ab domo. Apud socrum tuam prope à meis ædibus. & quod paulo ante audiuimus: Quæ quo propius aberat ab ortu & diuina progenie. Huc referamus & illa comparationum quasi incrementa. Nihil minus. Neq; illi quicquam deliberatius fuit, quàm me quacunq; ratione posset non iudicio, neq; disceptatione, sed ui atq; impressione euertere. Quid aliàs

Far.
Ligario. Pl.
Ligario.
Att. Trebatio.
Diui.i. Parad. In Pis.
Comparatio. Metr. mutationis.

malim, quàm hodie has fieri nuptias. Item: Nihil uidetur mundius. Nec quic
quam propius est factum, quàm ut illum persequeretur. Hæc forma cõueniens
est eorum, quæ quasi opponuntur ipsa sibi. ἀντίθετα Græci nominant. Non
tam perspicue istorum maleficia uideremus, nisi ipsos cæcos redderet cupidi
tas. Pro Quint. Mauult enim commemorare se cum posset perdere pepercis-
se, quàm cum parcere potuerit perdidisse. Eódem pertinent illæ cõparatio-
nis formæ, ubi QVAM & TAM ad sese respondent. Nec tam ut illa adiuuem,
quàm ut hæc ne uideam cupio discedere. Ne non tam prohibere, quàm admo
nere uideretur. Neq; tam me ἰψυχία consolatur, ut antea, quàm ἀδιαφορία.
Et Tusc. 2. In onere nostri milites non plus numerant, quàm humores, &c.
Iam uero quædã planè superuacua putãtur esse. ut, Suo sibi hunc gladio iugu
lo. &, Non hæc illa sibi tempus spectacula poscunt. Quid tu tibi uis? pro Fl.
Cur sibi cõfidat? Et alibi. &: Sibi habeant potentiam, sibi honores. &, Deniq;
si qua sibi alia sumat, non repugno. Quæ oculis intuemur. Terent. Ego me
non tam astutum, neq; ita perspicacem esse id scio. Interim neq; ita longo in-
teruallo. Nunc uereor ne non modo non prosint, uerum etiam aliquid ob-
sint. Cogitare cum animis uestris. Si cum animis uestris longo interuallo re
cordari C. Staleni uitam & naturam uolueritis. Plautus: Mecum recordatus.
Terent. Cum mecum in animo uitam tuam considero. Idem: Itaq; ergo aman
tur. Nunciam. Et, Quid tum postea. Tum deinde. Iam tum. Pro S. R. Non no
ui, neq; scio. Plaut. Scio dares, noui. Teren. Noram atq; scio. Sed quodammo
do quasi cõmendatitias sumpsimus. Qu. Fr. 3. Vt iudicia ne fiant. Me quidẽ
certe tuarum actionum, sententiarum, uoluntatum, rerum deniq; omnium
comitem sociumq; habebis. Factus est consul bis, primum ante tempus, ite-
rum sibi suo tempore, reipublicæ penè sero. Quanquã qui cum loquor? cum
uno fortissimo uiro, id est, cum fortiss. uiro. De Orat. 1. Qui sicut unus pa-
terfamilias his de rebus loquor. Att. 9. Tanquam unus manipularis. Sed ea ue
ro sic agit. Tale est et hoc, quo perlibenter ille usus fuit: Vehementer, etiam
atq; etiã. Iam isti atticismi, qui quidem ualde redolerent uetustatem, annota-
bant non negligenter: præsertim cũ hac quoq; in parte correxisse illã hic no-
ster autor uideretur, quæ his fuisset usa immoderatius. Huiusmodi sunt Plau-
tina plurima, ut ista: Statuam statui, honore honestes, memoriter meminisse,
memoria memini, laudetur laudibus, facinus facere. Sed quanquã multa ma
laq; in me dicta dixistis. Priusquam istam pugnam pugnabo. Tale est apud
Ciceronem, Sectam sequi. Et, Magna uoce iuraui ueriss. pulcherrimũq; iusiu-
randum. Pro Mur. Pugna quæ cum rege commissa est, & summa contentio-

Pro Cl.
Pro S.R.
Pro S.R.
Att. 11.
Plaut.
Sulp.
Lentu.
De Amic.
Cassio.
Pro Cluen.
Metel.

ne pugnata. Inde saxis facta lapidatio est. Et Phil. 2. Sed materia facilis, in te
& in tuos dicta dicere. Tale est: Atq; utinam, ut illa mihi uidere uideor in fo-
ro, etc. Huc pertinere uidetur & hæc forma: Hominẽ neminẽ esse primarũ ar
tium magis principem. Pro Cœlio: Cum hac adolescẽtem hominem habuisse
aliquid rationis. In quo uero maxima uis bonæ & elegantis orationis, &
disertæ atq; eloquentis inesse mihi uidebatur, & quod Ciceronem ita cupide
fecisse intelligerem, ut cum copiosus esse uellet, superfluitatis crimen à qui-
busdam sustinere cogeretur: putabam mihi in primis in hoc studio spectandũ
atque notandum. Id tale est, ut ueteres, non enim Cicero hoc primus fecit, sed
ante hunc Græcorũ quoq; antiquiss. & in primis Homerus: ut illi igitur, cum
non essent cõtenti uno uerbo, quo aliquid significarent cogitationum suarum,
siue non satis explicatas illas, siue hoc etiam melius quærendum aliud arbi-
trarentur, idem iterum alijsq; uerbis non dubitarint enuntiare. Cuiusmodi
possem Homerica maximè permulta commemorare, sed nobis Latinis exem
plis uti placet. Talia igitur sunt: Certamen atq; discrimen. Et, Primum igi-
tur scribam quod intelligo, et perspicio. Et, Quid autem sperem aut cõfidam.
Quod in hoc uno denique falsæ infamiæ finis aliquis atq; exitus reperiatur.
Qui locus orbis terrarum uacuus extraordinarijs fascibus atque imperio
Clodiano fuisset? Homines audaces ab eius templi aditu, atq; ascensu repu-
lsti. Off. 1. Veri inquisitio atq; inuestigatio. Deinde cõtra uim nefariã huius
gladiatoris, tot senatus consultis munita atq; septa est. Adhibete animos &
mentes uestras. Stimulari atq; excitari. Tamen hæc alijs nefarijs cumu-
lant atq; adaugent. Tusc. 4. Quod sit ex usu, iam præsens esse atq; adesse.
Neque uero ad rem quicquam facit illa de manubijs Gelliana disputatio.
Quanquam enim manubiæ & prædæ eiusmodi uerba sunt, ut unum alterum
non interpretetur, tamen in superioribus potuisti planè perspicere talis inter
pretationis studium. Neque etiam tamen illud esse inter illa discrimen puto,
quod ipse tradit: ac potius id, quod est inter Græca σκῦλα & λείας. Sed hoc ex
quirere, præsentis instituti non est. Hanc certe interpretationem in Homero
animaduersam mirifice expressit Maro, in toto suo opere frequentatam. Nos
autem, ut solemus pauca exempli loco proponamus.

Quem si fata uirum seruant, si uescitur aura
Aetherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris.
Mollitq; animos, & temperat iras.
Perq; domos Ditis uacuas & inania regna.

Sed commemoremus etiam alia quædam, inducta à nobis in hoc caput

Pro D.S.
De Orat. II.
Ligario.
Pro D.S.
De A.R.
Pro Plan.
Pro S.R.

Quasi » copioſæ & plenæ orationis. In Verr. 3. Proinde quaſi non & quæſtor ſine
» prætore poſſet rationem referre. Satis enim fuerat, Quaſi. Terent. Proin-
» de expiſcare, quaſi non noſſes: Proinde quaſi non ſatis ſigni eſſe debuerit, ab
Pro Clu. omnibus eum fuiſſe deſertum. Et: Perinde quaſi quid à nobis dictũ aut actum
» ſit, id niſi literis mandauerimus, hominum memoria non compræhendatur.
Tibi » Q. Frat. 3. Vt iudicia ne fiant. id eſt, Ne. Ecce tibi eiuſmodi ſortitio. In Cat. 2.
» Tongillum mihi eduxit. Terent. Phœdria tibi adeſt. Idem: Qui mihi ubi ad
Mihi. Pro Quint. uxores uentum eſt, tum fiunt senes. Eccum hic tibi. Item hæc: Quod ſocium
» tibi eum uelles adiungere, nihil erat. Significat enim, non debuiſti adiungere
Pro Fon. illum ſocium tibi. Vtrum uidetis nihil poſſe accidere, ut tales uiri deſideran-
Torq. di ſint? Si quid acciderit, ut mutandum conſilium ſit. Non eſt pro malis tem
Ora. porum quod moleſte feras. Non eſt cur eorum qui ſe ſtudio eloquentiæ dedi-
» derunt, ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. Quid eſt quamobrẽ quiſ-
quam noſtrum cenſorias ſuſcriptiones omnes fixas, & in perpetuum ratas
putet eſſe oportere. Quæ etiã pleniora fiunt hoc modo: Continuó ne cauſa
Pro Clu. fuiſſet, cur à prætore poſtularet, ut bona poſſideres. Et docui quod primum
Pro Quint. ſum pollicitus C. Aquili, cauſam omnino cur poſtularet nõ fuiſſe. Quid ergo
Pro Clu. eſt cauſæ, quod nũc noſtra defenſio audiatur tanto ſilentio? Hanc ad formam
» & talia pertinent. Simul & illud quis eſt qui dubitet? hoc eſt, quis dubitet?
» Diui. 2. Quid eſt quod me adiuuãt aruſpices? Itẽq; hæc: Quid eſt quod planũ
» fieri teſtib. poſſit, ſi hoc non fit. Ter. Quid eſt, ſi hæc non cõtumelia eſt? Atq;
» hæc etiam Diui. 1. Non eſt igitur ut mirandũ ſit, ea præſentiri à diuinantibus,
» quæ nuſquam ſint. Terent. Nunc eſt profecto interfici, cum perpeti me poſ-
Capt. ſim. Plaut. Nũc illud eſt, cum me fuiſſe, quàm eſſe multo mauelim. Eſt & in
App. his quaſi affluentia quædã. Neq; ut ego arbitror, errarent ne aduerſarij qui-
» dem eius. Ter. Neq; tu haud dicas tibi nõ prædictũ, caue. Quẽadmodũ & in
De N.u. hoc, atq; ſimilibus: Quod neſcio, an ne in uno quidem uerſu poſit tantum ua-
lere fortuna. Sed de hac forma paulo poſt dicemus copioſius. Ad hoc genus
Relatiua rũ ijs De Inuent. 1. apponebam repetita cum relationibus ea uerba, quæ in illis ipſis intelligeren
ad q̃ refe- » tur. ut: Num quæ res ex ijs rebus quæ ſunt poſitæ in partibus honeſtatis cõ-
rũtur. » ſequantur. Tuſc. 5. Quintus hic dies Brute finem faciet Tuſculanarum diſ-
putationũ, quo die eſt à nobis ea, &c. In Verr. 4. An huiuſmodi iudicium
det, quo iudicio indicta cauſa fortunis omnibus euerti neceſſe ſit? Prædia in
Rutilio. æſtimationem accepit, quæ prædia Laberius emerat à Cæſare. De hoc igitur
D.A.R. loco ſacro potiſs. uidentur aruſpices dicere, qui locus ſolus ex priuatis locis
» omnibus hoc præcipuè ius habet. &c. Ità ludos eos, quorum religio tanta
eſt, ut ex

Ita hoc auch ũno poſt hominũ memoriam max. cruddeſsq bello, quale bellũ
nulla ũnq barbaria cũ ſua gente geſsit, quo in bello lex hæc fuit a
Lat. & conſtituta. Catil. III 116.

Quæ res. pro quod. Cæs 65.

eſt, ut ex ultimis terris accerſita in hac urbe conſederit, qui ludi ne uno quidem uerbo appellantur Latino. Terent. Habet bonorum exemplum, quo exemplo, &c. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateq; diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur. Item geminatæ aut multiplicatæ Negationes, in contrario ferè ſenſu. Non poſſum non. &, Nec non. Tuſc. 4. Nec uero illud non eruditorum tempus argumentum eſt. Cum eſſet non nemo in Senatu. Itẽ abundantes præpoſitiones. A Roma: & Att. 11. Illum ab Alexandria diſceſsiſſe nemo nuntiat. &, Tres ſunt uiæ ad Mutinam. Aduolabat ad urbem à Brunduſio. Reliqua eſt etiam quædã in hoc genere obſeruatio, fortaſſe exquiſitior & ſubtilior, ſed huiuſmodi in hac rudita te operis iſtius, niſi fallor, alia quoq; alijs uidebuntur. De quo mihi nimium læborandum eſſe non exiſtimo, præſertim cum hæc expoſitionis opera tibi detur, huius rationis atq; liberalium ſtudiorum cupidiſsimo: cui nihil neq; minutum nimis, neq; ineptum, dicam etiam putidum uideri poſsit. Sed illa obſeruatio eſt locutionum, quarum unum uerbum ſignificationem & ſenſum exprimeret. Quæ in illas planè figuras iam communes linguæ Latinæ incidit, ut paucis nobis indicanda tantummodo eſſe uideatur. Eſt igitur tale: Tenere memoria, pro meminiſſe: Cernere animo, pro intelligere: Opem ferre, pro opitulari: morem gerere, & morigerari. Atq; huiuſmodi plurima ſuppeditant & efficiuntur de his maxime uerbis: Facio, Habeo, Fero, Do. ut Facere auctionem, auctionari: ſponſionem, ſpondere: iudicium, iudicare: miſſum, mittere: Decretum, decernere: planum, explanare: uerba, loqui: impetum, irruere: finem, deſinere: coniecturam, conijcere: reliquum, relinquere: reum, accuſare: inſidias, inſidiari: initium, incipere: largitionem, largiri: conuitium, conuitiari: impenſam, impendere: ſacrificium & ſacra, ſacrificare: fugam, fugare: cõcionem, concionari: lucrum, lucrari: prædas, prædari: deiectionem, deijcere: ſignificationes, ſignificare. Dare ſe fugæ, & in fugam, fugere: Negotium, & mandata, mandare: conſiliũ, cõſulere: Viam & locũ, concedere: Veniam, ignoſcere: beneficium, benefacere. Habere fidem, credere: In animo, cogitare: orationem, orare: quæſtionem, quærere: honorem, & in honore, honorare. Cogitationem, cogitare: concionem, concionari: charos, amare: ſolicitum, ſolicitare. Ferre ſuffragium, ſuffragari: opem, opitulari: Auxilium, auxiliari: Mea fert opinio, ego opinor: Præ ſe ferre, oſtendere, declarare. Huiuſmodi ſunt & hæc, agere uigilias: & eſſe in ſpe, ſperare. Att. 11. Nec in ulla ſum ſpe. Sperari: Dum in ſpe pax fuit. In ore eſſe, celebrari: Cordi eſſe, placere. Dionyſius nobis cordi eſt. In honore, honorari: In animo, cogitare: In laude, in uitio-

Pro L. M. Negationes
Præpoſitionũ ſplenaſ ſemi.
Phil. XII. VI.
Dare
Habere
Ferre
VIII. Vo

in uitio, laudari, reprehendi. Talia sunt Terentiana hæc: Nunquam uidi iniquius certationem comparatam. id est, iniquiorem. & Diuiduum face: id est, De Procon. diuide. &, Fac periculum: id est, experire. &, Qui de socijs cum hostibus faciat pactiones: id est, paciscatur. &: Quasq; gentes nullæ nobis antea literæ, nulla uox, nulla fama notas fecerat. id est, ostenderat. Et Off. 1. Mortemq; oppetat potius. id est, moriatur. Talia & hæc: Dare laudi, uertere uitio, esse uoluptati. Item hæc: Vt efficiens esset uoluptatis. Est enim opinio, de creturum aliquem M Antonio illam ulteriorem Galliam. id est, opinor.

Off. iii. Phil. v.

1 Satis est à nobis ad exemplum quidem & indicationem conatus nostri dictum, de primo genere plenæ & copiosæ, quasiq; exuberantis oratio- nis. Sequitur alterum, tenuis & repressæ, & uelut deficientis. Sit igitur in hoc genere prima illa dissolutio, cum coniunctiones omissæ sunt. Cædem à uobis, coniugibus, liberis uestris, uastitatem à templis, delubris, urbe, Italia depellebam, &c. Certissimis autoribus, legatis, nuntijs, literis. Vidi, cognoui, interfui. Sed tibi morem gessi, literas ad eum scripsi. Sed nihil opus est plura congerere, cum res notata sit. Alia igitur promiscue quidem, quæ in hoc genus retulerimus, exequamur. Tam amicus sum Reipub. quàm qui maxime. deest enim, Est. Amabat ut cum maxime, tũ Pamphilus. Qu. Fr. 2. Domus celebratur, ita ut cum maxime. Ego de te ad Cæsarẽ quàm diligẽter scripserim, tute scis: quàm sæpe, ego. Terent. In illum nihil potest: nam exuperat eius stultitia hæc omnia. Cicero: Nos in senatu, quemadmodum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia & iniquitate, retinebimus. deest, Fieri. Et rursum: Poterat utrunq; præclare, si esset fides & gravitas in hominibus consularibus. Att. 12. Si Silius is fuerit, quem tu putas. deest, Futurum. Quod balneum calfacias oportebit, cætera more nostro. deest, Vt, & Fient. Diuin. 2. Monitum ab eo Crassum, caueret, ne iret. Ad urbem cogito. Quid multa. Terent. Noui ego uestra hæc. In Verr. 3. Si nihil aliud, saltem ut eum cuius opera ipse multos annos est in sordibus, paulo tamen obsoletius uestitum uideret. Pro ut Thermitani hominis facultates ferebant. Pro eo ut. Sicca aliter, sed tibi assentior. Att. 12. Pyliæ & Atticæ salutem. Hæc ad te mea manu. Quod mihi Bruti literas, gratum. Vos scilicet plura, qui in urbe estis. Et innumerabilia huiusmodi in epistolis reperies Ciceronis. nam illis maxime hæc forma idonea est. Atq; eo die cogitabam in Anagnino. Nos hic φιλοσοφοῦμεν, quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος ma gnifice explicamus, προσφωνοῦμεν; Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? Non autẽ iam illas grandiores reticentias, quæ in arte notantur, dico.

Treba. Lentu. Peto. Att. xii. Att. xv.

ὑποβίωσιν ἡδεῖαν

ut: Audirem fortasse, quanquam. sed hoc malo dicere, Audirẽ. &, Dij illi mortuo. Qui unquam Buthrotum uenit. Itemq; orationes quasi deficientes in perturbatione animi. Ego ne illam? quæ me? quæ illum? &c. Te, ne cum socij tui fugerent, ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum præda, sed de huius maleficio fieri uideretur, potiss. tibi partes istas depoposcisse, ut in iudicio uersarere, & sederes cum accusatore? Hæc enim rhetoribus relinquenda sunt. Sed illò pertinent & hæc: Quid indignius quàm uiuere eum, qui imposuerit diadema? Et: Optimũ uero, quod dictaturæ nomen in perpetuum de Repub. sustulisti. Deesse sæpe eas uoces etiam notaui, quæ quia præponi alijs solent, præpositiones proprio nomine uocantur. Vt in hoc: Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare posit. Et Att. 8. Vt etiam Italia, si ille cedat, putes cedendum. Et Phil. 2. Victor Thessalia Brundusium cum legionibus reuertisti. Terent. Præterea autem, te aiunt proficisci Cyprum. Qualia sunt & hæc: Quæso quid nobis futurum est? Et, Ea re non uenit in mentem. Teren. Quia enim incertum est etiam, quid se faciat. id est, de se. Desunt & ij sæpe casus, qui sunt præpositionum proprij, ut Ad Castoris, ad Concordiæ. Qu. Fr. 3. Ad Telluris quidem etiam tuam statuam locaui. Rapinas scribis ad Opis fieri. Romæ & max. Appia ad Martis. Rursum sic absunt: Erit causa, qua consilium maiorum, &c. iure ac merito laudare possimus. id est, ob quam. Item in Verrem: Siciliæ quidem cum essem, sic à Centurupinis, sic à cæteris audiebam. id est, in Sicilia. Off. 3. Ithacæ uiuere, ocioseTusc. 5. Quorum uirtus fuerat domi militiæq; cognita. Hic rursus multas studioseformas sermonis collegi, in quibus semel diceretur, quod iterum intelligeretur, quasq; isti cõprehensiones uocant. Valde enim apposito harum usu Latino quodam & Ciceroniano colore tingi oratio uidebatur, quod de exemplis licet animaduertas Neq; uero illum similiter, atq; ipse eram, commotum esse uidi. erectus enim maximi ac pulcherrimi facti conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur. Ex quib. unus aliquis capiendus, si plures non queas. &: Atq; utinam ut culpam, sic etiam suspicionem uitare potuisses. &: Sed cum mihi pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda sint. Requisiui equidem proprias ad me unum à te literas, sed neq; uehementer & amanter. Sed cadere timuisse, quæ cæteros. Vt L. Luculli summi uiri uirtutẽ quis? at quàm multi illarum magnificentiã imitati sunt. Quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse uenio, coràm uidebimus. Meus ille laudatus consulatus mihi te, liberos, patriam, fortunas: tibi uelim ne quid eripuerit, præter unum me. Aut per te cõsici aliquid, aut nullo modo poterit.

Phil. xii. Pro S.R. Phil. 8. Lucceio. Pro D.S. Vt. Phil. 1. Part. Phil. 11. Corniſ. Pro Planc. Off. 1. Att. xii. Qu. F. 1.

D.Pr.C. Quasq; gentes nullæ nobis antea literæ, nulla uox, nulla fama notas fe-
» cerat, has noster Imperator, nosterq; exercitus, & populi R. arma peragra-
runt. Quo loco notandum, congruitatem esse constructionis, ut cõmune uer
bum ad proximè antepositũ respondeat: ut in exemplis superioribus est cer
Pro Fl. nere. & in hoc: Vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ,
» atq; in omnes terras distributæ putãtur. Sed redeo ad eas formas, quasi dimi
nuti sermonis, in quibus eæ quæ propriè nominãtur præpositiones deessent.
In Pis. Vt: Thessalonicenses cum oppido desperassent, munire arcẽ coegerũt. Item:
Phil. vii. Hac grauitate senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore po. Ro. potes
» in perpetuum metu & periculo remp. liberare. Et pro L. M. Quam ille non
Tus. iiii. Off. i. consilio regere, & integritate tueri, & uirtute conficere posit. Omnes per
turbationes iudicio censent fieri & opinione. Item: Coactus quis metu, aut de
Att. xi. Ser. Sulp. ceptus dolo. Eius me literis uenisse. Item: Hominẽ enim summa probitate,
» humanitate, obseruãtiaq; cognoscas. id est, cum probitate, siue præditum pro
bitate. Terent. At ita, ut fuit usquam fide quisquã optima. Vt in hoc: Verum
Pro Cæc. & illud cõsiderati hominis esse putauit, &c. deest Officium. Vt in hoc: Non
est mentiri meum. Sed forma hæc non magis obscura esse iam potest. Alia
» obseruabatur talis: Satis est, quod instat de Milone, id quod iudices nullos ha
Pro A.C. bemus. deest Ob. Et hoc: Nihil est, præsertim in re aperta ac simplici, quod
» excellens ingenium requiratur. Quid enim laboro, nisi ut ueritas in omni
Treb at, sermone explicetur? Annotauimus & hanc figuram inter deficiẽtes, quam-
» uis sententia exundare uideretur. Moriar ni, quæ tua gloria est, puto te mal-
Pro Cæl. le à Cæsare consuli, quàm inaurari. intelligitur enim, pro ea gloria, quæ tua
» est. Genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atq; uerborum, quæ
uestra prudentia est, perspexistis. Nec non clausulas orationis plærasq;
ipsas deficientes. Vt: De his literis hactenus, De his satis. Tuscul. 3. Ego cum
» genui, moriturum sciui, & cætera. Iam hæc planè deficiunt: Non tam per-
Pro S.R. Di. N. i. spicue istorũ maleficia uideremus. intelligitur enim, quàm uidemus. Ad quẽ
tum Epicurei primas deferebant. deest, partes. Phil. 8. Primas omnium ci-
P.R. uium P. Nasicæ, qui Tiberium Grachum interfecit, dare solebat. Tale &
hoc: Quid? ut agerentur gratiæ, &c. Et Terent. Quid si ego illam nolo uen-
dere? deest enim & in illo, dicam: & in hoc, fiet, aut simile aliquid. Ita dicũt
obire, pro obire mortem. Virilem, pro parte uirili. Defunctum, pro uita fun-
ctum. Ex quo genere est, dextra & læua, cum manus intelligitur. Itemq;
hæc: Herus me relictis rebus iussit Pamphilum obseruare. deest, omnibus. Et
rursum: Mihi nunc relictis omnibus quærendus est. deest, rebus. Eódem etiam
solebam

solebã annotare quædã, præse quandã negligentiã ferentia: in quibus imitan
dis uel maxima diligentia opus esset. Huiusmodi multa à nonnullis ut uitio-
sa, ab alijs ut uitiosorum similia carpuntur. A quorum opinione ita longe ab-
sumus, ut hæc ipsa in primis, si arte tractentur, studij huius opus lætum ac ni-
tidum, tanquam omnibus coloribus collustratam picturam, redditura esse ui-
deantur. Tale est: Ab hac indole iam illa matura. Vxor generi, nouerca filij, Ora.
filiæ pellex. Nec uero hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia dice- Tale ẽ de
remus. Ipsa enim illa pro Roscio iuuenilis redũdantia, multa habet attenua N. d. eg, si
ta, quædam etiam paulo hilariora. At pro Habito, pro Cornelio, complures q; loru nõ est
aliæ (nemo enim orator tam multa, ne in Græco quidem otio scripsit, quàm mendosa. Et
multa sunt nostra) eaq; hanc ipsam habent, quã probo uarietatem. Primum in orat. 211.
enim uides quasi exclusum esse membrum illud, cui subiecta ratio respon-
deret. ut integrũ tale fuerit: Nec uero hic unus ardor in nobis, ut hoc modo om-
nia diceremus: sed uarietatem semper amauimus. Ipsa enim illa pro R. &c.
Verum ab eo loco: At pro Habito, &c. omnia pendent, uerbis & sententia
ac cogitatione sunt stabilienda. Considera & hoc: Histriones eos uidimus,
quibus nihil posset in suo genere esse præstantius, qui non solum in dissimilli-
mis personis satisfaciebant, cum tamen in suis uersarentur: sed & comœdum
in tragœdijs, & tragœdum in comœdijs admodũ placere uidimus. Ego non
elaborem? Vt enim hæc clausula, Ego non elaborem? intellectu quàm uerbis
magis est hoc loco cõcinna & apta? Sed huiusmodi iste autor noster refer
tus est. Huc pertinent & illa, in quibus quod quasi ostenditur, non præstari Att. xvi.
uidetur. ut in epistola ad Plancum: Tamen hoc pro coniunctione & beneuo-
lentia uestra mihi sumpsi, ut id à te peterẽ. Nam nulla petitio exponitur, cum
illud ita sonet, quasi petiturum se esse profiteatur, cumq; alibi petitionum for
mas diligenter explere Cicero soleat. Sic & Sulpitio scribit: Gratiss. igitur mi
hi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, &c. Nulla enim fa-
cta est manifestè quidem commendatio. Eódem apponebam & repetitio-
nes eorundem uerborum, quasi inopia laborantis cogitationis,, & deficien-
tis orationis. In quo tantum abest ut nostra miremur, ut usq; eò difficiles ac Ora.
morosi simus, ut nobis nõ satisfaciat ipse Demosthenes. Sic NAM, ENIM Treba.
EST, SVNT, crebrò repetita inuenias. Sed iam satis iocati sumus. Ego de
te ad Cæsarem quàm diligenter scripserim, tute scis: quàm sæpe, ego. Sed me
Hercule iam intermiseram, ne uiderer liberaliss. hominis meiq; amantiss. uo-
luntati erga me diffidere. Sed tamen his literis, quas, &c. Talia & hæc pu-
tanda: Quod tu mihi literas mittere intermisisses, Et: Quanti uenire soleant,

Verr. vi. Curio. Cluuio. Att. xv. Bruto.

quanti hæc ipsa, si palàm libereq; uenirent, uenire possent. &, Vidisse mihi multũ uideris. Itaq; nisi magnam spem haberem, C. Cæsari nos causam municipij comprobaturos, non erat causa, &c. Te nolui impeditum impedire. Cum multa propter eam curã, quam pro Repub. suscepi, grauiter ferrem, tum nihil tuli grauius. Terentius: Ecquid de illo, quod dudũ tecũ egi, egisti Syre? Idẽ: Vin me istuc tibi, etsi incredibile est credere, credo. Ad hoc siue genus, seu caput, aggregabam & illam antiquitati elegantem uisam, & multum frequentatam allusionem uerborum: id est, usum simili sono exeuntium uerborũ, qui est apud Plautũ immodicus, repetitis ijsdem etiam uerbis, diuerso tamen ferè intellectu uel inclinatione. Qui illã hic uidit osculantem id uisum ne uisum siet. Namipsa mihi opportunitas non potuit opportunius aduenire, quàm hæc cauata est mihi opportunè epistola. Is est amicus, qui in re dubia, re iuuat, ubi re opus est. Salua impertit salute facta infecta ut sint. In quibus non modo non affectasse illos uarietatem, sed etiam uitasse, quæ nimis exquiri postea cœpit, potes animaduertere. Huiusmodi sunt multa Terentiana. Quod in opere faciundo operæ cõsumis tuæ, si sumas in illis exercẽdis. Vnũ cognoris, omnes noris. Quẽ diceret, nisi haberet cui maledicere. Quod ab ipso allatum est, sibi esse id relatum putet. Spe incerta certum mihi laborem sustuli. Si id est peccatum, peccatum imprudentia est. Quorum æmulari exoptat negligentiam potius, quàm istorum obscuram diligentiam. Sed sunt hæc innumerabilia, quæ quidem huic parti obseruationis subijciebamus, quia ijs credo, qui dissimilitudinẽ & illam uulgarẽ copiam uerborum appetunt, eadem hac ratione inculcari uideantur. Indicatum etiam genus hoc superius paulo est, ubi de ea quam Pontanus alliterationem nominaret, diximus. Nunc aliquot Ciceroniana exempla commemoremus. Id feci, quid profecerim. Quanquam tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum. Qui paulo ante interitum uisus est in somnis, amicæ esse amictus amiculo. Eum certe potius, qui sibi alia ratione diffideret, quàm eum qui omni ratione confideret. Cogitare tantum sibi à Po. Ro. esse permissum, quantũ commissum & creditum. Si præsidium non præponitur huic urbi ista colonia, sed opponitur. Quod est ex hominum omni genere humanissimũ. Quàm fuisset tum congressio, tum uero digressio nostra. Tu uero ut me & appelles, & interpelles, & obloquare, et colloquare uelim. Idq; me non ad meam defensionẽ attulisse, sed illorum defensioni retulisse. Cum autem post hæc ad cõpositionem uerborum respicerem, non illam dico numerorum et artis rhetoricæ, sed

Verborũ allusio

pag. 54.

Treba. Diuin. II.

Pro Clu.

Qu. F. I. II.

Pro A. C.

De cõpositione tertia.

sed proprietatis hanc & naturæ linguæ Latinæ: In hac igitur non ferè quicquam notando obseruandoq; ordine & continuatione illorum proficere me sensi. Nam studebam etiam hæc primũ generatim comprehendere, quæ uerba quibus anteponi, & quæ incipere, quæ concludere sensus animi nostri in oratione deberent. Hanc cogitationem excitauerat Grammaticorum doctrina, apud quos legissem nescio quid de tali certitudine ordinis uerborum. Ita enim ferre quorundam naturam, ut præponi oporteat: uelut quæ Præpositiones dicuntur. Solere & aduerbia plæraq; præponi uerbis: Interrogationibus & infinitis nominibus subijci responsiones & relata. Nec non adiectiuis, ea quibus adiecta essent. Præterea animaduertebã in nostræ gentis uernaculo sermone, necessariò quendam ordinem teneri. Quis enim, quod dicam, aliter quàm ita positis uerbis eloqui ausit? Singulis quinis annis incidit bissextilis. Quam quisquam barbarum sit, si ita faciam hoc: Ternas cotidie ego in Cicerone legendo horas consumo. Quapropter (non enim satis certa illa, quam dixi, doctrina uidebatur) notabam in nominibus huiusmodi quædam. Adiectiua post ea poni, quæ naturas rerum uocabula signarent, tum maxime, cum non generatim, sed amplitudinis, extenuationis, laudis, uituperationis, explicationis, interpretationis, illuminationis nomine apponerentur. Vt: Verumetiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo. Item: Quires magnas & magnopere expetendas cõcupiuerunt. Et: Pontifex Max. & ad consulatum adipiscendum. Sed generatim posita, & se quasi complectentia, anteponi. ut, Transuerso foro, bonarum artium, optimarum disciplinarum, rectis studijs, æternam gloriam, Cononis præstantissimi Imperatoris filius, Pythagoræus ille Lysis. Similiter cum ipsum quod adijceretur, cõmune esset duorũ plurium ue. ut: De omni deniq; aut officio, aut negotio. Itaq; sic censebam loquendũ, ut dicerem: Multi oratores magni & clari fuere. Sed uerbo mutato ita: Multi flõruere oratores magni atq; clari. Item, In præstantibus rebus. sic: In rebus præstantibus, laude ac bonitate. Tum uero uerbis, quæ ita proprie nominantur, putabam præcipua cola sæpe, ambitus & circunductiones semper finiendas. Hæc cum uel ita uel ad similem modũ certum aliquem & cõstantem habere se sperarem, tum animaduertendo comperi sic esse multiplicia, uaria, inobseruata, ut uel nihil certitudinis inesset omnino: uel si quid esset, nobis quidem certe esset incomprehensibile. Veruntamen ista in spe non nauatam quidem operam, sed neq; lusam prorsus sentiebam. Nam in tali uestigatione scriptis his, regulæ ac normæ dicendi, incubueram (ut ita loquar) pertinacius. Est igitur hæc res tota in lectionis & scriptionis diligentia

Priſc. x vi.

Adiect.

Orat.

Verba

nis diligentia atq; assiduitate posita. Vt enim fieri aliter nequit, quin is, qui
in imbre aut sole multum ambulat, madescat ac coloretur: Ita frequentatio
nostra librorum illorum, necessario conciliat familiaritatem illius dictionis
nostræ dictioni. Tum ergo deinde conuerti me ad eam coniunctionem uer-
borum inspiciendam, qua uel nomina ipsa secum, uel cum uerbis, uel cum a-
lijs partibus orationis proprie & Latine componerentur, ut animus quadam
ueritate sententiarum Latinitatis, de quibus diximus, hoc est pulcherrima
re præditus cogitandi Ciceronianè (non enim fugienda magis inuidia nomi-
nis) ita construeret in eloquendo uerba atq; collocaret, itaq; orationem ef-
fingeret, ut omnia inter se essent consentanea, ne quid discreparet dissentiret-
ue. neu aliam gentem ac nationem, dicam etiam aliud tempus, aliam domum,
aliam familiam, redoleret atq; resipisceret. Has figuras sermonis uocamus.
quæ sunt conquisitæ à multis laboriosè et præclarè. Sed ab illorum opera &
studio non tantum afferebatur adiumenti cupiditati nostræ, quantum requi-
rerem. Neq; tu mi DANIELE unquam confidas, te de quamuis locupletibus
ullorum commentarijs hoc posse, de quo disputamus, consequi, ut bene utaris
Latina lingua: id est, Ciceronianam similitudinem ut appetijsse uidearis. Ne-
que hoc eò dico, quo illa non & legi & magnificri uelim: sed ne quid ab his
nescio quid præclari expectetur, quasi ab illis ipsis aliqua facultas Latinita-
tis speranda, ac non potius tanquam talibus uestigijs ad caput eloquentiæ, id
est scripta ueterum perueniendum sit. Nam qui his freti, omnia quæ ad illam
desiderentur mox præsto futura esse existimant, mirifice decipiuntur. Deq;
tali securitate oratio ferè existit, quæ doctis nõ minus inepta uideatur, quàm
senis Phormionis de re militari habitam Hãnibali uisam accepimus. Vt enim
hîc non putabat sibi audiendum, disserentem de officio Imperatoris, eum qui
nunquã stipendiũ meruisset, neq; hostem aspexisset: ita nõ diu multũq; ipsos
in scriptis ac libris Ciceronianis cum maxima attentione atq; uigilantia uer-
satos, exercitatos, periclitatos, sperare se de aliorũ quasi narrationibus consti
tuere posse formã laudabilis orationis, eruditi moleste ferunt. Ad hoc igi-
tur nũc deuenimus, in quo ego omnia esse iudico: quod arti & rationi nulli pa
ret, sed est infinitum ac immensum, positum in exercitatione, usu, labore, stu-
dio, diligentia uniuersum. Quæ sunt eiusmodi, ut nihil tam difficile neq; remo
tum esse possit, quod illis adhibitis non obtineatur, atque appræhendatur. ut
De Orat. ii. uerissime Cicero scripserit, una uirtute diligentia omnes uirtutes contineri.
Quid tamen & hac in parte molitus sim, accipe: ego, qui ab hoc, quod prædico, longissime absum, quo scilicet multum ualere in præcipiendo autorita-
tem meam

tem meam æquum fuerit. Mitte, inquit ille, ista: & quæ aiebas te molitum,
mihi expedi. Cum igitur, ut aiebam, compositionem uerborum atq; ordi-
nem certum, inquam, aliquem & imperturbatum obseruandi laborem frus-
tra susceptum esse appareret, omne studium conuerti ad notandas figuras,
id est, naturam & uim sermonis Latini. quæ, ut uerba, cum esset etiam ab alijs
maxime ueteribus Poëtis, acquirenda, præparare ad hanc quoq; regulam &
amussim Ciceronianam quandam studebam. Seponebã autem mihi in primis
ea, quorum uarietas nonnulla à me esset animaduersa. Sed de his paulo post.
Nunc quod ad ordinem attinet, totum exequamur. Nam quamuis ille in ui-
am & rationem nullam introduceretur, tamen quædam, quæ eximiam in- cc
uersionem & mutationem notabilem simplicitatis haberent, uel saltem habe
re mihi uiderentur, in uno iam quodam genere inuersionis annotabam, ip- cc
sumq; ad superiora duo, plenum inquam illud, et hoc quasi deficiens, tertium
faciebam ueluti caput obseruatiunculæ meæ. Quò etiam ea referebam, in qui
bus non ordo iam, sed tota quasi natura esset, nostra quidem opinione, diuer-
sa, uel genere uel numeris uel quomodocunq; commutatis. Vt (nam tibi ex-
emplis lubet cognoscere) Mecum, Tecum, Quicum, Quibuscum, Certas in cc
partes, Qua de re, Quo de agitur, Quo ego in numero essem, Quos propter cc
omnia amisimus. Terent. Qua me propter exanimatum citius eduxi foras. cc
Quos contra, Hac super re, Quantis in miserijs, Quamobrẽ, Multis cum ar- cc
gumentis, Quam ob causam, Qua ex opinione hominũ, Hunc post Rhodius cc
Hieronymus. Deuinctũ cõsuetudine cum teneret, Capuã cum uenissem. Quæ cc
ille amentiß. fecerit, nisi acceperit. Facis amice tu quidẽ, mihiq; gratiß. Quis cc
autem est tanta quidẽ de re, quin uarie secũ ipse disputet? Melius si quid accide cc
rit, mirabimur. Quo eruperit uides. Inimicus non esse qui potest? Spes ut nul cc
la sit. Mihi si quid deberetur, peterẽ. Oriens incendiũ qui restinguerent, sum- cc
mos uiros misimus. Nihil potuit mihi quidẽ, ut uisum est, dulcius. Te ut nobis, Domũ.
parenti, cõiugi, tuisq; omnibus, quibus es, fuistiq; semper chariß. saluũ conser Lucceio.
ues. &: Voluntatem declararem meam. Monumentis commendari tuis. Te- cc
rent. Et animum amicæ se erga ut sit suæ. Et, Hilarem in modum. Ex hoc cc
tanto numero deductus est nemo. Vsq; eo quid arguas non habes. Neq; ullum cc
prætermittemus tui iuuandi & leuandi locum. Huiusmodi apud Comi- cc
cos paßim occurrũt, quæ uides nõ esse poëtica licentia detorta, sed Latini ser
monis propria. His adiungebam continuarum uocum dissectiones, & si qua
interposita et quasi inculcata contextui simplici uerborũ reperissem. Quod
intellexi multipliciter fieri solere, atque iccirco diligentius annotare cœpi.
Talia sunt.

Pro Quint. Talia sunt: Antè fieri oportere, quàm ad hanc rationem extremam & ne-
Phil.xiii. cessariam deuenire. Antè uero quam ea res, quam auidiß. ciuitas expectat, al-
lata sit. Per mihi gratũ est. Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo. Per
Att.x. enim magni æstimo. Ad item uicinum alterũ consulem. Nihil tamen tanti, ut
I.S. à te abessem fuit. Postea uero quàm magnã spem habere cœpi. Talia sunt:
P.R. Res uero publica. Próuecoß. Senatus extare consulta. Et: Dicere enim bene
In Bruto. nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. Itẽ: Viditq; rerum agendarum or-
De Fin.iii. dinem, & ut ita dicam, concordiam. Et: Quodammodo sunt non dißimiles
iiii. Pro Quint. Aristoni. Clamabat quodãmodo. Iam tu potes discedere liberatus molestia
Treba. propè dicam, non minore quàm Quintius. Quod mihi interdũ, pace tua di-
Verr.iii. xerim, leuis in urbis urbanitatisq; desiderio, &c. uidebare. Hi ut dico, ho-
App. minẽ admonent. Verũ ut instituì dicere, &c. Id mihi, ne mentiar, gratum
Ligario est. Dico me hercle ut sentio. Terent. Est hercle inepta, ne dicam dolo, atque
Att.ii. absurda. Sed mihi opus erat, ut apertè nunc tibi fabuler, &c. Quod inter
Tusc.ii. nos liceat dicere. Sed prudentes, ut est captus hominum, satis hostem aspi-
cere non possunt. Terent. Hic Geta prætercà, ut captus est seruulorum non
Pro A.C. malus. Ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis. Est omnino patria charitas
Planco. meo quidem iudicio, maxima. Terent. Et errat longe, mea quidem senten-
" tia. De quo cætera, nisi plane uis eripuerit, recte sunt. Tũ illud, nescio quid,
Pro Arch. præclarum ac singulare solere existere. Quæ si manebunt quærenda erit ex-
Att.xii. cusatio ad Brutum, &, ut nunc est, mansuræ uidentur. Certe transeunt, uel
viii. Luceio. quomodo nũc est, transierũt. Ergo & domestica feremus, ut censes. Item: Te
" enim spes aliqua cõsolatur, ut scribis. Item: Itaq;, ut mones, quantũ potero me
Pro Flac. ab omnib. molestijs & angorib. abducã. O pastores, nescio quos cupidos li-
" terarũ, & ille nescio quis. Teren. Dixere tũ causam nescio quã. Sed ut sibi ui
" detur, ita doctus, ut etiã magistrũ aliorũ se esse dicat. Si licuit, sicut id certe
" licuit. Namq; ut opinor, Asia uestra cõstat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia.
" Neq; ut opinor, sine tuo magno malo. Vt nescio quid à te impetratũ esse ui-
Pro R.S. deatur. Qui in sua re fuisset egentiß. erat, ut fit, insolens in aliena. Terent.
" Forte, ita ut fit, filiũ perduxere. Dubitate etiã nũc iudices, si potestis, à quo
" sit Sex. Rosc. occisus. Quàm sis audax, ut alia obliuiscar, hinc omnes intelli
" gere potuerunt. Qui omnes, quod ad me attinet, uellẽ uiuerent. Sed in ani-
" mo est, quemadmodũ antè dixi, leuiter transire. Alter, si Dis immortalibus
" placet, etiam testimonium in Sex. Rosc. dicturus est. Terent. Ille nobis, si Dis
" placet, psaltriam parauit. Itaq; illud alterũ quod dixi, literarũ genus, quoti
" die mihi fiet, ut spero, procliuius. Quæ malum, est ista tanta audacia. Plus
nescio quo

nescio quo pacto, uidetur habere grauitatis. Cũ in hortos D. Bruti auguris "
cõmẽtandi causa, ut assolet, uenissemus. Sed ut mihi uideris, nõ recte iudicas "
de Catone. Qualis, ut arbitror, nemo unquã erit: &, ut cõfirmare possum, "
nemo certe fuit. Nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatẽ optare "
uellet. Quamobrem cum illo quidem, ut suprà dixi, actum optime est. "
Quin, hæc ut omittam, quàm graues, quàm difficiles plærisq; uidentur cala- "
mitatum societates. Ab amicitia Qu. Pompeij meo nomine se remouerat, ut "
scitis, Scipio. Sed plæriq; peruersè, ne dicã impudenter, amicũ habere talem "
nolunt. Quanta illi, Di immortales, fuit grauitas? In qua nisi, ut dicitur, a- "
pertum pectus uideas. Agamus igitur pingui Minerua, ut aiunt. Cœlio: "
Velles enim, ais, tantum modo ut haberem negotij, quod esset ad laureolam sa "
tis. Eidem: Quod si, ut spero, cœpero. &: Falsum est, mihi crede, si quid audi- "
isti. Lætus sum laudari me, inquit Hector opinor apud Næuiũ, abs te pater De A.R.
laudato uiro. Non sunt illi eiulatus & gemitus Philoctetæ tam miseri, quam Qu.Fratr.
quam sunt acerbi, quàm illa exultatio. Erit credo periculũ, ne improbũ ne-
gociatorẽ, &c. Vides uarietatẽ summã interpositionũ, molliendi, cauendi,
dubitandi, excipiendi, notandi, repetendi, eleuandi, fatendi, affirmandi, negle-
ctionis, cõcessionis, irrisionis, indignationis, correctionis, explicationis, de-
nique omniũ penitus sensuum animi. Quanquã autem in his quædam sit uerbo-
rum sententiæq; uelut exuberantia, tamen ad hoc genus transpositionũ, pro- γ del. inst. β
pter inculcationem, qua ordo turbari uideretur, referre maluimus. Sequi-
tur ut de ijs quoq; pauca dicamus, quorum est tota forma simplicis elocutio-
nis mutata in quodam communi usu, ipsaq; adeò proprietate linguæ Lati-
næ. Volo enim te intelligere, intra hos quasi cancellos includi totam hanc di-
sputationem nostram, neq; ad alia maiora progredi audere. Quos nam, De figuris gb.
inquit ille, aut quæ maiora? Quia de his, inquam, etiam magistri artium in omni mihi ubi
dicendi multa docent atq; præcipiunt. Sed eorum præceptorum magnus est mutabit oratio.
splendor & copia. Nos uero, ut uides, materiam tantummodo cædimus, quæ
postea illo artificio ad perfectionem eloquentiæ absoluatur. Nam ad hanc e-
tiam magnitudinem & granditatem artis deducere imitationis nostræ nar-
rationem, uellẽq; ostendere quid in hac secuti simus, atq; conati, primum ni-
mis longum esset: si quid maxime haberemus, quod in medium proferre pos-
semus, dignum studio nostro & tuis auribus. Nos uero magna laboramus ab
his bonis inopia. Et sic tamen se res habet. cum uia & ratio huius artis nota
sit & usitata, nihil est quod ullius facti aut periculi noui mentio requiratur,
cum quid faciendum, & in quo periclitandum sit, appareat. Hoc tamen no-
bis sentiendum,

Casus mutati Cas. 72.

bis sentiendum atq; tenendum, ab his principijs obseruationis & notationis Latinè, id est Ciceronianè cogitandi atq; loquendi, custodiendam in arte quoq; dicendi, exempli et imitationis consequentiam, ut summa cum imis, & ultima cum primis congruant atq; conueniant. In quo omnia faciliora uidentur esse, quòd huius ipsius autoris stilus artem, de qua nunc loquimur, quæ dicendi, seu Græcè Rhetorũ uocatur, non modo leuiter attigit, sed totam exposuit atq; explicauit: ut non ad aliorum tradita de illius scriptis exempla nobis applicanda, sed de eius sensu & uoluntate assumenda sint. Quapropter intra hos terminos consistemus, ut de communi & uulgari usu ac more sermonis Latini, ut hactenus fecimus, tecũ, qui nos tam libenter audis, etiam hæc non aliqua arte, sed consuetudine sensus communis expressa, disseramus.

Facis humanè, inquit ille: qui mihi, quod te libenter audiam, propè gratias agas, cum ingentes tibi à me debeantur, quod nihil omnium quæ uelim, abnuere soleat studium tuum. In alijs quidem rebus, inquam, hoc mihi nomine deberi nullas certum est, cum sine scelere aliter facere nequeam. Sed in hac re est, quod agas, Tua enim causa ineptum esse me uides. Verum rem instituta exequamur. Mutationes igitur animaduerti atq; notaui in scriptis Ciceronis uarias, communis & quasi determinatæ præceptis formæ loquendi, de quibus suprà paulo nonnihil tractatum est. Præterea autem & has numerorum, cum illi ambo commiscerentur. Vt in hoc: Equidem etiam ex his fructum capio laboris mei, qui iam ætate prouecti in nostris libris acquiescunt, quorum studio legendi, meum scribendi studiũ uehementius in dies incitatur. Et illud de epistola M. Curij: Tironemq; meũ saluta nostris uerbis. Et, προσφιλῶς noster Attice. Plaut. Minime istuc faciet noster Demones. Et Terent. O noster Demea.‡ Et mutati modi uerborum. Vt in isto: Memineritis, quarũ rerum inuidia, lege hac recenti ac noua, certus est inquisitioni comitum numerus constitutus. pro, certus sit inquisitioni, &c. ut in subiunctione. Cuiusmodi cum passim apud Ciceronem occurrant, & alicubi suspecta scriptura esse soleat, non temere committemus, ut emendare atque corrigere uelimus, cum permulta apud Terentium atq; Plautum talia reperiantur. Menæchmis: Ni sciscio qua gratia litigium tibi est cum uxore. Nosce saltem hunc quis est. Cum libella nusquam est, nisi quid leno hic subuenit tibi. Teren. Non dici potest, quàm cupida eram huc redeundi. Nisi finem maledictis facit. Age scis quid loquar. id est, quid sim dicturus. Rursum Plaut. Nunc priusquam malum istoc addis, certum est iam dicam patri. Terent. Audistin' homo ille modo quam uillam demonstrauit Carini. id est, demonstrauerit. Vt nihil credas intelligere

Numerorũ mutatio Diuin. II.
Att. VIII.
Pro Fla.
Modorũ
Pfeud.
Bach.
quã doctrã parit Gallia dixera my Cas. 62 et 79

‡ In quo genere insigne hor Virgilium: Lib. 10. Nos, an miseros qui Troas Achiuis obierit?

obierint. Nos an miseros q Troas Achiuis x Aeneid. 358

intelligere, nisi idem dictum est centies. Mutantur & modi sic, ut contrà pro indicantibus poni subiuncta uideantur. Qui ab isto ius ad utilitatem suam nundinarentur. Plaut. Quia uera obessent illi, cui operam dabam. id est obstatura erant. Modo enim, quæ uellemus de Lepido, modo contrà nuntiabantur. &: Nihil prætermisi in te ornando, quod positũ esset aut in præmio uirtutis, aut in honore uerborum. Item: Qui & te nossem, & tuarum literarum ad me promissa meminissem. Rursum et Cicero, et priores ferè, ad hanc cõiunctionem SI, maxime futura indicatiui apposuere, pro subiunctiuis uerbis. Plaut. Si hinc redibo. Memento si quid sæuiũt senes, suppetias mihi cum sorore ferre. & sexcenta alia. Cicero: Vnum uero si addis ad præclaris. res consulatus. &: Hæc si & ages & senties, tum eris non modo consul, &c. Præclare nobiscum actum iri si pop. Rom. istius unius supplicio contentus erit. Mutatur persona, cum generaliter aliquid secunda in persona eloquimur. Terent. Quid cum illis agas, qui neq; ius, neque bonum atque æquum sciunt? id est, agat aliquis. Ego autem si dignitas est bene de rep. sentire, & bonis uiris probare quod sentias, obtineo dignitatem meam. Sin autem in eo dignitas est, quod sentias, aut re efficere si possis, &c. Cum hoc homine, aut stipite æthiope, si in foro constitisses, nihil crederes interesse. Teren. Abs quibus homine beneficium, cum opus est, accipere gaudeas. Iam cum pronomina inuenta sint, ut nominum, maxime propriorum posita loco, sua significatione illorum, orationem & perspicuam & elegantem magis redderent, mutatur tamen hoc nonnunquam, fitq; oratio quasi splendidior hoc pacto. ut cum simpliciter potuisset Cicero sic scribere, Vt intelligãt omnia mea patere tibi: ipse maluit ita, Omnia Ciceronis patêre Trebatio. Habet hic proprio-rum nominum usus & elationis, aut abiectionis significationem. ut: Et consuli, & Antonio. Item: Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obuiam, Cicero Appio noluit. Sed hæc sunt ῥητορικώτερα. Sunt & istæ mutationes minimæ inuentæ animaduertendæ: Quæso quid hominis es? Id ætatis. Id temporis. Quid rei. Sed quid mulieris uxorem habes? Nisi aliquid monstri alunt. Hoc literularum exaraui. Non debet præstare, quod fornix uitij fecerit. Nihil habuisse cogniti, nihil comperti. Si quid animi ac uirtutis. Et in narrationibus infinita posita pro finitis. Ipsa accumbere mecum, mihi sese dare, sermonem querere. Cicero hic iudices ridere, stomachari, atq; acerbe ferre patronus, causam sibi eripi. Rursumq; hæc: Dubius animi: Pendeo animi. Vt Terentianum hoc, Istius obstaturabere. Itemq; illa rursus: Venit ipse in ædem Castoris, cõsiderat templũ, uidet undiq; tectũ, pulcherrime laqueatum,

Verr. III.
Capt.
Plaut.
Capt.
Bpid.
Planc.
Verr. III.
Plaut.
Verr. III.
Att. XII.
Top.
Pro Clu.
Verr. III.

51.

Personarũ III.

Propria nõa pro Bis nominibg

o 2

Sui iũris et dignitatis retinens. Att.

Præstat forma de facto

» laqueatũ, præterea cætera noua atq; integra. Versat se, quærit quid agat, di-
» cit ei quidam ex illis canibus, &c. Præsentiæ enim forma est de facto. Et
Att.xiiii. Spintther hodie apud me, cras mane uadit. De futuro. Teren. Itẽ hinc alia quæ
porto Cyprũ. Et: Porto hoc iurgiũ ad uxorẽ. Iam modi mutati annotabã-
Corniſ. tur, et hac uulgari ratione. Hoc igitur mi Cornifici facies, etc. id est, fac. In Ita
Tiron. liã euntib. omnib. ad me literas dabis. id est, dato. Cũ recte nauigari poterit,
Off.ii. tum nauiges. id est, nauigato. Hoc uero, Ne quis sit admiratus: & Teren-
» tianum, Vbiuis facilius passus sim, quàm in hac re me deludier: & modi &
temporis habet mutationem, pro admiretur, patiar: Græco planè more lo-
quendi. Quale quidem & illud est, quod arripit exagitandum Cicero de ro-
» gatione in se lata à Clodio: Velitis iubeatis, ut M. Tullio aqua & igni interdi
ctum sit. Peruerse enim rogatum fuisse ait, ut interdictum sit, cui non sit in-
terdictum. esset quidem igitur rectum, Vt interdicatur. Sed similiter certe
cum Græci, tum Latini figurarunt orationem. Teren. Factum uolo. &: Vti-
» nam quidem, quod cum salute eius fiat, ita se defatigarit. &: Iam, ubi ubi e-
» rit, inuentũ tibi curabo, & mecũ adductũ tuũ Pamphilũ. Plau. Facite illic ho-
Menæch. mo iam in medicinas ablatus sublimis siet. Sed hæc reprehendenda nobis
sunt, priusquã longius extra propositũ euagentur. Quare redeo ad meũ stu-
diũ, quo obseruarẽ significationẽ nominalem in uerbis, ut illud: Scire tuum.
Tusc. 5. Loquor de docto homine & erudito, cui uiuere & cogitare. Itẽ tem-
Octauio. pus mutatũ ita: Vtinam te potius Antoni non expulissemus, quàm hunc reci-
Capt. peremus. Plau. Vtinã te Dij prius perderent, quàm periſti è patria tua. In
quo & modus mutatus, ut secundum Ciceronianum illud ita fieret: Vtinam te
Dij prius perdidissent, quàm perires è patria. Sunt & tales mutationes,
quorum exempla mox subijcemus, ualde mihi uisæ obseruandæ, quibus non
solum uerborũ inclinatione, sed toto orationis habitu aliud fieret, & quidem
D.Bru. ad copiosam & disertam elocutionem. Quare uelim equidem, id quod spe-
» ro, ut planè abiectus & fractus sit Antonius. id est, Antonium esse abiectum.
De Diu. ii. Ita relinquitur, ut ea fortuita diuinari possint, &c. Magis est, ut ipse moleste
» ferat, errasse se. id est magis ipsi moleste ferendum. &: Primum illud exce-
» ptum sit, ne uitia sint imitanda. Quæ uult quidem uideri se esse prudentiam.
Att.xii. Sequitur, ut etiam mihi quodam opus sit. Si ita constituisses, ut abesse per-
Marc. petuo malles. De tuis uelim ut cosis animo, quo debes esse. His placuit, ut
Plinc. tu in Cumanum uenires. Putat enim etiam, ut sit bonum aliquod præter uir-
Ser.Sulp. tutem. Et amplius quoq; ita: Reliquum est, ut de Qu. Catuli autoritate &
Tuscul. v. sententia dicendum esse uideatur. Est & hoc mutatum: Quo fratrem
Pro L.M.

cotidie

cotidie expectamus. pro Vbi. Et: Quod eos usq; istinc exauditos putem. Att.i.
Neq; mutationem illam uerborũ negligebam, qua uel fines illorum, uel si-
gnificatio alia fieri uideretur: ut Reuertissem, pro reuersus essem: arbitrare-
tur, pro crederetur: puniuntur, pro puniunt. In te conuersa atq; interpreta- D.A.R.
ta. Conceptum ac meditatum. Hebetabat: id est, hebes erat. & Suppedita- 50.
re, & præcipitare, passiuè. Neq; hanc usitatam, generis: Nihil puero illo Qu.Fra.iii.
suauius, nihil nostri amantius. Caue putes probitate, constantia, cura, quic- Bruto.
quam illi esse simile. Tum deinde huiusmodi: Terent. Fac me ut sciam. Cice.
Hæc me, ut confidam, faciunt. Item: Quæ mihi sunt inclusa medullis. id est, Qu. Fra.ii. Att.xv.
medullis meis. Rursumq; illam in uerbis, Puditũ est, placitum est, desitum cc
est, tacitum est. Item hanc: Id quod ei fuerat concupitum. ut hoc: Nec cerni
tur ulli. Addebam & huiusmodi: Aliquot enim in causis eum uideram fru- Pro Cœl.
stra litigantem. Videmus progredientem apud Homerũ Aiacem. Vt hoc:
Nec plura querentem Passa Venus. Si dici possit ex hostibus equus esse ca- De Inuent.i.
ptus. Et: Philotimus nullus uenit, pro, Non uenit. Sed iam ad illam tandem Att.xi.
uarietatem ueniamus, de qua suprà nos dicturos esse polliciti sumus. Huius
exempla igitur sunto. Obiectus est pater. Obiectum est de pudicitia. Consu Pro Cœl.
les semper, ut referrent, efflagitati sunt. Nunquam meam salutem non ab his A.Q.P.R.S.
consulibus, qui uendiderant, flagitauistis. Si autem caderet in sapientem æ- I.S. Tusc.iii.
gritudo. Etenim si sapiens in ægritudinem cadere posset. Quorum patres In Verr. v.
tantum labore suo frumenti exarabant, ut pop. Rom. totiq; Italiæ suppedi- cc
tare possent. Sed si omisis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamur, e- Cat.ii.
get ille, &c. Sed quoniam ingeniũ suppeditat. Manebat insaturabile ab- Att.iv. Pro S.
domen, copiæ deficiebant. Ita eum non modo ingenium illud, &c. sed eti- In Cat.iii.
am, &c. impudentia qua superabat omnes, improbitasq; defecit. Non ani- Pro Flac.
mus eis, sed uires deficiunt. Consilio & ratione deficitur. Cum è pruina Pro Clu.
Apennini, atq; niuibus illis emersisset. Iam ista serpens, quæ tum hic delite- Pro S.
scit, tum se emergit, & fertur illuc. Terent. Dehinc facile ex illis sese emer- D.A.R.
surum malis. Hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac Pro S.
stuprorũ. In causa populari moderate agente. Causas egi multas. Vt præ Pro Ligar.
clare cum his agamus, quos pacatos esse patiamur. Terent. Age prolixè Mi- Pro S.
tio. Hoc toto Syllano tempore ex accusatione circũscripto: id est, exempto. Verr.iii.
Circumscribi & definiri. pro Sestio: Prætorem eum circumscripsisset. id est cc
continuisset. Et Circumscripti, ac decepti. Vt cum eo dedicationem cõmu- cc
nicares. Habitus autem statim cum M. Bebrio familiariß. suo communicauit. Pro Mil.
Velle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum commu- Pro S.
nicare. Ser.u.Sulp.

Verr. VII. nicare. Num tibi illius uictoriæ gloriã cum M. Crasso, aut Cn. Pompeio com
Pro S. municandam putas? Subeunda pro patria pericula. Neq; tantum pericu-
Verr. II. lum mihi adire uisus sum. Terent. Periculum capitis adire. Qui eadem pe-
P.L.M. ricula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur. Cum mihi Tyndaritani il-
Verr. V II. lius uenit in mentem. Fonteio non in Gallia uenisse in mentẽ, ut portorium
P.S.R. uini instituere t. Hoc mihi nunc primum in mentem uenit dicere. Sed ex-
ponam iam aliquot formas tantum. Pœnas sufferre, sustinere, suscipere. Pone
re insidias, ponere in insidijs. Matrimonium tenere, rem, prouinciam, cur-
" sum, rationem, locum, & similia. Neq; me res ulla alia Romæ tenet. Tenui
me egregie. Desiderium tenet. &: Teneri studio. Captus oculis, ut amo-
re. Sed Virgilio, oculis capti talpæ. Ingraescit studium, fit maius: Ingrae-
scit intestinum malum, fit difficilius. Moderor te, & tibi. Comitor te, & ti
bi. Fugio hinc, te, à te. Defendo meos, & iniuriam. Melior est causa, sum
in causa meliore. Desiderare sententias, patriã, expetere. Partes meæ non
" desiderabuntur, subtrahentur. Trebatio: Quæ ego paulisper à te desideraui.
" Nec ego hoc ab omnibus ijs desidero, qui sententiam loco consulari dicunt.
Orat. Multa & in se & in alijs desiderans. Prouinciam conficere, exercitum,
Philip. I. cursum, bellum. Luere sanguinem, libidinem, pœnam. Probabit fidem, &
Verr. III. autoritatem, & religionem suam. id est, credetur fidei illius. Probarent a-
" ctum: id est, approbarent. Cui si primum sic respondeam, me communis uti-
D.P.C. litatis habere rationem, non doloris mei, posim'ne probare? id est, defende-
re. Prætermitto, & prætermitto dicere. Destitui, id est relinqui & dese-
ri. Destitui in conuiuio, constitui. Capere fructum, pecunias, consilium, uo-
luptatem, spem, consulatum, incommodũ. Diripitur urbs, portus: diripiuntur
res. Obire diem, mortem, locum, tempus. Præditus spe, audacia, scelere, po-
testate, fide, crudelitate. Desero pacem, & de pace. Hortor pacem, & ad
pacem. Vltima tempora: id est, prima. Vltimũ bonorũ, finis seu extremum.
Vltimæ terræ, remotissimæ. Omnino confido te uidere, atq; perspi-
cere de his exemplis, rationem huius obseruationis: quæ etiam multo plura
intelligo esse, quàm in sola notatione adduci debuisse uideantur. Pergamus
igitur ad unum etiam reliquum conatum nostrum. His enim tribus generi-
bus cõprehendere ad imitationem quidem studebam, notationem quandam
Latinæ & Ciceronianæ locutionis. neq; nihil me profecisse existimo, perfice-
re etiam aliquid non potui. Post hæc autẽ quasi seorsim & peculiares quas-
dam tabulas instituebam, eminentium figurarum in Ciceronis scriptis: quã-
rum non solum ad imitandum, sed usurpandum etiam atq; excerpendum co-
pia compa-

pia comparabatur. Non quod ad hæc ita me alligarem, ut ubiq; & perpetuo inculcanda, neq; aliter faciendũ esse censerem, cum Ciceronem quoq; scirem ipsum in his ipsis uarietatem quæsiuisse: sed quemadmodũ ille iudicasset quibusdam eximijs pulchritudinis notis insignem reddendam admirabili quadam proprietate orationem suam, ita nos ut consectantes hæc eminentia & elucentia, similitudinẽ illius facile repræsentaremus. Quod quidem mi STIBARE est & ipsum eiusmodi, ut late pateat: & sicut superiora omnia, sic ista quoq; in laude non tam de libellis & indicibus, quàm de animo atque studio promenda sunt. Nos autem ut antè fecimus, paucula quædam huius formæ ad exemplum proponemus. Quæ quidem siue quis lineamenta, siue gesticulationem irridens appellet, nihil moror: neq; iam, ut uides, ullius uerbi inuidiam uito. Neq; uero obseruatio ista hunc modo ornatum applicat orationi nostræ, ut Ciceroniana uenustate colorata esse uideatur: sed dum huic operadatur, dumq; hæc ut diximus enitentia & eximia quæruntur, interea fit ut acquiratur uel totũ hoc, quod uolumus, uel præcipua pars illius. Quo minus ferendum puto, si in hoc studio conatus ullorum retardentur, aut huic laborí quasi nota quædam illiberalitatis inuratur obtrectatione. His enim, ut uoco, eximijs & elucentibus animus intentus, omnia diligentius intuetur, expendit, perscrutatur. Vnde non parum boni atq; commodi præter colorationem atq; insignia ista contingere, decq; illo labore omne id quod in hoc genere concupiuimus obtineri atq; confici necesse est. Sed nos potius, quod diximus facturos esse, exempla proponamus. Talia igitur sunt: Quid quæris? Dum illum rideo, penè sum factus ille. EGO initiale: Ego te Publi Sexti, & primis temporibus illis, &c. Ego respondebo tibi ὑστερον πρότερον, ὁμηρικῶς. Ego enim quamdiu senatus autoritatis, &c. Atq; illud etiam exagitatũ à nonnullis, post breuem syllabam finale VIDEATVR. Item hæc: Restat ut discedendum uideatur. Quod superest, quanquam mihi non est dubium, &c.

Reliquum est, ut officijs certemus inter nos. Quare quod reliquum est, à te peto. Sequitur ut hæc officiorum genera persequar. Quod si tu quoque eandem de mea uoluntate erga te spem habes. Vt quo ad eius fieri possit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur. Tam diu autem uelle debebis, quoad te quantum proficias non pœnitebit. Tanquam ex aliqua specula prospexi tempestatem futurã. Velut hesterno die, cum mihi stanti tacens minaretur. Ex his duabus diuersis sicuti familijs. Sicut & uiuus multis ipse rebus ostendit. Quasi alumnum disciplinæ meæ. Etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suæ quenq; fortunæ maximè pœniteat. Sed iubeamus aliquot

Eminentes figuræ, & eximia orationis apud Celia. Ciceronẽ P.Sext. " " Sulp. Cullcola. Curioni. App. Crassa. Off. I. Sulp. D.A.R. De Inu. P.A.C. Dolab.

aliquot huius epistolæ uersus recitare puerum. Fiat, inquit. Recitā.

» Etsi ea perturbatio est omniū rerū, ut suæ quenq; fortunæ maximè pœniteat, nemoq; sit, quin ubiuis, quàm ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium
» non est, quin hoc tempore bono uiro Romæ esse miserr. sit. Nam etsi quocunq; in loco quisquis est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas, ex interitu
» rerum & publicarū & suarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur. nec auertere à miserijs cogitationem sinunt.
» Quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est, tamen illo dolore,
» quo maximè te confici audio, quod Romæ non sis, animum tuum libera. Etsi
» enim cum magna molestia tuos tuaq; desideres, tamen illa quidem quæ requiris, suum statum tenent.

Satis est, inquam. Et uides'ne, quam libenter hac orationis figura usus Cicero fuerit? Sed alia quoq; indicemus. His uero temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Omnino res tota in mensem Ianuarium reiecta erat. Tantum dicam, quod te spero approbaturū. Nihil dico de sortitione uestra, tantum te suspicari uolo, &c. Nihil dico amplius, tantum dico, &c.

Sulp. P. Sext. Sulp. Metel. In Bruto. Pro Mar. Pro S.R. Pomp. Parad. D.N.D. Att. VIII. IX. Luceio. Marc.

Vnum hoc dico. Non dicam. Hoc scito. Et, Scito. Et hæc: In lucem. id est, in forum. Religione, id est deorum cultu. Rationibus physicis, id est naturalibus. Bonorum, id est lautorum & locupletum. Qui urbem reliquit, id est patriam. Tum reliqua uidebimus: id est quo, & qua, & quando.

Quod si à te non impetro: hoc est, si qua te res impedierit. Tēpori cederet, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. Itemq; hæc: Præclare agi. Optime, bene, præclare cadere. Aliter cadere. Incredibile quantum. &, Incredibile quàm. Mirabiliter, Maiorem in modum, Mirificum. Sempiternum, finale. Satisfacere. Nimium quantum. Vehementer etiam atq; etiam. &: Dolore quantum animo max. capere possum. Præsertim cum sint, qui omnino nullam diuinationem probent. Quid multa?

Brutus. Diuin. I. Pro L.M.

Quanquā mihi frequens uester conspectus multo iucundiss. Moriar. Ne
» uiuam. Quasi uero. Ecce tibi. A maioribus tradita. Patrum nostrorum
» memoria. Post hominum memoriam. Post homines natos. Quis hoc non
» perspicit, præclare nobiscum actum iri, si pop. Ro. istius unius supplicio contentus erit. Huc & ea addebam, quibus Ciceronem libenter atq; multum solitum animaduerterem orationem & sententias quasi dilatare, excerpta de illo genere plenitatis & copiæ, ut alia de alijs, in quæ caderent. Cuiusmodi sunt repetitæ negationes: Non potest mihi non summè esse iucundum. Et hoc: Quin mihi etiam, quo autore te in ijs rebus arbitrabantur, & gratias bonā

Quibus Cicero orationi et sententias magis Sulp. dilatare Philip. soleat.

tias boni uiri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Item: Atque utinam ut culpam, sic etiam suspicionē uitare potuisses. Item: Non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato. Non solum suscepit propter salutem meam, uerum etiam appetiuit. Non solum hæc opera nostra laborat temporis penuria, & ocij, quod non solum ad pōmata, sed omnem liberalem eruditionem, & opt. artium studia necessariò requiritur: sed etiam angoribus ipsis alacritas omnis animi obtunditur. Non enim id uirtutis non est, sed potius immanitatis. Tantum abest, ut ego ex eo, quo astricti sumus, laxari aliquid uelim. Sed tamen tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut etiam id maxime optemus. Quotus enim quisque Philosophorum inuenitur. Huiusmodi sunt & mutationes istæ: Sed quam tempestatem nos uobiscum non tulissemus, metuit ut eam ipse non posset opibus suis sustinere. id est, se non posse. Itē illa figura sermonis, qua de copiosius nos dicturos esse sumus pollicti: Haud scio an. In quarum priore propè semper, posteriore multū feciſſe illum intelligebam, ut negationem in significatione illius aut non poneret, aut geminaret. Quemadmodum & Terentius: Metuo ut subsistat hospes. Metuit enim adolescens discessionem hospitis, fugati maledictis paternis. Vt in nostra lingua planè hoc loquimur. Contrà cum illa non intelligi uideretur, tum poni. ut apud Teren. quoq;: Ego dudum nonnihil uerius sum Daue abs te, ne faceres idem, quod uulgus seruorū solet. Timuisse enim se significat senex à seruuli fraudibus, Cicer. Neq; enim sum ueritus, ne sustinere tua in me uel innumerabilia beneficia non possem. dicit enim cer te, arbitrari se sustinere posse. Sed credere omnia, uide ne non sit necesse. An hoc timebam, si mecum ageretur more institutoq; maiorū, ut possem præsens sustinere? Repellit metus suspicionem, neq; uult uideri timuisse. Vt ne moueatur, interdum extimescam. confitetur, ut uides, timorem suum. Similē & hoc: Erit credo periculum, ne improbum negociatorem paulo cupidiorem publicanum comprimere non possis. Terent. Etiam haud scio, an'ne uxorem ducat, ac Syro nil gratiæ. Cicero Off. lib. 3. Quod cum omnibus est faciendum, qui uitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an nemini potius quàm tibi. Idem contigit enim tibi, quod haud scio an nemini. Ita dixit alibi: Est'ne hoc illud dicto atq; facto Fimbriæ non simillimum? Terent. Atq; haud scio, an quæ dixit sint uera omnia. Ne exædificatum quidem hunc mundum diuino consilio existimo, atq; haud scio an sit. Horum tamen usus est liberior. Nos uero quod uoluimus, ut opinor, explanauimus. Cum dixerimus autem, non agi hoc à nobis, ut artem aliquam benedicendi (quæ est

cc
cc
Phil.8
D.A.R.
cc
cc
Offic.1.
Att.VI.
Tusc.II.
cc
Pro Planc.
cc
cc
cc
cc
Curionī.
De Diu.II.
Pro D.S.
cc
Brut.
cc
Qu.Fr.I.
cc
cc
Dolab.
Pro S.R.
cc
cc

p eorum

et mesio amplius ut fr Lucat. Off. 46.

eorum propria, qui Rhetores nominantur) hoc tempore uellemus tradere: non quo in illa ab hac ratione licere, aut omnino posse discedi arbitraremur: sed quia minora nos adhuc fabricaremur, præparantes illorum elaborationi hanc quasi materiã bonæ & elegãtis orationis: ob eam igitur causam in præcepta ista artis immittere disputatiunculam nostram noluimus. Accedemus tamen ad aspectum & congressum eorum paulo propius. Itaq; huius nostræ rationis quasi fines cum illius finibus coniungemus, qui scientia doctorũ hominum dirigantur. Nam in hoc nostro puerili studio Imitationis, iam etiam nunc notabitur in scriptis Ciceronis ea quæ dicitur œconomia: hoc est ordo, & cogitationum apta distinctio atq; collocatio, elocutione disposita & constructa, ut non solum delineata ad similitudinem Ciceronis oratio, sed penitus sensu illius, quasiq; animo inspirata esse uideatur. Est autem mirifica uis huius obseruationis, neq; potest nisi ab acerrimis, & prudentia summa præditis ingenijs perspici. Sed ut in picturis multa ostendimus pueris, quorum explicationem illa ætas non intelligit: ita & in literarum studijs multæ incidunt præcipuarum rerum indicationes, quæ incipientes discere, adhuc planè comprehendere nequeant. Hic ille: Nimium tu puerile hoc studium facere uideris, inquit. quod doctissimos uiros ita extulisse scimus, ut cœlũ tangere uideretur: & tu etiam incipiens, immensum quantum exaggerabas.

Recte, inquam. Nam cum incœpissem splendidè, et uerba facerem de tota re atq; integra, tua cupiditas me ad expositionem conatus mei, ut scis, adduxit: in qua, pro ædificio uides initia tantum, & fundamenta apparere. Cum quibus tamen si reliquæ substructiones conuenerint atq; consenserint, ædificium illud præclarum et speciosum exiturum esse, spem potis habere non malam. Sed peragamus incœptum. In illa igitur re, cuius de mentione huc digressi sumus, hoc agebam, ut eximia mihi deligerem exempla, quæ cum proœmijs ferè librorum Ciceronis omnibus, tum de multis epistolis ad Quin. Fra. præsertim, & ad Brutum atq; Atticum mirifica suppeditarentur. Quæ ego assumens, ad aliquam rem aut ueram aut fictam, quæq; tum offerretur, aut præsumeretur animo meo, accommodare & repræsentare descriptione nostra studebã. In quo genere non te fugit, quàm multæ ubicunq; fuerim chartæ quasi diuolitarint, & iacuerint in omnibus conclauibus, atque libris meis. Et nisi me cum puderet ineptiarũ, tum esse longiorem oportere non putarem, nihil esset facilius mihi, quàm uel de memoria nostra huiusmodi quasi simulacra non pauca tibi proferre. Etsi habes iam à nobis nõnihil, & habiturus es quic. quid uolueris. Ita ne tu potens, & opulentus? inquit. His quidem nugaciſſimis,

Imitatio oratoris Ciceroniana

gaciſſimis, inquam, & leuiſſ. copijs chartarum et malarum scriptionum. Sed perficiamus tandem, quod cœpimus. nam ego in his, tanquam salebroso itinere, cum summa molestia tamdiu detineor. Addetur etiam igitur obseruatio illa circumductionum, quæ περίοδοι sunt, ut assuefiant iam à principio discipuli nostri, sententias animi sui non solum comprehensas & conclusas, sed etiam distinctas atq; disertas accurata orationis definitione efferre. In quo quantæ commoditates, & qui splendor insit, si uerbis persequi uellem, quamuis copiosus esse possem. Sed sit nobis hoc satis, uitari hoc pacto uanitatem, & multiuagos cogitationum errores: tum inæqualitatem & lubricitatem illam, atq; inconstantiam orationis. quo quidem malo declinato, quantum boni necessariò consequamur, certe intelligis. Sed illæ distinctiones sunt partium minorum atq; maiorum, quæ dicuntur à Græcis Commata & Cola. In quibus admirabilis est elegantia, summus splendor, uis immensa in Ciceronis scriptis: præsertim grauioribus rebus, & quasi altiore cogitatione. Nam in admodum leuibus & minutis, sæpe non modo illæ sunt tanquam remissiores, sed etiam planè negligi, quasiq; dissipari solent. Quid ego tibi autem nunc exempla aggeram, quæ non possunt non esse omnibus in pagellis scriptorum illius obuiam? Sed hæc à studiosis debebunt diligenter & inspici, & imitatione sua uersari atq; tractari. Quod cum fiet ea cura, assiduitate, industria, qua par est: innumerabiles fructus, quæ tum non quærentur, simul etiam parient, inq; primis similitudinem compositionis uerborum, maxime in clausulis sententiarum, hoc est circumductionum terminis, quæ sine etiam attentione & ueluti lege numerosè sonorecq; sua sponte cadere consuescant. Verum omnia hæc unam habent spem successus, positam in multo & frequente usu scriptionis. aliter enim nunquam ullam præcipuam facultatem huius, qua de loquimur, rei adipiscemur. In quo nos facere hoc solebamus (de nobis enim tantum dicere propositum est, ut nosti.) ut de Græcis, & ipso in primis Platone, plurimos locos, & eos quidẽ maximè insignes, similitudinib. atq; translatis, studeremus Ciceronis uerbis figurisq; effingere atq; cõponere. Sed idẽ etiam experti sæpe sumus in sentẽtijs inuentisq; aliorũ, tam Græcorũ quàm Latinorum, ijs quæ pulchra elegantiaq; uiderentur, ut illa tanquam de aliena externaq; lingua in hanc Ciceronianam traducere conaremur. Quo in studio nostro non tibi quidem spectandũ, quantum nos profecerimus: sed uidendum, utrum hoc ipso secundum talem rationem incitato, & nitente hoc quod uolumus obtineri atq; percipi posse omnino fuerit sperandum. Quod mihi sanè uidetur, uidebiturq; tantisper, dum potior meliorq; hanc alia ratio uicerit

περίοδοι

Commata. Cola.

Extra Libri

NB.

atq; expugnarit. ¶Habes rationes relatas studij mei, illas quidem confusas atq; dubias huius exilis & nihili: sed quicquid hoc sit, id tu quod uoluisti habes. Cuius non est mirum, si te pigeat: cum me pudeat autorem. In his tamen exponendis fuissem longior, atq; istam exiguitatem quasi corollis quibusdam uerborum redimire studuissem, nisi non solum uirium mearũ, sed etiam temporis respectum habere me putassem oportere. Est autem illud scitum, ut his uerbis Cicero ait: causam cõferre in tempus, cum afferre plura si cupias, non queas. Hoc tamen speculæ me consolatur, quod cum me non pœniteat, quantulumcunq; id sit, quod hanc rationem sequenti mihi peperit diligentia mea, cum tot mihi aduersa obijcerẽtur, tot struerentur impedimenta, cum ego tantum largirer incertiæ atque desidiæ, cum me alijs quibusuis potius dederem quàm huic studio: si quis alius acriore ingenio, prosperiore fortuna, animo firmiore, ardentiore etiã studio in hæc incubuerit, multo scilicet maiores atq; pleniores fructus laboris atq; industriæ suæ percepturus ille esse uideatur.

¶Hæc, inquit ille, qualia sint, iterum atq; iterum uidebimus: detur modò sæpius talibus de rebus colloqui. Nunc uero defensionem illorum perage.

Contra Peri rationis de Imitatione

Hic igitur occurrunt, inquam, nobis Ideæ istæ PICI, & commendatio uirium nostrarum. Veritatem enim esse orationis uolunt, non umbram. Quod quæso faciendum ne nobis, ut responsione nostra uelimus confutare? cum hoc ipsum agendum, in hoc elaborandum enitendumq; profiteamur, ut quàm manifestiss. appareat uita & ueritas in oratione nostra. Sed illi non nisi studio hoc Imitationis inspirari posse asserimus. Quid autem potest proprium esse nostrum (ut de hoc, quo de agitur, solum loquar) quid obsecro proprium esse potest in hoc nostrum, nisi cura, labor, studium, sedulitas, industria? Ea ne ego autem abesse, aut infringi uelim? Sed PICVS, nescio quid illud in nobis uult instrui, & adiuuari imitatione multorum. Hoc quidem explicatius paulo ab eo positum esse optarim. Vel sit sic sanè: nihil enim refert. Vnius enim certæ ac definitæ rei, exemplum similiter conueniens, quod spectetur, esse oportet. Si igitur huiusmodi erunt isti, quos ait, multi: nimirum iam pro uno habebuntur coniuncti cõcretiq; hoc similitudinis genere. sin diuersi, omniq; erunt ratione differentes: quid fiet, aut quid omnino poterit fieri, in studio et affectatione similitudinis, hoc est in imitando? Quemadmodum enim dimidium numeri impar cum sit, à dimidio altero discrepat infinita dissensione: ita dissimilia et diuersa inter se, in hac ratione commisceri prorsus nõ queunt.

Non satis, inquit ille, intelligo quod nunc dicis. Nihil, inquam, dico sapienter. Nam tibi ne uidetur accidere posse, ut Duo, Tria fiant? Minime, inquit.

inquit. Neq; quinq;, ut opinor, sex: inquã. Prorsus, inquit. Nimirũ paritate repellitur, inquã, imparitas. Neq; enim contraria duo & tria sunt ipso nomine, sed natura paritatis & imparitatis suæ. Ita, inquit, est ut narras. Eodem inquam modo, & illa diuersa & dissimilia, id est dissidentia & aliena, (sic enim nunc intelligi oportet,) quamuis non sint contraria, tamen à similitudine & conuenientia abducant necesse est. Sed deliges, inquiunt, ex omnibus optima quæq;. Nemo est enim, qui præstiterit uniuersa. & illa deinde optima construes, atq; concinnabis. Ad quod nam igitur exemplum? exemplo enim opus est. Tuo, inquiunt, animo constitutum pulcherrimum & præclarissimum. Planè, ut opinor, hoc dicunt: Nullos imitandos, sed carpenda aliorũ scripta, & rationem rectitudinis petendam omnem à nobis ipsis. quo efficiatur, ut non secuti alios, sed præire illis uoluisse uideamur: ita nostram gloriam ueram integramq;, ac propriam laudem futuram. Dicitur quidem hoc magnificè. sed cum illa perfectio uetustatis ita à nobis superiore oratione asserta sit, atq; firmata, ut conuelli facile non posse confidam: qui hos audire uoluerit, eum in experiundo spes sua ualde frustrabitur: eoq; saltem usq;, quò deteriora supponere conatus, quoq; longius ~~libidine~~ dius ab antiquitatis grauitate ac seueritate abductus fuerit. Vtq; lucem in tenebris micantem, facile ortus sol obscurat: ita splendor, quoddamq; quasi iubar uetustatis, has scintillas atque faculas exortu suo statim retundet. Nam quod PICVS, qui Platonicus dici aueret, Ideas suas complectitur ac osculatur, tanquam filiolas (ut dicitur) illarumq; ostentatione exultat, leue & nugatorium hoc quidem loco iudicandum. Qui etsi non indiligenter, neq; somniculose in scriptorum Ciceronis lectione uersatus uidetur: incogitantius tamen, sicuti Ciceronianam clausulam, sæpiuscule inculcat ESSE VIDERETVR, quæ certe est aliena. Sed de Ideis molestus est, BEMBVM que, qui de exemplis illas in animo se suo sentire dicat, penè deridet. Et diuinitus illapsas, non excitatas cura: infusas, non haustas opera diligẽtiæ: temere insitas, non dispositas studio affirmat. Omnino esse uerum non fateri, quod grauiss. autor Plato tantopere asseuerauerit, difficile. Sed nunquam ille talem disputationem, inanium fructus usuq; imaginũ esse profecto uoluit. Quæ autem in terris rebusq; humanis res insunt, eas sensibus certe comprehendi necesse est. de quibus cognitis, tum deinde ratio & mens splendidiora meliorãque constituere, & quasi sequestrare iudicio sapientum hominum consueuit.

Quæ enim forma esse lectuli posit in animo meo, si nũquã lectulũ ipse oculis aspexerim? quo exemplo quod Platonicũ esset, uti libuit. De omnibus aũt

libidine sua,

Idea Platonica

alijs dici idem potest: inq; primis ijs, quæ in animũ ipsum quasi condenda & reponenda sunt. qualia artes, literas, disciplinas esse scimus. Quis fuit igitur his, obsecro, commentis locus? cum sit conficta scilicet species illa rebus, ucl operibus ipsis, ut cautius loquar, præstantior. Non est paruitatis meæ, disserere de hac (ut ipsi uolunt) diuinitate formarum. Sint, nec ne, non laboro: ubi subsistant, quo modo participentur cum animis nostris. Fateor obscuriora esse mihi, quàm ut intuentis non incurrat acies. Dimittamus igitur has cũ honore. Hoc quidem affirmare ausim, sapientiß. uirũ Platonem, inuentum istud Idearum ad decus ac laudem max. habiturum momentũ introducere ac proponere uoluisse hominum studijs: quæ tendere ad perfectionem, non ubi- 10
uis quasi in itinere acquiescere, sed progredi semper ulterius uellet. & fines etiam illum rerum protulisse, longius quàm natura pateretur: ut cum mente ad extrema ferremur, ubicunq; quidem constitissemus, non contemnendos tamen profectus hac feciſſe cõtentione nostra uideremur. Quid igitur quæso est, hoc quidem loco, à sese & ex animi sui idea laudabilius proferri omnia, quàm ad externum exemplum effingi? Vel quid refert potius, utrum aliquis Ciceronis scriptorum sua scripta simillima: an illius exempli æterni, et quod semper atq; immortale sit, esse uelit? siquidem quale illud esset, intellecturus, nisi de huiusce modi opere, fuerit nunquam. Poteram & hoc dicere, si nihil reperiatur omnium scriptorum, quæ post renatum siue magis occidens 20
eloquentiæ Latinæ studium edita sint, quod alienũ ab hac cura, lectione magnopere dignum esse uideatur: neminem arbitrari me dubitaturum, quin horum ratione condemnata, illam nostram tenendam seruandamq; sibi studiosi Latinitatis putare debeant. Sed agam lenius, & (ut dicitur) molli brachio: neq; in re non admodum obscura, assueratione utar. Sint sanè multa multorum scripta bella, iucũdæq; & amœnæ cõpositionis, & quasi uernantia suauitate florida: fructum tamen & utilitatem illis, atq; diuturnam ac solidam tanquam in frugibus bonitatẽ deesse cõstat. Sed ut imperiti ac rudes artium, in Musica sonis abhorrentibus à numerorum lege & cõcinnitate, tamen applaudunt: respuentes etiam eos modos, qui non nisi attentionẽ & intelligen- 30
tiam delectare soleant. ita indoctis, & leui sententia præditis, perquàm placent quasi tumultuosa & strepentia scripta: qui exquisita, & studio artis singulari perfecta nulla neq; cognoscere, neq; probare possint. Sed est alia illa res profecto, aliudq; potest Idea hæc: quod scilicet & Cicero in Oratore docuit, ubi est de hac ipsa disertiß. locutus. Quid enim (urgebo enim hoc) quid inueniet aliquis in usu Latinitatis ipse ex sese, non iam dicam nostrum, qui in

Barbaria

Barbaria nati & educti sumus, sed ipsius incolarum Italiæ, ad quos fortasse propter illius cœli soliq; naturam propius pertinet hæc felicitas. Sic enim iudico, præcipuam esse sermonis elegantis & diserti atque ornati fœlicitatem. Sed quid etiam illi inuenient huius ex sese? Post istam amissionem eruditionis & doctrinæ, & propemodum oppressionem eloquentis huius Ideæ, tot incursionibus, uastationibus, addam etiam (id quod res est) illo inquilinatu Barbarorum? Nihil est profecto in hac parte proprium ipsorum, sed similiter ut nobis aliena & externa sunt omnia. Quæ non magis scirentur extare, nisi de aliquo exemplo subiecto sensibus & exposito oculis cognita essent: 10
quàm nos quondam nouimus, illas admirabiles & inusitatas hominũ bestiarumq; formas ac naturas, de quibus partim narrationibus nauigatorum, partim aspectu præsentium cotidie certiores simus. Quapropter hoc ipso quod dicitur, ex se omnia promenda cuiq; potius, quàm aliũde petenda esse: in hac disputatione nihil aliud iubetur, quàm quod Græcis prouerbio fertur, Firme tenere quod non acceperis. Quid enim promam de animo uacuo? Vel qua copia ille, nisi antiquitatis, instructus completusq; esse poterit? Explanandum igitur illis esse uides, hoc quod afferunt de propria inuentione laudabilis & speciosæ orationis. Nisi fortasse hoc sentiunt, nisi adhibito studio, præsentiq; ingenio, & secunda natura, tanquam uento, hanc totam rationem Imitandi iacere atque desidere. In quo sanè assentior non tam illis, quàm nostræ opinioni, confirmatæ quidem de scriptis BEMBI, minime tritam uulgo uiam, inertibus atq; socordibus ingrediendam non esse. Etsi non modo ille prauo, sed tenui quoq; præditos ingenio repellit. In quo nos, ut potes meminisse, fuimus moderatiores, misericordia fortasse nostri. Est illa quidem res magni laboris, sed in hoc proposito confirmandus animus est contra omnem difficultatem: & cura adhibenda, quam Poëta uerissimè atq; elegantissimè uictoriam amare dixit. Sed redeo ad Imitationem multorum. multis enim hæc placuit: qua quidem ipsa tota Imitandi ratio euerti uidetur. In similitudine enim sperata, non potest ad dissimilitudinem aliquam cõcedi quasi de recta semita deflexio. Quale enim hoc fuerit, si quis Durerianis suas tabulas similes esse uoluerit, & istas nescio quorum (non enim propter obscuritatem nominibus uti possum) chartas circumforaneas respexerit? Caueri ne autem posse sperandum, cum in unum ueluti alucum undiq; multi quasi amnes lectionis, diuersas loco & natura aquas inuehentes, confluant, ut ne harum colluuie turbidum flumen reddatur? In diuersis autem cogitationibus atq; actionibus, animum operasq; confundi ac perturbari necesse est. Itaq; ille non solum eloquentiæ, sed

etiam.

etiam sapientiæ autor Plato, in bene constituta Repub. non permittit ciuibus singulis, multorum opificiorum factiones. Non enim aliunde, quàm à cõstantia, & propositi uno tenore, & directione ad singula animi, præclara operæ effectionum sperandæ sunt. Sed eligere optima iubent. Hoc quidem iam imitari non fuerit: sed sumere, excerpere, transferre. Quod quis fieri uetat? Imò licebit, ut arbitror, & à cõtemptißimis quoq;, & à Barbaris ipsis, si quid rectum bonumq; sit, accipere. quorum qui similis esse uelit, & non desipiat, nemo profectò reperiri posßit. Non studium lectionis aliorum, non diligentia curaq; uestigandarum rerum, deniq; nulla occasio animi instruendi excluditur. Faciant, moliantur, exquirant omnia: modo ad illud exemplum construant, ut & exædificent. cui si quid forte ita repugnet, itaq; sit pinguè, ut confluere misceriq; cum illa puritate recusset: id scilicet abijciatur & respuatur, assumantur autem apta & congruentia. Quod certe acris iam & exercitati animi opus fuerit. Illud certe sumere, & quasi mutuari ab alijs, quo utare, quodq; in rem conuertas tuam, ad Imitationis rationem proprie non pertinet: nec nomine illius, suo quidem loco posito, significari uidetur. Nam quæ monstrositas hæc fuerit, Maronem (uerbi gratia) Homeri primum utrunq; opus, deinde Tragœdias & Comœdias, mox etiam historias, postremo nullius non generis scripta imitatum, suum illud duinum opus confeciße? P. Alcyonij uidimus Dialogos, mea sententia perquàm Ciceronianos: quam appellationem & laudatißimæ, ut scis, orationi tribuimus. Hunc audiui aliquando, repertam particulam eius libri Ciceronis, qui de Philosophia esset scriptus, compilasse, & quasi retextam implicuisse suis disputationibus. Quod si est uerum, non enim sanè credo, hoc ne igitur illum nomine Ciceronem dicemus imitatum? Studium quidem hoc sumendi & decerpendi aliena, ut est non modo non culpandum, sed necessarium: ita debet tamen quisq; moderari & tegere, ut impudentiæ crimen deuitet. Furti quidem si nequeat, saltẽ manifesti deprehensionem effugiat. In hoc non est alia grauitas, quàm concinnationis. Cuius debet esse subtilitas, & quasi occultatio. At Imitatio exultat, & profert se, atq; ostentat: cerni, sentiri, cõspici, illustris esse uult. Quid enim hoc fuerit, simili-tudinem dißimulare? Pateat, si fieri posßit, omnibus: sin minus, doctis & eruditis, intelligatur, perspiciatur. Nam tecta, obscura, ignorata, iam similitudine dici quidem aut esse ullo modo posßit. Quod si hoc est imitari (ut callide, quemadmodum mihi quidem uidetur, aliqui ponunt) sumere & excipere diuersorum autorũ uerba, sententias, figuras, historias, & concinnare cum suis scriptis, uel in illa potius intexere, aut eisdem agglutinare: fatendum scilicet, hanc totam

P. Alcyonius.

ὀπτεκδοχαί
non sit imitatio
39.

hanc totam rationem ac disputationem de Imitatione nostram ruere & euerti. Sed est profecto aliud. Neq; idem intelligitur, cum sic dicitur:

Receßim cedam ad parietem, imitabor nepam — Casina.

Et cum ita: Eum hic locum sumpsit sibi,
Verbum de uerbo expressum extulit.

Non igitur, ut diximus, imitatus Maro Homerũ est tum, cum transtulit illius locos in suum poëma: non magis quàm Hesiodum, Theocritum, Moschum, Parthenium, Euphorionem, quorum multa scimus esse interpretatũ, & ipsum in Bucolicis Ecloges uerbo significatur. non magis etiam, quàm Tragicos, aut etiam historicos Græcos, Latinosq; alios scriptores, à quibus demonstratur abstulisse plurima. Quid est manifestius, quàm de Homero multos uersus, sæpe historiam transtulisse Virgilium?

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Dicam enim unũ notißimũ. Legationem autem Vlyßis ad Venulũ, traductam cui non apparet? ut Pentheßileam ad Camillam, & Diomedem ac Vlyssem ad Nisum & Euryalum: & ad huius matrem, Andromachen. atq; hæc à Grammaticis innumerabilia indicantur. Neq; ego hunc tamen hoc facto imitatum Homerum dixerim. neq; enim etiam illum, unde accepit sententiam expressam libro Secundo:

Demisere neci, nunc cassum lumine lugent.

Fertur enim Græcus uersus talis:

Τοὺμ ἀτιμήσαντες ἀποφθίμενον πόθεουσι.

Neq; Euripidem, qui fecisset sic:

Τὸ λιπεῖν δὲ πόθους ἐπάλλαχθεὶς πολλούς. — ἐμπαλίλλαιο.
Ἀνὴρ δὲ πρὸς ἀνδρὶ σὰς ἐκαρτέρει μάχη. — Maro autem ita:

Hæret pede pes, denſusq; uiro uir. +

Neq; etiam Apollonium, eum qui Argonautica scripsit. de quo animaduertere licet, non pauca Virgilium accepisse. Vt hoc sic Maro:

Qualem primo qui surgere mense,
Aut uidet, aut uidisse putat per nubila lunam.

Apollonius in Quarto libro ita:

Ὡείς τε νέῳ ἐνὶ μηνὶ μιήνη.
Ἠ ἴδεν, ἢ ἰδέειν μετὰ νεφεσσιν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι.

Item alibi Maro:

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthiq; fluenta,
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo,

+ Legunt Lucan. 11 in Tyrrhoi uersibus haec. q — Instauratq;

καὶ πόδα παρ' ποδὶ θεὶς καὶ ἐπ' ὀφθαλμοῦ ὀφθαλμὸ ἐρείσας
ἐν δὲ λόχον τε λόχῳ καὶ ἀνέρα ἀνέρι
καὶ σάκος σάκεϊ πεπαλυμένος ε

Instauratq; choros.

Apollonius autem libro primo:

Οἵ ῥ' ἀνὰ νηὸς ἐυσσέλμου ἐίσιν ἀκόλλαν,
Δῆλον ἐς ἠγαθέην, ἢ κλάρον, ἢ ὅγε πυθὼ,
Ἦ λυκίην ἐυρεῖαν ἐπὶ ξάνθοιο ῥόῃσι.

Addamus & quod apud Maronem est, lib. 8.

Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia peruolitat latè loca, iamq; sub auras
Erigitur, summiq; ferit laquearia tecti.

Apollonius libro tertio:

Ἠελίῳ ὡς εἴς τε λόμοις ἐνὶ παλλέται αἴγλη
Χάλκου ἐξαίου. τὸ δ' ἀνίον ἠὲ λέβητι
Ἠέ που ἐν γαυλῷ κέχυται, ἢ δ' ἔνδοθι κῶας ἔνθα
Ὠκείῃ τροφάλιγγι τινάσσεται αἴσσουσα.

Quid uero, quæso te, imitationis apparet in hoc Pindarico? ut iam Græca adtexamus?

Pyth. 3. Ἓν παρ' ἰσλὸν πόματα σὺν λύρᾳ
Δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι.

Notum enim est Homericum:

Iliad. ω. Δοιοὶ γάρτοι πίθοι κατακεῖνται ἐν λιὸς οὐδῷ,
Δώρων, οἷα λίλωσι κακῶν, ἕτερος δ' ἀγάων.

Antigone. Quid in hoc Sophocleo:

Οὐκ ἔστ' ἀνὴρ
Ἄβουλος, οὐδ' ἄνολβος, ὅστις ἐν κακοῖ
Πιστὸν φίλοις ἀκτᾶται. Cum esset apud Homerum:

Iliad. ν'. Ἀλλ' ἀπιώμεθα θᾶσσον ἀκηδέες τοί γε φέρησιν ἑταῖρον.

Sed hoc est infinitũ, nobisq; rem notatã esse satis sit. Atq; hæc ipsa aptiß. uerbo Græco appellantur ἀπικλοκαί, quasi excerpta dicas. neq; ullus intellectus in illo est Imitationis: tantũq; abest ut hæc similiter aliquis, atq; is unde carpit facere studeat, ut quisq; etiã quàm longiß. posßit, ab illis abducere & effingendo & collocando soleat. Quin immo inueniuntur multa à diuersis non solũ sententijs, sed uerbis quoq; penè ijsdem, pari ui et sensu animi expressa, quos sua inter se ne legisse quidẽ scripta ueri simile est. Quare nullũ potest in hac usurpatione earundẽ inuentionũ, quæ in diuersis deprehendatur, constitui studiũ imitationis. Sed redeo ad Maronem. libenter enim maximi Poëtæ exemplo utor. Non igitur ille in his sumtionibus imitatus esse Homerum dicendus

dicendus est: uerum potius Heroicum primum carminis usurpando genus, deinde maiestatem illius: tum compositionis uirtutes admirabiles exprimendo. cumq; illa exempla laudis in uita duplicis fortitudinis & prudentiæ & ipse proposuit scripto suo, cum celebrauit res Romanas, & Italiam descriptionibus illustrauit, ut ille Græcas & Græciam. deniq; in extruendo, ornando, disponendo illud exemplum secutus est. quæ conspicere et ostendere, non tam in procliui est, quàm docere, quæ loca unde sumpserit. Atq; hæc sunt efficientia in multiplici & inexplicabili uarietate similitudinis, quibus illæ sumtiones, uel honesta furta, uel mutuata quædam, mirificum afferunt decorẽ, cum sunt aut ab eo quem imitandum delegimus accepta, aut ab illius rationibus & inuentis non abhorrentia. Quod quidem cauere, est præcipuæ attentionis & prudentiæ difficile opus, ne discrepantia natura sua, aliquo modo industriæ complanare & adæquare conemur. In hoc & uetustißimos, & recentiores quoq; legendos & Fabius censuit. quod neminem esse crederet, cuius scriptorum lectio nullam penitus utilitatem allatura ijs esset, qui iudiciumilli adhibuissent. aut si quis sit talis, eum inter primos statim uersus deprehensum iri. Etsi non uidetur sane causſa esse, cur imitator noster sese nimia lectione obruere uelit: neq; operæprecium, omnium scripta illum cognoscere. Vt enim nihil hoc noceret, tempus tamen quod præclare interea consumi potuisset, frustra teri, non ut opinor leue damnum habendum est. Sed illi consusores sumtionum cum Imitatione, non ne tibi nescire uidentur, huius rei, qua de agimus, uocabuli ac nominis uim atq; significationem? Vsq; adeò enim non hoc est Imitari, aliena modo usurpare, quemadmodum paulo antè diximus: ut & nostra ad alterius maximè similitudinem componere, & nos quoq; ipsos in tractatione aliquarum rerum sequi imitariq; soleamus. Ad hunc modum Cicero miratur, non animaduertisse ueteres artem numerorũ, Orat. seq; illa ipsos in parte imitatos non fuisse. Quid est hoc igitur, non sumsisse à se suae? An potius, non secutos fuisse, neq; ad illam exprimendam similitudinem suistudium industriamq; contuliſse, & discesßisse à sese? Quid autem intelligitur excerptionis in hoc? Canachi signa rigidiora esse, quàm ut imitentur ueritatem. Aut in hoc? Cum eos imitari cœpit, quos ipse peruerterat. In Bruto. cc

Liceat in etymologia quoque nobis huius uerbi exquirenda, ludere, atque etiam sanè falli. Cui enim hoc non licuit? Est igitur, ut opinor, Imitari deductum non sanè à Græco uerbo μιμεῦμαι, cuius ui longam syllabam accepimus: nec inueniri potest, quæ initialis literæ accessionis conuenientia sit. sed est perantiquum, & Latinæ linguæ proprium, factumq; ab IS: quod ueteres declinauerunt,

Homerũ quatenus imitatus Maro.

Imitari quid. / uide pag. 129. 135.

declinarunt, ut accusatiuum proferrent IM. & notat eius quod propositum sit expressionem, quasiq; propagationem similitudine quadam atq; effectione. Vnde & Imago, ut plumbago, quæ eius secundum quod est facta similitudinem repræsentet. Sed in his sanè iocati putemur. Illa uero certe uides incommoditate expositionis inuoluta, esse per se euidentia & plana.

Dissoluta illud & affert de Zeusidis tabula.

Quemadmodum & cum Zeusidis tabula accidit. quod & ipsum, si placet, dissoluamus. Placet, inquit ille, ac perplacet. uidetur enim ualde huic opinioni aduersari. Quo tandem nomine? inquam. Quia, inquit ille, hoc in primis exemplo comprobari creditur, quod dici solet, in simplici atq; uno genere perfectionem naturam non constituisse. Est hoc quidem molestum, inquam. Sed remotum tamen confido. Nam si meministi ea quæ dicta sunt, intelligis profecto, non cogere me in angustias aliquas cognitionẽ & studium atq; uim mentis, & industriæ laborem. Sed rationem & uiam in unoquoque proposito uolo esse certam atq; directam, ad exemplum scilicet in unoquoq; genere: idq;, si haberi possit, optimum atq; perfectiß. ne opera nostra sine duce uagabunda, à ueritate aberret: sed illa quasi commonitione et indicatione, in rectitudine cursus contineatur. Ac ut nos quoq; quiddam, quo multo grauius lædi uideamur, afferamus in medium: dubium ne iam cuiquam esse poterit, quin nobis operum nostrorũ pulchritudo & uenustas quasi particulatim undiq; colligenda sit? cum Homerus, tantus poëta, qui uellet ad eximiam formam & speciem imperatoriam Agamemmonem effingere, de quibusdam illum diuinis particulis compositum produxerit. Sic enim fecit:

A B.

Luminibus summum referens, & fronte Tonantem.
Pectora Neptuno similis, ualida ilia Marti.

Sed quid hoc obsecro ad Imitationem? Aut qualis illa futura erat diuinarum etiam partium compositio? nisi ad humanum quendam modum coagmentarentur, aptæ inter se atq; consentientes. Quod si negligeretur, iam de hac ueritate pro clariß. uiro, fœdiß. monstrum exiturum sit. Cogita enim hoc mihi. Si illa uulpecula Aesopica, quæ fertur inuentũ caput, efficium ad eximium modum formæ humanæ, ualde esse admirata: hæc igitur si quid animantis homo esset, ignoraret, & in Praxitelis officina reperiret forte elaboratiß. corporis humani membra, diuersi sexus, ætatis, constitutionis, habitus, caput, truncum, pedes, manus, deq; his hominem componere uellet, quid factura esse uideatur? An non manifestum est, si ad exemplum formæ humanæ nullum respiciat, quin neq; electione neq; coniunctione ea membrorum utatur, quæ in corpore humano laudari solet? Placebit enim forte caput puerile, propter

Contra mũtionem pluriũ

leuitatem & nitorem. placebunt autem humeri uiriles, propter dignitatem. rursum ob rotunditatem, muliebre femur. atq; ita alia diuersorum & corporum, & sexuum, & ætatum. Hæc igitur nisi ad notum consideratumq; exemplum illa uulpecula nunquam neq; ordine disponet, neq; recte construet atq; concinnabit. Iam hoc etiam istud exemplũ Zeusidis ideo alienum uideri facit, quia longe alia est ratio pictoriæ rerum earum, totiusq; naturæ, quam sibi pictores sumpsere exprimendam: atq; eius, de qua nunc loquimur, similitudinis. Non enim certe pictor lectulum stantem, iacentem, supinum, sic imitatur, ut et ipse faciat. hoc enim fabricæ est, non picturæ. sed de opere ipso, in tabulam suam imaginem & figuram lectuli inscribere tentat. Nos igitur in uno genere artificij consistamus, neq; omnes quæstus occupemus: sitq; fabri laudati bonum lectuli opus, aliorum fabrorum studio & imitationi propositum, itidemq; tabella picta pictoribus, & quicquid est aliorum omnium. Sequi aliquem pictorem magister iussit, superiorum quidem neminem, sed naturam: nimirum hoc suasit, ut artificium illud suum augere & percolere quàm plurimis exemplis uellet. Nisi & uiuas ingredientesq; animantes facere illum posse credidit, quales Dedaleæ statuæ fuisse perhibentur. Quid fiet igitur? inquis. si tantum hoc agendum sit, in ijs artibus & rebus, quarum absoluta exempla extant nulla. Hoc nimirum, ut hoc tandem studio & sedulitate comparaturi illa simus, cum deesse operibus nostris aliquid sentientes, circũspiciemus omnia, ut deficientia explere possimus. Atq; hunc ad modum, non quidem illas tot uirgines in una imagine imitatus Zeusis fuit: sed de animali exemplo, ut Cicero ait, sumpsit ueritatem, & mutum perfecit simulacrum, quod quicunq; postea laudabiliter imitarentur. Interea habuisse ipsum perfectionis exemplum quoddam in animo suo, si perfecisset pingendi artificium, putandum. Nunc habuit qualecunq; quidem, ad quod respiceret, cuiq; omnem uim artis intenderet. Vnde ergo petitum? Vnde, nisi à ratione & collectione iudicij sui, cum quidem nullius priorũ illa in arte perfectum opus extare sciret. Et tamen cui dubium esse potest, quin illorũ aliquem præ reliquis sit secutus, quem uidelicet maxime probasset. Sed quisquis fuit, eum certe superauit: quia ipse, suorum quidem temporum, præstantissimus pictor fuit.

Idem & Cicero fecit. qui ipse Crassum se imitatum fatetur, cum quid in Latinis potius imitaretur, non haberet. Sed ut pictorum nemo quæreret aliud exemplum artis, si haberet perfectum: ita quid præterea quærant Latinæ linguæ studiosi, cum Ciceronem habeamus? Atq; hoc loco error remouendus, & discernenda Imitatio perfecti omni bonitate & præstantia exempli,

Crassũ imitatus Cicero

ab Imitatione mediocrium. Nam & imitata est Minerua, ut fabulæ ferunt, cum tibiam inuenit, nescio quid huic simile. Et Mercurius similiter secutus, aliquod exemplum fuit, cum de testudine lyram excudit. Ne quis roget, cum omnium operum exempla esse uelimus, quibus usi fuerint primi rerum inuentores. Ad primas autem inuentiones, neq; illas solas, sed donec ruditas adhuc manet, perpolitione & elaboratione opus est. Nam qui mensam primus fecit aliquam, ille certe alicubi mensæ speciem & formam, quam sequeretur, animaduertit, eamq; imitando opus absoluit. Atq; hic necessario uicit elaboratione sua exemplum, quod imitaretur. In imitatione autem perfecti operis, nihil aliud quæritur quàm similitudo, nullum est nisi assequendi studium, nullus labor nisi expressionis, nulla nisi repræsentationis cura. Sed nos frustra etiam hanc Imitationem multorum oppugnamus. Cur, inquit ille, frustra? nam labefactatam uehementer à te esse iudico. Quia, inquam, potentissimi numinis ope repellitur atque deijcitur, quod dijs etiam ipsis moderari putatur. Quod' nam hoc est? inquit: obsecro. Necessitas, inquam: qua iam ista lis deciditur. Nobis enim hoc tempore omnino liberum non est, quid facere uelimus: sed siquidem Latinitatis famam affectamus, è scriptis hæc est petenda ueterum. Cum autem linguæ illius uariatus usus, & aliquem unum uerum esse necesse sit: si de hoc cõstet, quis magis ad uariationes oculos declinarit? Legam' ne ego Apuleiana, aut si qua sunt horum simulia, aliter atq; alie na? Legam' ne eos, qui loqui Latine se desijsse confitentur? Notum est enim hoc Senecæ: Olim cum Latinè loquerenur. & alibi idem, Miram esse proprietatem & consuetudinem sermonis antiqui dicit. Idem de alijs uniuersis dixero, qui quidem communi lingua non similiter usi sunt. Cum enim ad Latinitatem peruenire nobis propositum fuerit, per auia hæc errabimus ac non potius rectam uiam incedemus? Quare non uideo quid sentiant, qui cum Latinitatis studium cõmendent, Imitatione illa interdicere studiosis non dubitent, eorum scriptorum, quæ sola etiam assumere in exemplum liceat. Prædicent, ut lubet, alias in alijs ueterũ eminentes uirtutes, et meliora quàm Ciceroniana sint: quid hoc prodest? Vt enim uerum esse nego, ita concedam tamen illis, eorundem ab ijs exempla sumere. Sed quomodo sument, quorum nihil extet ullius operis integrum? Vt etiam si illa sequenda potius conuenisset, necessitate tamen ad hæc adigerentur. faciendũq; illis esset, ut possent: quando ut uellent, non liceret. Nam de posterioribus iam paulo antè diximus, uel potius incœpimus dicere. Nam quid mihi hominum scriptorum' ue demonstratur, de horum numero, qui aut ipsi diserti fuerint, aut quibus Latinitas

aucta sit, uel non saltem afflicta? Hæc enim urbem ipsam Romam, uel potius in hac tribunalia & domos eloquentum egressa, omnes terras ac maria peragrauit. Sed ita statim debilitata est, ut non solum peregrinata longe tota Barbaria, sed in ipsa mox Italia, adq; portas urbis deficeret, & amitteret quasi uitam puritatis suæ, nomenq; etiam perderet tam paruo interuallo, ut planè loqui apud externos oblitam esse mirũ uideri non posit. Garrire tamen non magis iam Latinitas, sed nescio quid ab illa degenerans & deformatum, luculentè cœpit. Hinc illi plærique Afri, quadam ingenij & naturæ promptitudine, & doctrina nonnulli Græcorum adiuti, bibliothecas compleuere scriptis suis. tum Galli, haud scio an non saniores & ipsi prodiere: donec & Dalmatia, & Pannonia, et Insulæ Oceano in magno, & Sueui ac Sarmatæ, ipsiq; Gethæ pro disertis sese uenditare auderent. Nunc igitur omniũ Latinitatis studioso scripta legenda, & particulatim (ut isti uolunt) imitanda: etiam' ne ea, quibus Latinitatem non infuscatam & corruptã, sed denigratam & oppressam esse constat? Verum de his differendi campus sese latior aperit, quàm qui nobis hoc tempore & loco ingrediendus esse uidcatur. Quare orationis cursum reprimamus, neq; finamus euagari longius. Fiat sanè, inquit ille. Sed cum imitatio sit studium quoddam similitudinis, hoc exagitari à quibusdam comperio illiberalitatis, (seruos enim uocant Imitatores,) à quibusdam deformitatis nomine, cum illos simios appellent, quam bestiam fœdissimam esse nouimus uel de Enniano elogio:

Imitationis studium an illiberale, aut deforme.

Simia quàm similis turpissima bestia nobis.

Hic igitur & ipse locus aperiendus tibi est. nisi tu aliter censes. Quid refert? inquam. nam si mihi meo agere arbitratu liceret, nunquam in has quasi salebras descenderem. Sed quia tu hoc potuisti extorquere, ui petitionis tuæ, quid dubitas de eo, quod reliquum est? Facilius quidem, ut arbitror, & expeditius. Perage igitur fabulam, inquit: & hunc etiam actum explica. De illiberalitate, inquam, non habeo quid dicam. Contorserunt enim quidam huc Horatianam sententiam, inconuenientissimè. Nos enim, ut scis, artem uirtutemq; constituimus hanc rationem. hoc igitur accusationis conuicium nobis quiescentibus quoq;, nequaquam adhæresceret in studiũ istud. Si tamen omnino seruilitatem quandam in hoc esse uoluerint, cõcedamus sanè: dum hoc teneatur, uel gloriosam illam esse, qua dominis honesta & laudabilia omnia imperantibus obnoxij simus. Seruire' ne autem pudeat me uirtuti ac decori? nec optarim potius, quasi Herculano ritu in hoc seruitio defatigari, quàm iacere in otiosa & inerti libertate? Verum hoc nihil ad nos, ut dixi. Altera infamatio

est Politiani: cuius tamen iracundæ Epistolæ respondit grauiter Cortesius, fa
cileq; repressit tanquam exurgentes iam insidias. Quid enim aliud egit, uel
agere uoluit Politianus, quàm ut ignominiam callidè imponeret huic studio,
infectando amatores Ciceronianæ orationis? Hoc illum non fugit, atq; senten
tiam ipse suam ita est contra huius insultus tutatus, ut pœnitere Politianũ in
cœpti potuerit. Quod autem istis admodum placet, oportere esse sui quenq;
similem potius, quàm aliorum, etiam nunc fateor me minime intelligere, quid
nam, aut quale sit. Si enim uel hac in parte, uel alia quacũq; uirtutis, possemus
ipsi à nobis & solis uiribus nostris freti efficere aliquid magnum & singu
lare, absq; magistris, præceptis, exemplis: concedi fortasse poterat, quod illi u
assumunt. Nunc cum id fieri certe nequeat, non ne qui magistros, præcepta,
exempla relinquit, idem Imitationẽ confirmat? Tam autem insanus quisquam
sit, qui in hoc desudandum in scriptis Ciceronianis putet, ut illorum depraua
tione ridiculi existant? Quod si quibus hoc accidit, uidelicet eorum repræhen
denda stoliditas, non pulcherr. hæc res uituperanda fuerit. Nam similiter to
tius linguæ Latinæ studium repudiare liceat, propterea quod quidam mon
stra quædam locutionum pepererunt, ut Pij sodalitium quondam accepimus.
Si quis igitur à Ciceronis lectione inepte dixit aut scripsit, nõ culpa hæc pro
positi eius, sed aut imbecillis aut uitiosæ naturæ existimanda. Cum cõtrà, qui
illi studio operam præcipuam dederint, non expertes ingenij, & adiuti à na
tura, labore & diligentia sua aliqui iam hoc consecuti, consecuturiq; omnes
postea sint, ut ipsorum dictione aut scriptione, nihil elegantius neq; admirabi
lius reperiri possit, nihil pulchrius, nihil minus ineptum, aut simiarum gesti
bus conferendum. Quanquã ne id quidem incogitantiss. dictum est: præsta
re Ciceronis simium esse, quàm aliorum filium. Cum enim nobis persuasum
hoc sit, & certum, eloquentiæ primas tenuisse Ciceronem, ut inter reliquas
animantes homo excellit: quis non ducat optatius, huius quoquo modo simi
lem, quàm quiduis se ab illo abhorrens atq; alienum haberi? Quin etiam non
est, meo quidem animo, paruifaciendum, uel accedere uoluntate ad illam ex
cellentiam & magnitudinem Ciceroniani nominis, si minus Imitatione assẽ
qui forte liceat. quidquid autem obtinuerimus, id profecto pulcherrimum &
glorioſissimum ducemus. Sed hoc tum recte dici uideatur, cum similitudinis
humanæ significationem simiæ nomine proponimus. cum reuera hominis illa
la bestia dissimillima sit: atque haud scio an uerum non sit, quod inquiunt, ac
cedit ad hominem simia propius, quàm taurus, aut leo, honestissimæ bestiæ.
Nihilo enim credo plus mentis habet, uoce utitur minus. Quod si ideo prope

accedit ad

accedit ad hominem, quia comit, in speculo se contemplatur, pedibus insistit
posterioribus. cur non etiam taurus & leo, quia edunt, bibunt, uim propul
sant, ille amat, hic agnoscit supplices, & gratitudinem colit? Sed hæc non eò
pertinere existimandũ, quasi nobis deprauata & aliena à ueritate placeant:
aut quasi in hoc studio nihil, nisi tales gesticulationes compræhendi uelimus.
In simia, cum ab homine in deridiculum omnia modum detorta sint, fit, cum
quæ homines facere uidit, ipsa quoq; aggreditur, ut exeant cuncta præposte
re & absurde. Docuere enim medici, quibus dissecandorum corporum cura
fuit, quasi lusu quodam naturæ uniuersa, quæq; foris quæque intus sint huius
animalis membra, ab humanis diuersa esse atque distorta. Vnde & uetus fer
tur Heracleti dictum, formosiss. simiam in comparatione diuersi generis plu
rimum habere deformitatis. Quenquã autem talem Imitationis modum in
troducere, aut artem deformitatis ac uiciorum tradere putandum? Studiosi,
non destituti ingenio, non fugitantes laboris, deniq; intelligentes, cogitantes,
prudentes, his instituuntur de Imitatione præceptis: qui certe non deprauate,
neq; deformiter expriment ea, quæ bona & laudabilia in altero adamauee
rint: sed similiter, id est, pariter cum laude & bonitate. Non quidem eadem,
ut & postea dicam: nam sic nihil haberent suum. Quod illi dicunt, qui uesti
gijs aliorum insistere tædiosum & miserum esse perhibent. Quis autem
hoc omnino uiator sibi faciendum putat, ut cum uestigia in semita hominis iu
mentiue animaduertit, quod peruenisse eò quò ipse tendit, sciat, singillatim
insistere & calcare illa uelit? Immò uero sequi, non deuiare, non digredi uult.
Nam ut ad studia accommodemus istud exemplum, non erat hoc Ciceronis
scripta exprimere, aut referre suis aliquem: sed quasi describere libros eius.
ut hac uestigiorũ ingressione non imitator designari uideatur, sed librarius.
Ac quoniam de Imitatione nos disserere uoluisti, conemur totam rem, quod
initio faciendum non putabamus, ponere sub aspectum explicatione nostra.
Ita enim hæc pars perspici certius poterit. Imitatio igitur est operis alicu
ius, siue naturæ ipsius, seu de natura arte expressi ingeniosa quædam repræ
sentatio. Huius est tanta uis, ut expressione & similitudine sua magis inter
dum delectet animos, magisq; similitudine sua deleniat, quàm uarietate ipsa
natura. itaq; omniũ iudicio plurimi fieri solet huius artificij grauitas, et quasi
calliditas. Quin etiam quarundam rerum ipsarum magna est offensio, qua
rum imagines demulcent sensus mirabili quadam uoluptatis ueluti titillatio
ne. Sic cadauer, aut crudelitatem aliquam sceleris pictam in tabula sæpe stu
diosi contemplantur, quæ uera conspicati omnes consternatis animis refu

Imitatio quid.

gerent. Et audientes illas Imitationes clamoris furentũ ira, & adulationũ hu-
miles uoces, ridemus, hilaritateq; quadã perfundimur, cum nihil utroq; reue-
ra ingratius sit intelligentib. Habet igitur ipsa per se hæc ars præcipuã atq;
propriam quoq; commendationem, non earum solummodo rerum circa quas
uersatur: (neq; enim necesse est, Laudata, honesta, pulchra, deniq; bona & re-
cta esse, quæ imitatione exprimantur.) sed si expressa scite & cum dexteritã
te quadam fuerint, non iam quidem ipsa natura rerum, sed artis efficiio com-
probatur. Quis, cum audit apta pronunciatione elatam hanc sententiam: De
niq; imperaui egomet mihi, omnia assentari. & hanc: Quin rapias, mutiles
Lanies, ut quenq; nacta sis: non afficitur uoluptate, cum utraque re nihil posit
esse magis contrarium? Auaros, libidinosos, truces omnes abominamur: sed
cõuenientes illis sententias, quasi picturas quasdam, libenter admittimus. Ex
quo intelligendum, cum Imitationi propositum sit referre alicuius rei simili-
NB. tudinem, & exemplum exprimere: cum hoc sit consecuta, uenisse ad finem
professionis suæ, et perfectionis laudem meritam esse. De hoc autem ipso con-
sequens est in alicuius scriptis imitandis, alicuius nonnunquam uitij expressio-
nem, & quasi uerruculæ aut tuberculi efficiõe laudi dari solere. Non quod
per se quicquam illorum placere possit, sed quia studij & industriæ uelut fa-
uore sustententur. Neq; hoc eò dico, quasi in istud potiss. huic rationi, quam
nos introducimus, Imitationis operam dari uelim, quo uitiosa sint scripta no-
stra: sed cum nemo unquam uitare hoc potuerit, quin deciperetur atq; erra-
ret, aliquid gratiæ nescio quo pacto huic ipsi facto similitudinis dulcedo uide-
tur conferre. Ita fit, ut in his etiam ars nostra prauitatis non sit. nam propo-
situs illi finis est gnauitatis & dexteritatis cuiusdam, in alienis operibus re-
præsentandis: quod propositum siue laudetur, siue non, tractationi tamen
artis suæ gloria relinquatur necesse est. Diximus autem antè quoq;, talem se-
ctam nos nequaquam instituere, qua turpitudo inualesceret atq; deformitas,
ab his enim tum abesse quidem oportet, cum illis nominibus, uirtutis inquam
& industriæ & studij & gnauitatis commendetur. Nam non ita deliramus,
ut doctrinam & præcepta uelimus tradere uitiorum & prauitatis. Eorum so
enim hæc ratio nostra adiutrix est, quæ quocunque tandem rectitudinis, hoc
est uirtutis nomine celebrantur, ut uirtuti, non uitijs comitem illam additam
à natura putandum sit: Vt quoniam proprio uelut Marte, & nostropte in-
genio ad quandam ipsius absolutionem & perfectam laudem peruenire non
possemus, huius adiumentis & adminiculis enitentes eò quidem progredere
mur, quò sua quenq; industria & studium operæ ac laboris eucheret. In hoc
igitur est

igitur est ille finis, quẽ omnes sibi in aliquo proposito suo præfigere, & quem
appetere solent. ad quem quo quisq; propius accesserit, eo plus laudis ac glo-
riæ comparasse sibi uideatur. Quæ cum sint pulcherr. uitæ ornamenta, &
dulcissima præmia uirtutis, si qui adipisci uolent, Imitationi sibi operam dan
dam sciant: sine qua neq; in hoc genere, neque ulla re ac proposito, præstan-
tiam aliquam consequentur. Atque in hac magna censuit cautione opus esse,
summus philosophus PLATO: ne cum animum cogitationesq; exemplo in-
tenderimus, si illud prauum sit, quo maiorem successum Imitatio habuerit,
eò plus corruptionis in sententias & mores peruadat. Et hoc totũ etiam stu-
dium eleuat, quatenus quidem naturæ ipsius opera & quasi uiua quædã ex-
empla intuetur et spectat ad imitandum. Negat Homerum egregium ducem
fuisse, quod esset præcipuum, quasdam tamen bellicas uirtutes uersibus egre-
giè exposuisse. Sed quanto hoc nomine laudabilior Achilles, inquit, quàm Ho
merus? Omnino tantus uir sæpe ludit, & quasi delicias facit, ingenio & fa-
cundia sua. Et hoc profecto in loco, nisi admodum fallor, præstigiolis quibus-
dam utitur. Nam quis inficias iuerit, præclariorem uictoriam Achillis fuisse,
cum ille Hectorem, qui Iouis filius haberi uellet, interemit, omni orationis ce
lebritate? Quis etiam hoc nescit, præstare ad usum lectulum fabricæ, picturæ
lectulo? Sed in suo genere nunquid possit afferri, cur Imitatio culpanda, uel
cur potius non plurimi facienda esse uideatur? Respectum quidem ipsum ad
eximia et excellentia omnia, non modo adiuuare hanc, sed etiam complere o-
portet. Neq; enim cum ille pictor aliorum tabulas imitatur, non etiam ad a-
nimantum uiuas, aliarumq; rerum naturales formas respicere solet: quam-
uis quicquid fecerit, multo deterius illis sit futurum, sed in suo genere certe
optimũ. Et in lectuli opere, imitans alterius opus faber, referat licet ad quan-
dam perfectiorem & uiuam speciem conceptam animo suo, omnem diligen-
tiam laboris sui. Similiter & in oratione cum constitutum exemplum fue-
rit, quod imitemur, omnia licet animo atq; oculis persequamur, quibus no-
strum opus, primum illius quod referre uolumus simillimum, deinde omni
ratione pulcherr. atq; speciosiss. efficiatur. Ac est uiua quidem illa forma ex-
empli remota ab oculis corporis nostri, et solo animo apprehendi potest. Vn-
de & Stoicis hoc totũ inuentũ formarũ, propemodũ animi commentũ uisum.
ipsi ἐννοήματα uocarunt. Sed harũ nulla profecto aut esset, ut nos parũ scilicet
acuti suspicamur: aut certe non intelligeretur, nisi uel edoctis animis nostris,
uel excitatis ad reminiscendum, quadam expressione & similitudine illius
ueræ & uiuæ formæ. Vt igitur hanc rem, & obiectores Platonicæ sententiæ,

Explicatio Pla-
tonica & illa
rotha imitationi
fauit.

quasi reos quosdam imprudentiæ tandem peragamus. Primum quæro, sit ne laus tribuenda studio & diligentiæ, cum in cogitando accuratè, tum disserte eloquendo? Quod ubi positum fuerit, non amplius iam poterit dubitari, quin ratione & uia ad perfectionem aliquam sit contendendum, laudis & famæ auidis. Nam & hic finis illis, quæ diximus, studio & diligentiæ propositus: & ipsa temerè uagari, aut errare neutiquã consueuere, sed ratione & uia certa semper procedunt. hæc autem nulla est alia, nisi Imitationis: cum, ut dictũ est, nulla ars sine hac possit consistere. Ipse quidem Plato Imitationem à uero abducentem, & peccati, flagitij, sceleris magistram repellit atq; exterminat: uidelicet propositum in aliquibus illiusmodi insectans, ut Poëtarum esse uult. De quo quidem sapientioribus iudicium relinquamus. Nos quidem minime lædit. Vt enim, sicut ipsi placet, Poëtarum actio nocens sit, in rebus nimirum quæ repræsentantur uitio uersante: unde tamen hoc aberit, illius expressio non poterit esse detrimentosa. Ita Plato Imitationem quodammodo tollens, eandem stabilit atq; fundat. Perinde ac Comici patres, à meretricio amore adcõiugia filios suos attrahere conantur. non enim omni illos consuetudine mulierum, sed improbarum hac turpi & pernicioſa abstinere cupiunt. Neq; enim naturæ rerum peruersa usurpatio, nisi à stolidis et imperitis, ignominiam affert atque imponit. A uero autem abducere quomodo potest dici illa, quæ suo nomine ueritatis expressionem profitetur? Sed similitudines dicunt omnes, tanquam imagines, longiss. à ueritate & rebus ijs, quarum sint, abesse. Quod ipsum quid ad nos? Non enim Imitationem introducimus, gesticulatricem aliquam uel defectricem à genere suo ad aliud: sed eam, quæ exempli ueritatem similitudine exprimat & effingat. Id enim ut & ipse efficiat, conari Imitator noster debet, quod uideat ab altero iam effectum esse, ut laudabile opus similitudine pulchritudinis fabricari possit. Et quoniam sunt hoc loco ista Platonica nescio quo pacto uersutiora, referamus illa ad hoc, de quo agitur, quo res fiat explicatior. Sitq; aliqua forma sempiterna, nequaquã mortalis, neque caduca, ipsius Eloquentiæ. Hæc ubi sit, nihil enim refert, quid est quod laboremus? Vis certe mentis atque animi hanc etiam uirtutem, ut alias, complectitur. Sed opus huius, est oratio, siue ore emissa, seu scriptis cõmissa. ad id enim quod agimus, in hoc discriminis nihil est. Istud igitur ipsum eximiũ aliquid quærimus, de quo ueritatem cognoscere uel agnoscere, intelligere uel recordari possimus. Cui reperto quàm uehementer adhærescendũ, quàm nusquam aliò dimittendi oculi, manus, ipsa cogitatio atq; mens, quis non uidet? Tale enim uolumus & nostra diligentia ac cura excudi, quod cum huic simile fuerit

Contra Platonica.

simile fuerit operi, pulchritudine, illius æternæ rei atque immortalis formæ minimè aberrasse uideatur. Ne huius consequentia & tenore non custodito, monstra planè & dissidentia ab omni forma ueritatis producantur: sed ut assiduitate studij, & constantia, & inuariabili quodam ordine, illa diuina species in operibus etiam nostris conspiciatur atq; eluceſcat. Sentio quidem me in re tenui uti omnino uerbis pluribus quàm opus fuerit. error tamen fuit remouendus. Fabii de Imitatione sententia.

Nunc uenio ad Fabij autoritatem, quam et ipsam à plurimis opponi sententiæ nostræ scimus. Neque ego profectio possum contemnere. Est enim scriptoris perquàm diligentis, & à plurimarum rerum cognitione, dicam etiam usu paratissimi. Sed omnib. semper licuit, licebitq; post hac, quod sentiãt, ratione tueri: & quæ ab alijs è contrariò afferantur, si possint, refutare. Ille igitur optimus scriptor, & eximia præditus doctrina, cum hoc studium Imitationis multis in locis ornet testimonijs suis, ubi de ipso ex professo disputat, primum illud quod admodum fatetur prodesse, cautè putat esse & cum iudicio apprehendendum. Quis autem hoc ita faciendum negare uelit, uel potius uasit? Est enim omnibus in rebus ijs, quarum ratio & uia traditur, in primis opus attentione, cura, prudentia. Non igitur hactenus quidem nos ab eo dissentimus. Quod autem subijcit, Imitationem solam per se non sufficere, quomodo probare ingrediatur uideamus. Nihil fuisset enim, inquit, uel inuentũ, uel auctum. Sed nulla ars stetit intra initium. Neq; tamen est peruentum ad finem eloquentiæ. Quare ueterum laboribus contenti esse non debemus. Contra Fabium de Imitatione.

Vbi mirum mihi uidetur, si quod agendũ susceperis, id solum sufficere posse non rere, idq; præcipi, in quo elaborandum duxeris, si adeptus sis, aliud esse quærendum. Quid igitur finiri, perfici, absolui poterit? Res igitur aliter se habet. Nam quod ad ipsum laborem studiumq; attinet, finem esse horum consecutionem eius, quod quispiam appetijt, idq; esse per se satis, necesse est. Et Fabius de Imitatione certe præcipit illo in loco. Quid est ergo hanc per se solam non sufficere? Quid inquam est aliud dicere, quàm si quem Grammaticum Rhetorem ue fieri uelim, Grammaticæ Rhetoricæq; scientiam ad illam professionem per se solam sufficere negem. Dicemus ne igitur, requiri quicquam etiam tum, cum hoc comparauerimus, quod destinatum fuerat cupiditate nostra? Sed hæc ad Eloquentiam non sufficit. Esto. Quomodo hoc demonstrat? Alieniss. profecto rationibus, atq; repugnantibus. Quibus tamen fortasse locus relinqueretur, si ea foret eloquentia ueterum, ut aut deesse in uniuersa aliquid, aut non tanta perfectio inesse, quanta maxima in humanum opus cadat, uideretur. Quod enim in nemine ait non uel desiderari, uel re-

prehendi quippiam: quid quidem quisq; in hoc nostro autore reprehendat, desideret ue, ipse uiderit. dum constet, à diuersis idē culpari ac defendi. In summa certe nulla reprehensio est, nihil potest desiderari. Aut prodibit, qui negare ausit eloquentiß. fuisse in Græcia Demosthenem, in Latio Ciceronem. Sed contra illum etiam nominare alios habemus, qui unà cum ipso ueritatem concupierint, secutiq; sint. Vtinam quidem non liceret nominare tantum. Ciceronem fortasse non solum teneremus, in cuius scriptis hæc perfectio, hocq; studium ueritatis emineret. Quanquam in copia hic etiam infinita retineret profecto principatum, & inter primos toto uertice (ut ait Poëta) suprà esset. Nam de spe ista perfecti oratoris quid dicam? Apparet enim esse uanissi- si re ipsa speretur aliquando talis exoriturus, qualem cogitatione animi fingere concipereq; solemus: cum præfinita certaq; ac propria omnium rerū perfectio sit in terris, quæ ad illam penitus formam respondeat nunquam. Facile autem intelligi potest, terminos istos & præscriptionem præteriri non posse ad quos cum accesserimus, standum sit, aut flectendus cursus retro. Ipse etiam Fabius multum Senecam ab antiquis ait descendisse, longeq; ab hoc defluxisse posteriores, idq; manifeste in uitio ponit. Quare rectius faceret, si cohortaretur ad amissa quasi castra recuperanda, & repetendum locum: quàm quod committit, ut hanc inanitatem gloriosæ orationis, ignauia ueluti perfugiū habere uideatur. Hoc egregium, quod ait, nullam artem intra initia stetisse: Sed cum pertractata aliqua, & quasi expleta fuit, tum aut stetit, aut progressione corrupta fuit, cum quid accederet, non inueniretur. Veterum autem eloquentia eò certe deducta est, ut undiq; absoluta, nihil quod præterea assumi deberet, reliquerit. Vnde consequens est, perfectam illam, plenam, cōsummatam, integram putandam esse. Quod quidem de illa dico uniuersa. nam si quibus particulatim tanquam extrema manus imposita fortasse non uideatur, ferendum in hac conditionis humanæ fragilitate, quæ etiam in summa præstantia claudicare comperitur. Sed de his supra nonnihil disseruimus. pergamus igitur ad Fabiana alia. Nihil habebimus igitur, nisi beneficij alieni, inquit. Imò uero & conferemus à nobis alijs: tantum boni ex hoc studio suppetet, tamq; erit copiosa merces huius laboris. Nam quod etiam tum crescere eloquentiam posse putauit, optimum est, sanè decreuisse non it inficias. Sed sola Imitatione nihil crescit. Quomodo nō crescit in studio indies meliora faciendi, dum præstantiam illam, quam imiteris, similitudine tua referas atq; exprimas. Creuisset enim tum quoq; hæc siue ars, siue uis dicendi, si ab antiquitate metuissent digredi studiosi illius: nisiq; uagari temere potius, quàm certum ducem itineris

itineris habere maluissent. Nunc quò delati fuerint erroribus, & perpetua ab illis discessione sua, palam est. Cætera Fabiana mihi quidem refellenda esse non uidentur. aut enim non lædunt causam nostram, aut per se imbecilla concidunt. Hoc ueteratorium uideri possit, non solere cum æquari, cuius uestigijs insistendum aliquis sibi putarit: & posteriorem semper esse, qui sequatur. An hoc est igitur imitari, alienis uestigijs insistere? Non est profecto. cum enim Imitatio alterius similitudinem complectatur, eadem quidem ingredi tanquam semita, qua uestigia illa impressa cernamus, & ipsa obseruantes, similiter ut ab illo, quem sequi placuit, factum animaduertimus, pergere uolemus: ita posteriores non semper esse oportebit, sed quædam designantia rectitudinem itineris uestigia prospicere, quædam relinquere à tergo, donec emenso toto spacio, quos sequebamur iam assecuti, id est similes effecti fuerimus, quos imitando nobis esse decreuissemus. Sed de uestigijs supra quoq; mentionē habuimus. Hoc sæpe miror, quid Fabio in mentem uenerit, ut scriberet: Neminem alteri esse oratorem similem, quamuis plurimi ad eorū se, quos probassent, similitudinem contulissent. Ita enim certe loquimur, ut & in formis & ingenijs & figuris similitudinem esse affirmemus. Neq; fieri ullo modo potest, quin si quis omni ratione et mente in hanc curam incubuerit, & (quod aiunt) omnes intenderit neruos suos, nō obtineat aliquid saltem, si non omnia. Nihil est enim tam durum, tamq; inexpugnabile, quod laboris improbitate non peruincatur. Hoc fortasse dicere uoluit, semper discrimen aliquod inter duos plures ue remanere. quod uere dici arbitror. Similitudine enim cum alijs comparamur, non reddimur ijdem: neque Imitatio eadem, sed eodem modo agit diuersa, id est cuiusque sua: neque adeò similitudo, nisi in quadam (ut ita dicam) discrepantia esse posset. Itaque cum natura in copia & multitudine rerum creandarum, occupata sit, nihil inueniri potest ita alterius simile, ut dignosci nequeat, cuius quidem notam in diuersitate & dissimilitudine quoque aliqua esse oportet. Absque enim hoc foret eadem. erant futura aliqua non similia. Eadem autem esse, quæ alia atque alia sint, nequeunt. neque enim idem, nisi de uno: similia autem de diuersis perhibentur. Vestigijs igitur, ut illò redeam (nam à multis inculcantur ista uestigia) insistere alicuius, idem erat facere, non simile. Vt si quis suo calamo aliena scripta exarare, ut diximus, aut persequi uoce, & recitare, memoriter ue pronunciare uelit. Tale est autem hoc, de quo loquor, similitudinis discrimen, ut non modo in diuersorum, sed unius diuersis operibus facile appareat. Quædā autem diuersitates sunt uoluntariæ et quæsitæ, quædā fortuitæ.

Vt in diuersis

Imitari.

Vestigijs alicuius insistere, quid.

Vt in diuersis tabularum Apellis argumentis, tanta tamen similitudo sit, ne eiusdem artificis manus lateat, aut non statim potius agnoscatur. Sed & si Lysippus eiusdem modi Alexandrum facere instituisset, atq; iam finxerat, adiutus ab omnibus quæ non defuissent priori operi: nunquam tamen præstaret, ne quid inter duas illas statuas simillimas interesset. Dicam etiam, quod mirabile auditu est: Vnum & idem dissimilitudinem non effugere, ut ætatũ distinctiones eodem in homine. Socratis quidem orationes seniles ac iuueniles hoc modo quàm manifeste differunt, quàmmultũ cernitur in illis detriuisse tempus, & maturitas ipsarum quasi exultationis & ambitionis? Hunc Cicero maximi fecit, & lectitauit studiosissimè. In quo & idem istud deprehendas, quod distinctũ & discrepans uoco in maxima & constantiss. similitudine. Hac autem planè intricatione inuoluit rem Fabius, quod eadem esse fecit, quæ similitudine coniungerentur: & ipse in hac confusione arguitur. Adde, inquit, quod plærunque facilius est plus facere, quàm idem. Quasi hoc sibi conandum quisquam ullo tempore putarit, ut Imitatione idem faceret. Arripuit hoc etiam PICVS, & aliquantulum iactitauit. Quod, ut ostendimus, contra hanc causam propriè non dicitur. Neq; etiam ipsa rerum natura patitur eadem esse, quæ sint diuersa. diuersa autem sunt, quæcunq; ab unitate recessere. Similitudinem, æqualitatem, aliqua ut paria sint, non in eo ponere possumus, quod idem est, nisi quatenus hac uoce in similitudinis significatione abutimur. Quorum inter se esse similitudo maxima, & fratrum germinorum fertur. Nunquam tamen eadem oua ulla, sed similia: neque cum gemini fratres nominibus (ut uerbi gratia, Pub. ac Quin.) discreti sint, idem Publius & Quintus, sed similes erunt. Audiui ego Albertum nostrum, picturæ illum principem, sæpe de hac uarietate rerum disserentem: & audiui magna cum uoluptate. Erat enim ingenio acri, & intelligente res difficiles atque subtiles. sermone autem utebatur diserto, & perquàm suaui. Is igitur affirmabat fieri nõ posse, ut cum de typo semel æreo imago esset expressa, eiusdem iterum modi alia inde exiret. Quid igitur obstat? Idem æs, charta, atramentum, prælum, impressor, addo etiam cælum ac solum, & tamen non eadem iterum imago excuditur. Quid causæ est? Nimirum quod duo quæ sint, id est diuersa, idem, hoc est unũ esse nequeant. Amoliti ergo sumus, ut opinor, hanc obiectionem insuperabilis cuiusdam difficultatis, & defatigationis superuacaneæ, in conatu faciendi eadem. Nos enim similitudinem appetendam proponimus, & libenter ab eo desistimus, unde naturæ quasi edicto remouemur. Similia uolumus, non eadem. Atq; in his etiam concessis stu-

dio & dili-

dio & diligentiæ nostræ, magnum & præclarum aliquótenus processisse censemus, si non contigerit peruenire ad summum. Neque enim tam sumus morosi, ut negatis maximis, mediocria etiam abijcienda esse censeamus. Sed profecto Fabius magis prauitate quorundam, ut ERASMVS quoque, ad quandam uelut iniquitatem deductus, quàm uoluisse huic eximiæ rei ac rationi nocere, credendus. Quod ut fieri certe non decuit, utq; hac in parte dissentire ab utroque nobis necesse est: ita & ueneramur ambos, & uerecunde defugimus tantorum uirorum autoritatem, quos profecto ingenio & doctrina facile præstitisse reliquis cõstat. Neq; existimari uelim, nos aliquo studio contra hos dicendi impulsos, in hanc disputationem descendisse: sed ut obsequentes STIBARE uoluntati tuæ, errorem nonnullorum, qui horum patrocinio freti essent, niteremur compescere. Ita enim de Imitatione locuti sumus, itaq; loquimur, ut studiosos Latinitatis cohortemur ad eam rationẽ, qua sola laudem huius adipisci possint: nempe similitudinis appetendæ, uetustatis. In qua perfectio illa singularis & absoluta inesset, cuius exemplum ad imitandum nullũ extaret, præterquàm scripta Ciceroniana. Quibus cum dedidisset sese totum aliquis, non uacaret magis illi ad alia, cum ab his ipsis, tum inter se dissidentia, oculos deflectere. Sed intentus præclarissimis, ordineq; ac modo pulcherrimo compositis, planeq; diuinis scriptis Ciceronis, anniteretur omnibus uiribus suis, ut quàmmaxime imitari illa, & exprimere ac referre posset.

Nulla autem ratione fieri queat, ut Plato quoq; ait, ut non etiam imitemur, re præsentemusq; illud, quod usurpando multum à nobis, frequenterq; tractetur. Vt igitur in uitæ morumq; doctrina iuuenes ad senum imitationem deducere solemus, non quidem libidinosos illos, neq; stolidos, sed graues & sapientes: quos si plures demonstrare sciamus, non dubitemus facere, sed uno etiam reperto contenti sumus. ita cum studiosos linguæ Latinæ dare operam iubemus, ut sua scripta similia eorũ esse uelint, quibus nulla laus illius desit, cum ad quos nunc sanè mittere alios possimus, inueniamus nullos, non ne recte præcipimus, ad Ciceronem ut contendere deuenireq; studeant? Iam hoc quoq; nomine aliqui hoc studium eleuarunt, quod delectationem nullam in similitudine esse dicerent. omnibus enim in rebus hanc matrem, ut Cicero ipse ait, satietatis esse. Ideoq; & uarietatem hac etiam in parte adhibendam, ne unus quasi color ubiq; cernatur in scriptis nostris, unius cuiuspiam similitudinis. Tum ille: Quid tibi uero, inquit, an hoc leue esse uidetur? Perinde, inquam, ut alia plæraq;, STIBARE. Errore enim remoto, quo non solum indocti, sed etiam sapientes nonnunquam implicantur, dilabuntur hæc sua

De Inuent.

s sponte.

odiosam similitudinem, aut in qua tadiũ sit, in imitatione non esse.

sponte. Quid enim ais STIBARE, similiter aliquid fieri ingratũ? Ergo tu probas dissimilitudinem etiam in uita? si in oratione pulchr-adducis. Minime uero ego, inquit, hanc probo: neq; in orationẽ introduci uelim, si turpis sit: neq; te facere, ut me sæpe interroges, sed te ipsum dicere. Geratur mos tibi, inquam. Inconstantia igitur & leuitas atq; uanitas, si uitiosa sunt, dissimilitudo quæ est illorum & honestatis maxima, cum uirtus & rectum exquiritur, do cum habere non potest. Ea enim est natura uirtutis, ut nulla diuturnitate satietatis afficiat cultores suos. Eadem fuit ratio honesti atq; ueri ante multa sæcula, quæ hoc tempore prædicatur. neq; quisquam bonus aliam laudem præclariorem ducit, quàm si illis uteribus, ac priscis claris uiris, simillimus esse perhibeatur. Iam si laudabilia exprimi referriq;, pulchrum ac gloriosum putatur: certe abhorrentia ab his, & dissimilia, turpitudinis infamiam non effugerint. Quid igitur illud est? Similitudinem satietatem gignere. In rebus nihili & futilibus, aut ueris quoq; & magnis uulgi iudicio, illud accidere sentiendum. Est enim uel rerum, uel hominum horum tanta inanitas, ut non solum facile impellantur: sed hæc quoq; leuitas, ut quasi plumæ, etiam uenti cum silent, tamen uolitent. Itaq; in ambobus curiositas regnat, quæ est nouitatis appetitio. Non enim habent res expertes bonitatis, ac carentes uirtutis ponderе, stabilitatem. Vulgus autem falli, decipi, fucum sibi fieri uult: præstigijs applaudit, ueritatem uocat contumelioſe sapientiam, supraq; suum captum esse irridens memorat atq; confitetur. Videre nonnihil dicere, inquit ille. Sed pratum istud uarium floribus & coloratum uerno tempore, declinari à te uidetur. huic enim similem orationem esse uolunt. Nunc quidem, inquam, videntur aliquid sanè dicere. Neque tamen ea est dissimilitudo, sed similitudo maxima pratorum inter se. ut si quod forte illo tempore, ut multa apud uos sitibundos montanos, areat pratum, cum alia floreant, ipsum aliorum dissimillimũ merito habeatur. Quis autem non uidet, quanta sit copia bonarũ rerum? non forte maior, quàm malorum: sed profecto quasi exercitus instructior & firmior. Ergo his refertam esse uitam & orationem conuenit diuersis, uidelicet de subiecta quasi materia in qua exerceantur, forma bonitatis ijsdem. Sapientia, iustitia, fortitudo, moderatio (capita enim, ut uides, pono) actiones hominum ad illum speciosum & spectabilem honestatis modum distinguunt. In oratione item sententiæ, uerba, figuræ, compositio, uarietatem illam in maxima & constantiß. similitudine pulchritudinis præstant: quæ merito tanti fit, ut diuina quædam excellentia existimetur. Quod si quis (ut ubi Cicero) sic contrà nos hoc loco reprehendit, uocatq; similitudinem, eandem

Similitudo satietatis mater, quid.

rundem rerum insitam & temerariam inculcationem, nihil esse ordine quodam & dispositione præ reliquis conspicuum, nihil distinctum, eadem quasi chorda digitis, ita lingua uerbis oberrare: ab eo nõ equidem dissensero, quin quod res est libenter fatebor. Sic enim nunc dissimilitudinis usurpatur uerbũ, ut uarietas significetur: & similitudo, unus sit quasi color, & facies una scriptorum. Quæ quidem ipsa etiam Imitationis nostræ ratio excludit, copia illa admirabili pulcherrimarũ rerũ, qua animaduertũtur distincta opera ueterũ quamq; illa constantia in referendo uoluntatis complectitur atque acquirit.

Contra Galen. etiã de sonis uerborũ solœcismis

Reliqua est etiam una obiectio illorum, qui ridiculum omnino studium uerborum atq; sermonis existimant esse: neque laborandum censent, utrum elegante hoc & splendido, an rustico & obscuro utamur. Vitam enim & mores probatos, animumq; instructum optimarum rerum cognitione, laudem & gloriam mereri, non linguam & orationem. Ex horum numero Galenus Medicus, uir doctus & ingeniosus, sed nescio quo pacto ad obtrectandũ & iurgandum procliuior, scribit se etiam librum composuisse aduersus eos, qui orationis absurditatem, id est quos Græci solœcismos uocant, culparent. Quem scilicet præclarũ fuisse librum oportet, cum in numerum referendum, & quasi in tabulis operum suorũ præscribendum putarit, ut nobis amissio illius admodum deploranda esse uideatur. Ego uero in superiori, de hoc etiam ipso multa sparsim commemoraui. neq; faciendum mihi puto, ut uel illa repetere, uel alia quærere uelim, quibus optimi & electi cura studioq; sermonis causa defendatur. Si enim neglecta certa determinataq; usu ueterum ratione uerborum, tum spreta apta & consentiente structura, & constante atq; graui comprehensione illorum, ut bene cogitata eleganter enunciari possint, sperat aliquis in reliquis tamen partibus humanitatis siue artium seu uirtutis cultu laudem se atque famam inuenturum esse: tam falli mihi quidem ille, uel potius desipere uidetur, quàm si quis cum fruges matureſcunt, in segete spicas reuellat, aut poma de arboribus, & stipulis atq; stirpibus glorietur. Quæ enim esset, si iam separari possent, sapientiæ commoditas atque utilitas absq; eloquentia? durabilis quidem illa, & posteritati etiam profutura. Quæ autem eloquentia fuerit in uarietate perpetua, & dissimilitudine atque innouatione propositi, uoluntatis, linguæ? Cumq; nihil de quo præcipi solet, mutabilibus præceptis contineri possit: hæc scilicet tanta res exposita erit cuiusuis libidini, ut nihil referre studiorum debeat, à quo quicq; & quemadmodum dictum sit, modo constet ab aliquibus receptum. Quasi uero quicquam tam uitiosum proferri possit, quod non assensum aliquorũ sibi acquirat. Imò quo deteriora

Galenus.

ferè sunt, quæ nouitate commendantur: eo plures habent approbatores. Cur igitur ille Asiaticus Podalirius, amatores Atticorum uerborum contemnat? ipse quidem uiderit. Nos ne à Medico quidem alienam esse eam curam oportere iudicamus, ut in suæ artis disputationibus sermone utatur neq; omnino uulgari, neq; uariabili ac incerto: sed & erudito, & constante, atq; definito, qualis nisi ueterum usu commendatus & traditus esse nullus queat. Hunc tamen ille haud scio an nemini persuaserit, uitandum esse: quin illum ipsum nequaquam spreuisse manifestum est. Quapropter non est cur longiorem defensionem quæramus, nisi tibi aliud uidetur. Mihi quidem, inquit ille, aliud minime. Neq; ferè quicquam in mente est, quod de tota hac re amplius requirendum esse uideatur. Nisi quod nuper cum incidissem in BVDAEI Cõmentarios Græcæ linguæ, animaduerti sanè multum uerborũ de hac etiam illam ratione facere: sed probantem, an cõfutantem, non habeo certò dicere. Sum à me quoq; illa lecta, uel potius percursa, inquam. Atq; uidetur Budæus imitationem Ciceronis haud impugnare, sed quodam potius modo propugnare. Ab hoc, quibus nostra adiuuari arbitramur, ea cupide libenterq; accipiamus: cætera relinquamus in medio. Si qua enim non planè nobiscum faciunt, non certe etiam uehementer aduersantur. Nam quod censet in hoc apparere, atq; esse haud minimam uim Ciceronianæ imitationis, si & ipsi more huius angere Latinitatem, & quasi pomœrium illius proferre studuerimus: non dissentit à nostro iudicio. Sed quod in hoc propè concedere uidetur, ab autore & quasi conditore Latinæ urbis discedentibus, in ruinis excitandis ad alios, uel seipsos respicere, istud abhorret à nostra diligentia & religione. Quod uero uult à Græcarum literarum cognitione paratos transire ad hanc curam, itaq; demum studium istud capessere, optimum atq; pulcherrimum affertur. Non quidem etiam similiter, ut superius nostra hoc disputatione nonnihil adducendo correximus, sic amplificando auximus, requirentes omnium artium ac disciplinarum ad eloquentiæ perfectionem adiumenta et opem. Quarum, nisi de Græcis literis, quæ cognitio sperari posit? Illud quidem quod affert de aliorum etiam disputationibus, ex ipsius quoq; Ciceronis sententia, unicuiq; suum maxime ingeniũ notum esse oportere, neque inuita (ut dicitur) quicquam Minerua conandum esse: nequaquam nos, si illa, quæ disseruimus constant atq; ualent, potest lædere. Docti enim & eruditi, præstantesq; ingenio omnes, quorum industria in studijs humanitatis elaborandum sibi statuerit, uno in genere & similes dicendi sunt, qui & uelint eloquentia excellere, & illius præcipua opera efficere possint, ut iam ad hanc rationem concurrere, & in hoc

Budæi sententia.

& in hoc proposito congregari necesse sit. Vt enim omnes Epici scriptores Græci Homerum, Latini Maronem, quos sequantur, propositos habent: neq; in his ulla potest esse ingeniorũ tanta dissimilitudo, quin hac in uoluntate congruant atq; consentiant: ita Latinæ eloquentiæ studiosi non possunt non conuenire in hoc iudicio, & in hac cogitatione atque mente, imitandæ ueritatis, qua de tamdiu loquimur. Aut si quis suum ab hac animum atq; consilium deflexerit & segregarit, ille ut suo se facto ipse indicat, aliena & non uolente Minerua esse: ita nequaquam nostra quidem oratione & cohortatione ad ea sequenda, quæ assequi neq; uelit, neq; fortasse posit, incitari impelliq; credendus est. Nihil, inquit ille, præterea desidero. Placet ne igitur, inquam, nos tandem totum hunc locum concludere, qui sub manibus, ut uides, supra institutionem suam excreuit immensum ad modum? Ita facies, inquit, ut ad reliquam lectionem deinceps transeamus. Cum igitur Imitationis, inquã, studio neglecto, bonæ quicquam sanæq; orationis existere, et quæ imitari debeamus, atq; adeò possimus, alia quàm Ciceronis scripta demonstrari nequeant, dubium ne adhuc remanebit, quid fieri cõueniat, uel omnino necesse sit? Cum autem nulla magis hæreat in animo tuo persuasio contra rationem Imitationis, age si iam parum demereatur studium tuum diuina bonitate sua Ciceronis oratio, quid omnino in hoc cursu facere aliud possis, quàm illã sequi? nihil habiturus aliorum ueterum, quò dirigaris. quod dico cum dolore, eoq; maximo. Nisi quis Cæsarianum se, aut Salustianum fieri posse confidat, de illorum scriptorum fragmentis? Quod ut consequatur, non poterit tamen in uniuersum usum assumi, propter singularem rerum illarum tractationem, & genus orationis peculiare. Idem de Liuio dixero. Nam de posterioribus dixi iam semel atq; iterum, eos hinc planè reijciendos, uel ipsos sese potius amouere, confessione sua desertionis linguæ Latinæ. Cui uero ignotæ sunt frequentiss. querimoniæ M. Fabij de corruptione eloquentiæ? Non ne etiam planis uerbis scribit, penè uniuersum sermonem priorum esse mutatum? Quis nunc erit igitur respectus, uolentibus lingua Latina uti, consuetudinis? quam alicuius certe temporis constituendam esse opinor. Facilis autem causa uidetur, contra posteriorum defensores pro ueteribus dicere. Confusores quidem utriusque quasi naturæ quis ferat? Non est ea enim consensio inter hæc, eaq; affinitas, ut quasi confluxu, tanquam Corinthium quondam æs, uenustentur: sed aut ut repugnantes liquores coalescent nunquam, aut turpiter quasi dispares panni consuentur. Cæsarianum autem, uel Salustianum, adde & Liuianũ exemplum, si iam ut à Cicerone dissidens commemoratur, quo pacto potest constitui? si obtinuimus Ciceronianũ perfectum quoddam eloquentiæ opus esse,

Epilogus.

& absolutum atque consumatum omni bonitate & præstantia illius. Ergone in historia etiam scribenda ad Ciceronem potius oculos & obseruationem nostram flectemus, quàm istos? Ego quidem certe existimo, concessa præsertim à nobis illa sumendi & decerpendi industria. Ac fuit me adolescente inter doctos sæpe disputatum, utrum Cicero si historiam scripsisset, quod sibi in animo fuisse facere ostendit, maiorem hoc in genere laudem assequi potuisset, quàm Liuium esse assecutum cerneremus. Dicebantur multa cum aliàs & ab alijs: tum quodam tempore Pet. Mosellanum Treuirum, quem Lipsiæ studiosè fuissem sectari audireq; solitus, Erphordiæ cum hospitibus quibusdã Petrus Mosellanus. disserentem memini asserere luculenta oratione hanc etiam laudem Ciceronis, cum quidem multa memoriter & promtè commemoraret de scriptis illius, in quibus nulla uirtus historiæ desideraretur. Caput autem recordor, longo sane tẽporis interuallo, fuisse totius ferè orationis illius, quod diceret, Vt pictorem & fictorem non putaret appellandum eum, qui pauculas quasdam solummodo figuras rerum exprimere sciret: ita ne eloquentem quidem, qui in uno tantum uelut præscripto expositionis uersaretur sermone suo. Sed aliquis pictorum atq; fictorũ, qui certum genus plurimum tractauit, in eo præstare reliquis & maxime excellere consueuit. neq; ego Ciceronem, inquit, negligenter aut desidiosè suscepturum illud opus fuisse existimo. Et tamen hoc tale est, ut non sicut figuræ rerum totis generibus, sed partibus modo, atq; ijs ita distinctum esse uideatur, ut quemadmodũ Praxiteles cum totam Venerem ad illam admirabilem perfectionis uenustatem exculperet, oculorum quoq; artifex egregius necessarius fuit: ita etiam in eloquentia exercitato, nullam partem illius neque membrum ignotum esse posit. Sed hæc admisceri fortasse aliena uideantur. Quare conclusionem perficiamus. Si igitur quæ disseruimus & de natura, & de modo uirtutis in Latinitate, ea constant & permanent, si qui ad hanc per omnes difficultates sudoribus suis contendere enitiq; studeant, utrum retardandos interpellatione nostra potius, quàm incitandos acclamatione putabimus? Multo etiam fuerit melius atque rectius, defendere hanc rationem, complectentem maximum studium, industriam præcipuam, & curam singularem: quàm impugnare, quasi socordiæ & desidiæ quibusdam copijs. Nam sua sponte omnes ad dulcedinem uitæ feruntur: neq; quisquam est, qui molestias suscipere, seq; affligere frustra uelit. paucissimi etiam, gloriæ diuinum bonum, ut Plato ait, tanti faciunt, ut per has uelut salebras ad illam asfectandum sibi iter existiment. Quotus autem quisque est, qui non malit hoc compendium sequi literaturæ, & intelligentiæ propriæ, & in persuasione eruditionis suæ quasi saginari: quàm immensum illud pelagus studiorum ingredi, &

gredi, & aliena conciliando, aduersitates, tædia, pericula etiam (ut istius, & uere quidem, uidetur) subire? Quod si quis est miseriarum impatiens, fugiens laborum, tenero corpore ac animo, facessat hinc, & locum det fortibus ac indefessis. Nam & huius rei mercatus is est, qui aliorum bonorum: quæ iuxta Epicharmi sententiam, emenda multorum quæ iniucunda & cõtraria uoluptatibus sunt, precio. Quod si contingere alio pacto et quasi redimi posset, non laboris, neq; assiduitatis mercede: ego quidem omnium diuitias impendendas esse arbitrarer. Nunc est labore atq; studio tantum, illud quicquid est tam eximiæ mercis, parabile: sine quibus artis uiam frustra insistemus. neq; hæc alia quàm Imitationis ratione constitui potest. Neq; metuendum, ne uulgo huc curratur: ne ue ita multi huic cupiditati indulgeant, ut in aliarum rerum executoribus penuria laboretur. Vtinã quidem fieret. quales enim hinc ad omnes actiones & munera uitæ uenturi essent? qua sapientiæ magnitudine? quo orationis cultu? cum nunc omnia publice priuatimq; istis semidoctis & dimidiata doctrina renidentibus plenasint. Qui si boni uiri sunt, conscientia infirmitatis suæ latebras quærunt: utq; non multum damni dare, sic ne magni quidem præclariq; facinoris autores esse consueuere. Mali autem animosiores insciti fiunt, & audacia ferè nocent plurimũ: sui amantes, rapaces, hostes ueræ & perfectæ doctrinæ, inuidi, temerarij, contumaces. Et quidem scio parum aptos uideri doctos, ullarum rerum administrationibus capessendis: neq; credi, in luce & turba hominũ ex illa caligine & silentio studiorum progressis, quicquam communis uitæ munerum esse committendum. Quod equidem negare non possum, ita esse plærunq;, ut dicitur. Verum in causa sunt non illi docti: sed hominum temporũq; malitia ac peruersitas. Ferre enim neq; illi, neq; hoc ferè potest mentes ingenuas & os liberum, candorem irrident, odere simplicitatem, totius honestatis inimici sunt, quæ certe à doctrina separari non uult. Cum igitur interdum accusari doctos, et inutilem illorũ operam uituperari audimus: tale est, ac si fidicinem surdus contemnat, quia ipse exaudire carmina modosq; nequeat. Sed quid tu, inquit STIBARVS, in hoc ne studio consenescendũ, et temperando stilo omnem ætatem uacare oportere credis? Insanirem, inquam, si ita censerem. Nam sunt hæc, ut supra quoq; dixi, puerilia, uel etiam iuuenilia studia, à quibus præparatè ad maiora transire debemus. Nos tamen, quibus pueris non contigit hæc acquirendi felicitas, grandioribus passibus incedentes, noctibus amissos dies compensemus: nec quamuis seriuscule nos discere pudeat. quod se facere inter senescendum quoq; Solonem gloriatum accepimus. Si tamen est, inquit, digna res tantis conatibus. Si mihi (inquam) credere, & recordari uis dicta superius.

ēta superius, est dignissima. Sed malim tibi omnibusq; alijs persuaderi, ut ipsi usu potius cognoscere tis, quàm haberetis fidem narrantibus quasi alterius or bis felicitatem & copiam. Ego quidem, inquit, etsi (ut antè quoq; dixi) admodum mihi probas sententiam hac de re tuam: si tamen hanc partem minus explicatam arbitrer, ut illis peregrinatoribus credere malo, incredibilia quædam referentib. potius quàm illa in loca proficisci, ubi ijs de rebus certior fiam: ita ab his experiundis, ut uerum fatear, abhorret animus meus. tibiq; ne magis urgeas, magnopere assentiar. Sentio inquã, quid tibi obstet: dignitas, honores, pudor etiã quidã redeundi quasi in ludũ. Quid aũt ego, qui tanto hæc opere cõmendata alijs uolo, hortorq; omnes ad speciosiss. facinus aggrediendũ, quid ipse? non ne innumerabilibus impedimentis excludor, quominus idem institutum persequar? Quibus uero? inquit. Quibus nam quæris? inquam. cum tibi fortuna mea notissima sit. Qua tamen ipsa nunquam efficietur, ut ab hoc pulcherrimo & honestissimo proposito discedam. Quodq; potero, hortabor alios, moncbo, instigabo, ut hoc studium amplectantur: quarumq; rerum comparatio denegatur tenuitati meæ, earum uel proconium me facere posse gaudebo: & uolentes uti consilio operaq; nostra quacunq;, libenter & cupide adiuuabimus. Nota est mihi, inquit, uoluntas tua. Sed de catalogo Erasmico nihil ne dicendum putas? cum soleant esse per quàm iucundæ audientib. iudicationes de scriptis aliorum, siue quem cum suis illas animo congruere: seu esse in ijs, quod peruersum uideatur, delectet. nam facere hoc utrunq; consueuit. Nihil ille ad nos, inquam, neq; ad hanc disputationem pertinet. Quare cum de Imitatione, te uolente & cogente, si bene atq; pro rei dignitate, ut uoluimus: sin deterius, ut quiuimus: sententiã nostram exposuerimus, cumq; diem hunc consumserimus sermonibus nostris, nunc quidem finem faciamus dicendi, crastino autem die, uel cum tibi commodum fuerit, ad Tusculanam lectionem reuertamur. Ita censeo, inquit ille. Atq; his dictis consurreximus. Et cum curando corpori nonnihil temporis impendissemus, ad somnum capiendum uterque discessimus, ille in suum, ego in mihi assignatum cubiculum: cum sanè noctis plus esset, quàm existimaremus.

COMMENTARIORVM IOACHIMI CAMERARII in Tusculanam primam, Libri primi Finis.

COMMENTARIORVM IOACHIMI CAMERARII IN TVSCVlanam Primam, ad Iulium Pflugum, Liber Secundus.



VM cœpissem hæc, quæ partim sunt à me exposita, partim restant exponenda describere, non putabam fore ut tantum operæ sumendum nobis, tantumq; impendendum laboris esset, atq; re ipsa comperi. Nam etsi statueram inserere significationem quandam iudicij nostri, quod haberemus de Imitatione scriptorum ueterum: tamen neq; ea, ut uerè dicam, audacia, neq; ita uerbosè facere initio cogitaueramus. Postea cum, ut fit, inter scribendum alia ex alijs inciderent, & negocium fieret amplius, neque possem animum meum cohercere, quin persequeretur cogitationes incœptas, factũ sanè lõgius est, neq; tam cito quàm speraueram hic libellus absolui potuit, neq; nos abijcere imperfectum sustinuimus. Accessere ad hæc ualetudinis incommoda, & difficultatis rei priuatæ nonnihil, quædamq; alienæ molestæq; occupationes: quibus cum sæpe institutum opus excuteretur manibus nostris, tum singularis laboris erat intermissa, uel potius interrupta repetere atque contexere. Interea audiui aliquid à nescio quibus, maxime ijs quidẽ (ut ferebatur) Gallicæ nationis eruditiss. hominibus, in hoc argumento esse elaboratum: quorũ quidem mihi uidere nihil contigit, præter unius Doleti furiosum scriptum. quod magis auderem contemnere, si pellegissem. Cum autem inspicienti, commotum illum incitatumq; appareret incredibili odio, & omnes penè syllabæ suffusæ felle essent, minus legi cupide, & sæpe de manibus deposui. ita ab amico ablatus liber fuit: quem nunquam postea, in nulla scilicet spe bona lectionis reliquæ, recuperare studui. Paucis uel diebus uel mensibus pòst, nũciata mors fuit maximi uiri ERASMI ROTERODAMI, in quẽ ad insanũ modũ Doletus inuectus esset. Qua re cognita, mirifice sumus perturbati. Valde enim optabamus, doctiss. uirum potuisse ea cognoscere (si ea fuisset tamen fœlicitas nostra, ut uellet) quæ nobis de hac quæstione Imitationis uisa probataq; essent. Qui certe pro humanitate sua haud iniquo fuisset laturus animo, si uideretur ab iudicio suo nonnihil discrepare nostrum: neq;

nos contrà eius uoluntatem pertinaces, multo minus docti ab illo opinionem hanc mutare uerituri fuissemus. Eum enim illum ego uirum fuisse iudico, qui cum excelleret omni sapientia atq; doctrina, non modo ferri in aliqua fingularí persuasione à nobis, sed etiam assensione demereri deberet. Nam quid huic laudis aut famæ bonarum artium & optimarum disciplinarum defuit? Aut quis alium solet autorem nominare ad ingrediendam hanc uiam studiorum, de ijs quidem quos hæc ætas tulit, extra illum? Nisi forte hoc non faciunt aliqui, aut inuidia aut superbia excæcati: ne quid uel illi quem non amant, uel alieno tribuãt: uel ne quid omnino ab alio didicisse uideãtur. De ERASMO autem testimonium nostrũ hoc uideri grauius & sanctius decet, quo minus existimari hoc potest aliquo beneficio peculiari, aut merito erga nos illius datum esse. Neq; enim ulla unquam re nos adiuuit, neq; honorifica mentione (ut multos) ornauit: neq; omnino usus aliquis amicitiæ cum eo mihi intercessit. Etsi est me quodam tempore ualde adolescentem suauiss. cum ipsius uidendi causa Basileã uenissem, complexus. Quin etiam comperi, me ab ipso in quibusdam epistolis nominatum eo in loco, ubi ab ipso reprehenderemur. quod tantum abest ut me nimium offenderit, ut etiam apud me illi gratiam tanquam mercedem, uel monitionis si uere reprehendisset, uel studij si etiam falsò, non dubitarim persoluere. Sed in hunc si mortuum inimici impetum fecerint, & cruentare tela sua uoluerint in exanimo quasi Hectoris corpore, non quidem ipsum hos ualde læsuros, sed sibi inhumanitatis probrum conciliaturos esse intelligo. neq; huius tantum, sed etiam ignauæ cuiusdam & formidulosæ exultationis: cum iam scilicet non apparente hoste feroces esse uideantur,

Θάρσυνει δὲ γὰ τοῦ κὰρ. θ' λιδσουσι πρόσωπα.

Ac ille quidem mihi post satis longam & honoratã uitam suo tempore, & (ut aiunt) placida morte, feliciter migrasse ex hac uita uidetur, in qua non arbitror quicquam illi magnopere iucundum deinceps esse potuisse: multa etiam haud scio an maximos illi dolores allatura, & obiectura summam tristitiam ac mœrorem fuissent. Quare diuino ille dono mortem adeptus, excessit ter- 25 ris: neq; quicquam boni amisit, sed malorum effugit plurimum: reliquitq; nomimis sui posteritati memoriam sempiternam, quam nemo gratus non facturus uidetur esse, ut non tueri atq; colere uelit. Itaq; & nos omni illam ratione ne ingrati habeamur, celebrabimus, atq; ueneratione maxima prosequemur, siue cogitantes nobiscum, siue cum alijs oratione communicantes cogitationes nostras. Quod uero ad nos, & hoc propositum institutumq; scriptionis attinet,

his attinet, cum illum, ut dixi, hanc partẽ qua tractatur Imitationis quæstio, optem cognoscere & iudicare potuisse, atq; id cũ fieri nequeat magna molestia affici soleam: sentio tamen me mirũ in modũ recreari consolatione tuæ IVLI & sapientiæ & eruditionis, atq; insuper studij eximij, quod in hãc rationem ponere consueuisti, quod certe in illo non fuisse constat. Itaq; cupidissime has Commentationes nostras ad te misimus, cognoscendas & põderandas, utrum ea sint bonitate ac grauitate, ut ferri probariq; inter uera ac recta possint. hoc enim aut tuo iudicio atq; sententia decidetur, aut nostrorum hominum qui hodie uiuunt nullius. Mihi autem, ut diligentius in hoc argumento elaborare uellem, non solum opt. studij dignitas persuasit: sed mouit profecto miseria & stultitia sæculi nostri, ut anniterer si forte errorem quorundam minuere, aut etiam opprimere possem, qui se nulli disciplinæ subijcere, nullos magistros ferre, nullam sequi doctrinæ rationẽ sustinent. Ex quo non solum euenit, ut omnia sint plena audacibus & callidis hominibus, cum magna clade rerum omnium bonarum: sed ipsa etiam studia atq; literæ nostræ in dies singulos, uel horas potius, magis atq; magis debilitantur et depereunt, ut his (nisi Diuina ope conseruentur) exitum atq; interitum non multis annis impendere metuendum sit. Quas non quidem propter nescio quem nitorem & gratiam, ut quidam suspicantur, tanti profecto facimus: quod tamen ipsum tale est, ut per se pulcherrimum atq; amabilissimum cum sit, merito plurimi pendi debeat: Sed nos alia profecto spectamus. Sermo est enim animi interpres. Itaq; siue cogitata & inuenta huius friuola & incerta sunt, siue his præclaris ille accedit rusticus & barbarus, omnis fructus perit humanæ præstantis & diuinæ naturæ, quæ est cogitationis & eloquentiæ. Neque enim certe stulte cogitatorum sapiens esse pronunciatio, neque orationis uitijs non corrumpi intelligentiæ interpretatio potest. Etsi fieri omnino nequit, ut sapiẽtes & ingenioſi ac docti infantes sint et indiserti. Quacũq; enim lingua & quibuscunque uerbis utantur, bene, splendide, prudenter, cogitata atq; inuenta semper efferent atq; pronunciabunt. Alius quidem alio melius: oportet enim eminere ut alijs in rebus, ita in eloquentia quoq;, perfectionis præstantiam in defectibus: bene tamen & laudabiliter uniuersi. Quia autem non fuit alia gens aut natio, cuius sermo ita aptus, itaq; idoneus esset ad interpretationem & expositionem sapientiæ & uirtutis, ut Græcorum Latinorumq;: merito & scripta horum si qui cupiunt, cum opt. sententijs rationibusq; mentem animumq; imbuere, tum decus atq; laudem sequendam ducunt, tum etiam præstare dicendo & actionũ honestatem illa pulchritudine quasi

exaggerare ſtudent: hi igitur Græcorum Latinorumq; ſcripta maximo ſibi opere & diligentia aſſiduitateq; ſumma legenda cenſent, poſſuntq; ea tantum, ut ſine ipſorum cognitione neq; docti neq; diſerti & putentur ulli & reuera ſint. Non enim dicam iam de artibus atque diſciplinis ſcientiarum, quæ ne per nebulam quidem alijs gentibus tanquam quidem propriæ ac ſuæ notæ conſpectæq; fuere. Sed Græcis nos Latina anteferimus, ſiue ſunt in his meliora omnia, Ciceroq; uere hanc laudem, nõ aſſentatoriè illis tribuit: ſiue nos paulo ea tenemus magis atque firmius his quidem temporibus, quàm Græca. Quorũ utrum uerius ſit, non eſt nunc exquirendi locus: ſed utrũcunq; ſit, id eſt certe, quamobrem hanc curam & iſtud eximium ſtudium, ſingularemq; elaborationem Latinæ linguæ addictam deuotamq; eſſe oportere perhibeamus. Neq; eſt credendum profecto, mihi quidem certe nõ fit uerisimile, prudentiß. illos uiros, quibus hæc ratio tantopere probatur, magis delectatos atque uelut captos eſſe elegantia & formoſitate orationis, qua quidem re nihil eſſe in homine ſpecioſius poteſt. Quid enim eſſet aliud homo, quàm beſtia, non ea quidem deformis, neq; inelegans, ſed beſtia tamen, abſq; uſu ac facultate ſermonis? Quid enim intelligeret, ſaperet, cogitaret, planè ignoraretur. Quod igitur in ſuo quicq; genere habet excellentiſſimum, eo ſi alijs præſtare uideatur, neceſſe eſt hac ſibi maxime re ſummam dignitatem & admirationem comparet & acquirat. Sed illos quos dixi, ut tantum huic imitandi ſtudio tribuerent, alia quoq; (ni fallor) mouerunt. Vidcrunt enim profecto, uel in remiſſione, uel diſſolutione cogitationum animi noſtri, cum illæ uagæ diſcurrentes errarent, nullum ad uirtutem & decus ſtabile ac perdurans & efficax conſilium iniri poſſe: ſed aut uana concipi, atq; inania & futilia, à mediocribus & ſimplicioribus: aut inſidioſa, turbulenta, nefaria, à magnis et uerſutioribus. inter quæ quidem neceſſe eſſet, uitijs & prauitate compleri uitam, ut in rectitudine aliqua mores contineri non poſſent. Hanc autem uel incuriam neglectionemq;, uel licentiam atq; elationem, exiſtimarunt coherceri ſolere ſtudio iſto & attentione Imitationis, in perpetua conſideratione eius, quod eſſet optimum atq; rectiß. & in elaboratione ſimilitudinis eorum operum, in quibus integritas hæc, de qua loquor, ſenſuum & uoluntatũ oratione conſentanea eſſet explicata. Neq; dubitarunt, quin ab hoc exercitio confirmati atq; inſtructi, eam daturi eſſent laudi honeſtatiq; operam, ut dicendo agendoq; uiri boni, graues, moderati, prudentes haberentur. Quo magis iudico, à nobis probari defendiq; ſententiã illorũ oportere, cum non modo ſummam commoditatem, ſed ipſam planè uirtutem, uel (ut apertius dicam) non gloriam,

gloriam, ſed ſalutem introducere uideatur. Quantæ enim iuuentutis ſint hoc tempore ad uitia prolapſiones, uidemus. quàm ſtolida arrogantia, quæ temeritas, quæ falſiſſimæ perſuaſiones doctrinæ, quàm ſubitæ factiones iſtarum neſcio quarum maximarum artium, (ita enim putantur) in quas illi irruunt imparatiß. ab omni literarum & humanitatis inſtrumento, inq; illis uerſantur, uel potius ſtatim fabricantur opus aliquod, ſine ulla diſciplinæ ſanctitate & doctrinæ religione, liberi ſolutiq; omni cura eruditionis. Itaque iam apud illos, qui ſe ſtudijs doctrinæ dedidere, ut creditur, quid refertur ad ueritatem atque uirtutem? uel quid non ſeruit magis errori, ac potius furori ſæculi noſtri? aut, quid eſt nunc etiam, ut totidem uerbis Ciceronis dicam, pudori, probitati, uirtuti, rectis ſtudijs, bonis artibus loci? Quapropter omni ratione, uel iam ui quoq; refrenanda iuuentus eſt. aut, ſi effici nõ poſſe uidetur, ſicuti certe non poterit, ut uniuerſis conſulatur ad ſpem & fœlicitatem poſteritatis: in hoc tamen omnes qui poterunt & debebunt, annitentur, ſaltem ut pauci de tanto numero improborum & amentium eripiantur, & ad ſalutaria ſtudia hæc conuertantur. quorum tamen ipſorum induſtria, bonitate, fide, laborantibus rebus pub. nonnullam opem allatum iri ſperandum ſit. Vnde enim deterremus & abſtrahimus hac diſputatione noſtra adoleſcentiam, niſi à leuitate, inertia, ſomnolentia, ſtultitia, ſocordia? Quò autem uocamus, niſi ad conſtantiam, ſtudium, uigilantiam, ſobrietatem, induſtriam? Ad quæ tu IVLI non ſolum exemplo inuitare, & cohortatione mouere, ſed quodã etiam iure autoritatis cogere ciues tuos uidere poſſe, ut te quoque facere ſcimus. Vtinam alijs in locis & partibus Germaniæ tui quàm plurimi ſimiles, & pariter animati reperirentur. uel ſi hoc eſt uotum in hac miſeria communi & quaſi fatali, improbius ſaltem ubique gentium decem tales uiri inuenirentur, quot ille Rex Græcorum conſiliarios ſibi optare non dubitauit: profecto celeriter non Troiana mœnia diuina munita manu, ſed barbaries atque immanitas noſtrorum hominum expugnaretur atque corrueret. De hoc autem futurum ſcilicet eſt, quod Deus uoluerit. Quod cum nobis exploratum eſſe nequeat, At nos (complectar enim me quoque, & quaſi de uno gregario milite inter Duces loquar) Nos igitur,

Ἄγε δὴ ἴομεν, καὶ ἀλιξώμεθα μένοντες.

Inq; conatu pulcherrimo perferamus & moleſtiam laboris, & maleuolentiam uituperatorum, conſolantes nos propoſiti noſtri rectitudine atq; bonitate. Ac ut ad rem redeam, unde nunc quaſi diſcedere oratione noſtra ad alia uoluimus: erunt fortaſſe nonnulli, qui multo plura potuiſſe notari ad

eum modum, quem nobis proposuerimus, dicant: quiq; hanc exilitatem nostræ scriptionis reprehendant. Nonnulli etiam, ut opinor, optabunt fuisse in hoc studio nos longiores. Quibus hoc responsum uolo, utrisque quidem: Mihi hæc quamuis exigua, non paruo constitisse labore, quem etsi minime magnifaciendum putare, gratum tamen sibi esse pati debeant. Illis autem hoc separatim: Non esse me eum, qui omniũ iudicio satisfacere me posse crediderim: neque, cum sciam neminem ferè nisi sua non culpare, reprehensionem ab hoc meo scripto deprecari. De re autem ipsa, scilicet cuiuis est eritq; concessum atque liberum facere, edere, proferre meliora, utiliora, pleniora. Hos autem arbitrari uelim, me cohibuisse etiam plura congerendi et colligendi studium, cum non uellem hoc qualecunque scriptum meum, pro doctrinæ aut præceptionum libello accipi, in quo se aliquis nescio quid præclarum et eximium reperturũ esse confideret. Non enim certe dubium est, huiusmodi multa alia, uel hæc etiam ipsa quæ attulimus omnia, de alijs quoque scriptoribus excerpi potuisse: nec me latet, Ciceronem de Græcorũ scriptis plurima transtulisse, in quibus nonnulla cum diligentia & nos sumus uersati. Illum igitur scimus non modo uerbis, sed etiam sententijs optimis, & speciosiß. de Græcis assumtis, Latinum sermonem auxisse atque locupletasse. Itaque, ut opinor, accumulandis exemplis & ipse non admodum laborioſe fecissem grandiorem libellum nostrum, si placeret. Ego autem in ea sum opinione, hæc conquirere atque inter se conferre priuati esse studij, & secretioris cuiusdam exercitij oportere: & Ciceroniana ideo tantum exempla proposui, quia quicquid apud alios inuentur, de Ciceroniano usu probari deniq; uolo, non per se: ut ad illam regulam omnia adæquentur, & opus aliquod consentiens & directum, ut iam suprà sæpe multumq; dixi, perficiatur. Nam mihi cum cogitationum ratio atque prudentia, tum elocutionis certitudo ac constantia, tum uero omnia ad decus & laudem congrua & apta proponuntur, elaborãda ad illud exemplum maximæ & diuinæ perfectionis in omni præstantia atque bonitate. De quibus hæc nostra cupio non tam pro doctrina haberi, quàm indicatione sententiæ nostræ, & secundum hanc monitione ac consilio. Quod si illa est uera, aut saltem non remotißima à ueritate, id quod hi qui forte copiosorem esse uellent expositionem nostram, requirũt, quodq; optant nos fecisse, ipsi scilicet supplebunt, multoq; melius ac rectius facturi sunt. Sin fallimur, nimium est iam in his paucis operæ positum, et consumtũ temporis. Sed hoc magis consuetudine dixi, quàm quod ne ita sit metuã. Sicut enim nemo est, qui sensibus integris utatur omnium mortalium, cui non

non, ut cecinisse Empedoclem accepimus,

Candidus & calidus semper uideatur Apollo,
Et nimbi densam caliginem habere, geluq;:

ita omnibus profecto sanis, saltem honesta et speciosa uidetur eorum oratio, qui se ad hanc Imitationis rationem contulerunt. Quod cum ita sit, studium iam ipsum improbari non poterit. In eo uero, qua se quisque dexteritate gesserit, discrimen euentus subire cogentur uniuersi: in quo & nostrũ scriptum uersaturum esse uideo. Quod tamen fretus æquitate eorum, qui instructi opt. disciplinis atque artibus hæc forte legerint, non nimium, uel potius nihil omnino pertimescendum mihi puto. alios enim in doctrina atque eruditione animi nulla, uel hac dimidiata & semidiserta, neque curandos neque metuendos mihi puto: præsertim si tibi, IVLI, probato iudicio nostro, sicq; apud te iudice eximio caussa defensa, tua etiam nos æquitas atque benignitas uuuerit ac protexerit. De quo certe est præclara spes nostra, in qua iucundissime nunc acquiescimus. Nunc igitur ad reliquam explanationem Tusculanæ nostræ pergamus, & alterum etiam diem, secutosq; sermones nostros explicemus narratione nostra. Cum enim illuxisset, & nos de somno excitati surrexissemus, nihil anteuerti studio conueniendi nos suo STIBARVS passus, propemodum accurrens eum in locum, ubi pridie eius diei fueramus, & ego quasi in meo conclaui manere solebam, me salutato: Ecquid, inquit, placet reliqua nunc persequi. nihil enim deest occasionis. Nam & otium mihi suppeditat hoc tempore, & puer adest cum libro, ut uides (fuerat enim hic eum secutus) modo tibi libeat quasi philosophicæ declamatiunculæ operam dare. Mihi quidem libet, inquam, conari facere quod tu imperes, atque obsequi uoluntati tuæ. Quid igitur restat? inquit. Vbi substitit lectio tua puer? Age prosequere. Ibi puer deinde sic cœpit:

At. Malum mihi uidetur esse Mors. M. Iísne qui mortuí sunt, an ijs quib, moriendum est? A. Vtrisq;. M. Est igitur miserum, quoniã malum. A. Certe. M. Ergo & hí, quibus euenit iam ut morerentur: et hi, quibus euenturum est, miserí. A. Mihi ita uidetur. M. Nemo ergo non miser. A. Prorsus nemo. M. Et quidem si tibí constare uis, omnes quicunque nati sunt, eruntue, non solum miserí, sed etiam semper miserí. Nam si solum eos dicerẽs miseros, quibus morien

dum

dum esset, neminem tu quidem eorum, qui uiueret ex
ciperes. Moriendum est enim omnibus, esset tamẽ mi
seriæ finis in morte, quoniam autem etiam mortui mi
seri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. Neces
est enim miseros esse eos, qui cẽtum milibus annorum
antè occiderunt: uel potius omnes, quicunque nati
sunt. A. Ita prorsus existimo. M. Dic quęso, num
te illa terrent? triceps apud inferos Cerberus? Cocyti
fremitus? traiectio Acherontis? Mento summam a-
quam attingens siti enectus Tantalus? Num illud?

Quod Sisyphus uersat
Saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum?

Fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos & Rhada
manthus, apud quos nec te L. Crassus defendet, nec
M. Antonius, nec (quoniam apud Græcos iudices res
agetur) poteris adhibere Demosthenem: tibi ipsi pro
te erit, maxima corona, caussa dicenda. Hæc fortasse
metuis, & iccirco mortem censes esse sempiternum
malum.

His lectis: Requiro, inquit, animo meo STIBARVS, ex superioribus
Scholæ interpretationem. Græca, inquam, uox est, & ocium significat: u
cum illi dicunt, σχολὴν ἄγειν uacare: & σχολαῖον ociosum, ideſt cui festinatio ab
esset. Sed & literarum studiorum uacationes ac ocia hoc nomine signifi
carunt: loca quoque, in quibus illæ disputationes literariæ tractarentur, id-
» est ludos. Ita enim & Cicero uidetur esse hac uoce usus, 2. de Or. Et tanquam
» in schola propè ad Græcorum consuetudinem disputaße. Græcorum aliqui
hoc negant: sed & Cicero de disputationibus ipsis posuit in Oratione in Piso
» nem: Vertes te ad alteram scholam, & de triumpho disputabis. Nos igi
tur, inquit, si inciderit, eodem modo uti non uereamur. Sed nunc illa percur
ritò, quæ modo lecta sunt. In his, inquam, potuisti animaduertere, excer-
pta ex Poëtis & uoces & locos. Vt illud, Triceps Cerberus: & uersus,

Quod Sisyphus uersat
Saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum.

Hilum

Et Tusc. III. Philosophorum scholæ de tertio de morte
de paupertate &c et scholæ singulares &
Inde est scholia ut scholia pro commentarijs explicationum.

Hilum autem ueteres minimum quid intelligi uoluere. unde & Nihilum fa-
ctum, quod sit ne hilum quidem. eaq; sæpe uox in Lucretianis occurrit.
Quomodo uero, inquit STIBARVS, uersus illius extremum cadit, Sisy-
phus uersat? Tempore enim uno plus est, quàm esse debeat. Vetus, inquam,
est, liquescere S. itemq; V. pro consonante. Quorum utrumuis accipias hoc
loco licet. De S autem Cicero quoque docuit in Oratore, his uerbis: Quin «
etiam quod iam subrusticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum, «
quorum eædem erant postremæ duæ literæ, quæ sunt in optumus, postremã «
literam detrahebant, nisi uocalis insequebatur. Ita nõ erat ea offensio in uer «
sibus, quam nunc fugiunt poëtæ noui. Ita enim loquebamur: Qui est omni- «
bu princeps, non Omnibus princeps. Vita illa dignu, locoq;: non dignus. «
Hæc Cicero: à quo citatum posteriori loco exemplum, clausula est Enniani
uersus, quem sic integrum inuenio:

Sannis spurcus homo, uita illa dignu, locoq;.

Tale est: Versibu, quos olim Fauni, uatesq; canebant.
&: Da Venu consilium. De litera uero V. sunt exempla:

Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Item: Commorit, Decrerat, Sirit.

De Crasso & Antonio, remitto te ad Bruti Catalogum. Sed de iudicibus in-
fernalibus est apud Platonem in Gorgia, Minoem & Rhadamantum Asiati
cos iudices, et Aeacum Europeum datum inferis, ut Rhadamanti iurisdictio
esset Asianarum umbrarum, Europensium Aeaci. Minois enim fuisse à Ioue
exceptam autoritatem, decidendi eas caussas, de quibus inter duos esset con-
trouersia. Sisyphum fabulæ tradunt hac apud inferos pœna affici, ut sa-
xum uoluat ingens, sursum in altiss. montis cacumẽ. quò cum peruentum sit,
subito reuoluatur illud ad radices montis. Ita sempiternum hunc illi laborem
sustinendum. Hunc Homerus κράδιστον dixit, qua uoce callidissimum signi-
ficari uolunt. Nam & hoc traditum accepimus, uersutia eum sua in uitam
ab Orco redijsse. quod et in Theognidis sententijs legitur, ut nos quidem nu
per conuertimus. & quia, quod ille suo tempore factum queritur, nunc quo-
que fieri cernerem, mandaui memoriæ:

Nunc decus & uirtus est sola pecunia uulgo,
Nec quicquam hanc præter ducitur esse bonum.
Non si quis te forte prior Rhadamante pudore,
Sisyphe doctrina teq; sit Aeolide,
Qui in uitam ex Acheronte dolo redijsse, bonisq;
Persuasa uerbis dicere Persephona.

Iudices infernales

κράδιστον

De Tantali siti & miseria, nota est fabula. quam pœnam sufferre accepimus quod linguæ moderari non scisset, ut Euripides dicit:

ἀπόλαστον ἔχει γλῶσσαν, αἰχίστην νόσον.

Hunc Plato recto conuenienteq; nomine τάνταλον, quasi τλαντατον, id est infelicissimum nominatum putat. Euripides etiam aliter quàm Homerus, suspensum in aëre, metu imminentis rupis excruciari ait: in Oreste. Cocytus autem quid, nisi luctum & eiulatum: & Acheron, cœnum & lutũ, in quibus mersi intelliguntur mortui, significat? Est enim & ἀχερωΐς, ut quibusdam placet, alnus uel populus apud Homerum, quod in palustribus locis eæ arbores nasci soleant. Plautus dixit in feminino genere, mutata crassa in mediam literam, eaq; geminata Aggerũnas, in Captiuis. Grammatici ἄτυμον exponũt huius uocis ἄχεσθαι, quasi ἄχιστον ῥεῖθρον. Sed nunc ad argumentationem Ciceronis. Remouet, ut uides, pœnas & supplicia post mortem. Nam illis relictis infirma essent quæ sequuntur. In quo tamen uidendum, an ipse sibi constet. Platonica enim sunt & hæc dogmata. ficta quidem inquis, & ἀλληγορούμενα. Ita quidem uidentur: cum tamen arripiat illam partem beatitudinis animorum, hanc miseriæ prætermittere non debuit. Iam illud inuoluit, ut posteà mox clarius cernemus, esse miseriam in morte, re ipsa naturaq; extincta: cum illud ipsum uerbum, quod esse dicitur, interierit. Quo ipso concesso, quid quæso consolationis existere potest. Nam & illi, qui quamuis longo tempore ante nos uita functi sua fuerint, miseri certe hoc ipso metu extinctionis fuisse: & eos esse, qui quoque tempore uiuunt, putandum. Desiere illi esse miseri, post quam esse omnino aliquid desiere. Quid hoc iuuat? aut quo minus dolendum mihi? Imò certe multo acrior est hic dolor, quasi in exemplis futuri exitij contemplationis. Sed nos hac sententia immortalitatis animorũ, et quibus persuasio de Deo ex sacrarum scripturarum doctrina ineſt talis, ut non modo autorem illum rerum uniuersarum, sed gubernatorem quoque esse credamus, facturumq;, ut bonos ac pios & se fretos misericordia sua per filium suũ CHRISTVM complectatur, conciliatos sibi fide in illũ sua: contumaces autem, & impios, infesta manu premat: quid nos inquam hæc adiuuare possunt, etiamsi firma ualidaq; humanæ intelligentiæ uideantur? Non iam laboro, quid inferi, ubi, cuiusmodi sint. Tale numẽ Dei, quale religione nostra concipimus, infensum habere, omnia mala, miserias, pœnas, supplicia contineat. In hoc max. terrores, & infelicis conscientiæ cruenti stimuli insunt. Si igitur hæreat hæc opinio in animis nostris, irati & infensi numinis: quid potest fingi cruciabilium cruciatuum omnium, quod non subire perpetiq; aliquis malit,

malit, quàm in morte ipsa quasi in manus Dei deferri? Sentiunt omnes boni maxima certaminum discrimina, in talibus cogitationibus. In quibus uero despe ratio diuinæ misericordiæ uincit, illi in horribiles insanias delabi sæpenume ro comperiuntur. Quid igitur iuuarint hæc illos, nugas esse & aniles fabulas totam infernalem historiam? Interire autem animam cum corpore quis persuaserit, in tam graui perturbatione, contra tot ualidiss. argumenta, exploratа etiam & nota exempla? Quare nihil prorsus possunt auxilij afferre hæc, aut similia sapientum scripta, laborantibus tali solicitudine & anxietate. Quærenda igitur sunt alia, & ea quidem tradita monstrataq; diuinitus, gratiæ ac benignitatis diuinæ: qua constituta, secura placidaq; mẽte omnia aduersa ac tristia, etiam ipsa mors subibitur. Sentiemus enim, nos Deo curæ esse, & respici, ac protegi à tanto numine, quod sua manu fecerit contineatq; omnia. Hæc est summa, & hic fons quietis ac pacis in hac uita, & initium beatitudinis sempiternæ. Morí ne mihi sit triste, transituro in uitã, in lucem, libertatem, ex ipsa planè morte, tenebris, carcere? si hoc certum fixumq; maneat animo meo, bene uelle mihi conditorem, conseruatorem´que uniuersi huius. Sed hanc persuasionem nihil aliud potest efficere, neq; excitare, quàm fides in IESVM CHRISTVM: qua sola apprehenditur illa diuina beneuolentia. Per hunc enim, & cũ hoc, uel potius in hoc, aut si quod aliud est uerbum significantius unitatis, aditus ad illam immensam infinitamq; potentiam ac maiestatem aperitur nobis: propter quem reconciliati ipsi, iam non qui dudum eramus homines alieni à cognitione, amore, cultu illius, sed filij sumus eiusdem, cuius & unigenitus IESVS CHRISTVS. quos ineffabili prosequens dilectione, tuetur in uita ac morte, in uno corpore, cuius CHRISTVS caput sit, compræhensos. Hanc igitur fidem discamus, huic studeamus: hunc CHRISTVM interpretem, & pacificatorem, & saluatorem nostrum spectemus: neq; quicquam desiderabimus aut præceptorum, aut cõsolationis, aut quæstionum de uita, morte, inferis, cœlo: quorũ idem, qui est noster clementiss. pater, potentiss. dominus sit. Huic in hoc sensu charitatis & beneuolentia erga nos illius, non solum tuto commissum iri uxores, liberos, rem, famam, putabimus: sed caput quoq;, ac uitã libenter cupideq; quasi transcribere uolemus. Sed hæc fortasse alterius loci sint, quanquam nullo cum tempore aut loco non congruunt, & ego meas cogitationes dixeram me prolaturum: de quibus & in sequentibus fortasse alia quædam in medium afferentur. Nunc uero prosequatur lectionem puer.

At. Adeo ne me delirare censes, ut ista esse credam? M. An tu hæc esse non credis? A. Minime uero. M. Male hercle narras. A. Cur quęso? M. Quia differtus esse possem, si contra ista dicerem. A. Quis enim non in eiusmodi caussa? aut quid negotij est, hæc poëtarum & pictorum portenta conuincere? M. At qui pleni libri sunt contra ista ipsa differentium Philosophorum. A. Ineptè sanè. Quis est enim tam excors, quem ista moueãt? M. Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. A. Ita prorsus existimo. M. Vbi sunt ergo hi, quos miseros dicis? aut quem locum incolunt? Si enim sunt, nusquam esse non possunt. A. Ego uero nusquam esse illos puto. M. Igitur ne esse quidem. A. Prorsus isto modo: & tamẽ miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sunt. M. Iam mallem Cerberum metueres, quàm ista tam inconsiderate diceres. A. Quid tandem? M. Quẽ esse negas, eundem esse dicis. Vbi est acumẽ tuum? cùm enim miserũ dicis, tùm eum qui non sit, dicis esse. A. Non sum ita hebes, ut ista dicam. M. Quid dicis igitur? A. Miserum esse, uerbi caussa, M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit, miserũ Cn. Pompeiũ, qui tanta gloria, dignitate tãta sit orbatus, omnes denique miseros, qui hac luce careant.

M. Reuolueris eodem. Sint enim oportet, si miseri sunt. Tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent. Si igitur non sunt, nihil possunt esse, ita ne miseri quidem sunt. A. Non dico fortasse etiam quod sentio. nam istud ipsum, nõ esse, cum fueris, miserrimum puto. M. Quid miserius, quàm omnino nunquam fuisse? Ita qui nondum nati sunt, miseri iam sunt, quia non sunt. Et nos ipsi, si post mortem miseri futuri sumus,

mus, miseri fuimus antequam nati. Ego autem non commemini, antequam sum natus, me miserum. Tu si meliore memoria es, uelim scire ecquid de te recorderé? A. Ita iocaris, quasi ego dicam eos miseros, qui nati non sunt: & non eos miseros, qui mortui sunt.

M. Ergo esse dicis eos. A. Imò quia non sunt cum fuerint, eos miseros esse. M. Pugnantia te loqui non uides? Quid enim tam pugnat, quàm non modo miserum, sed omnino quicquam esse, qui non sit? An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorũ sepulchra uides, miseros putas illos? A. Quoniam me uerbo premis, posthac nõ ita dicam miseros esse: sed tantũ miseros ob idipsum, quia non sunt. A. Non dicis igitur, Miser est M. Crassus: sed tantum, Miser M. Crassus? M. Quasi non necesse sit, quicquid isto modo pronũcies, id aut esse, aut non esse. An tu Dialecticis ne imbutus quidem es? Inprimis enim hoc traditur: Omne pronunciatum est, (sic enim mihi in præsentia occurrit, ut appellem ἀξίωμα: utar pòst alio, si inuenero melius) id ergo est pronunciatũ, quod est uerum aut falsum. Cum igitur dicis, Miser M. Crassus: aut hoc dicis, Miser est M. Crassus, ut possit iudicari uerum id falsum ne sit: aut nihil dicis omnino. A. Age iam concedo, nõ esse miseros, qui mortui sunt: quoniam extorsisti, ut fa terer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse. Quid? qui uiuimus, cum moriendum sit, non ne miseri sumus? Quæ enim potest in uita esse iucunditas, cum dies & noctes cogitandũ sit, iam iamq; esse moriendum? M. Ecquid ergo intelligis, quantum mali de humana conditione deieceris? A. Quo nam modo? M. Quia si mori etiam mortuis miserum est,

ſet, infinitum quoddam & ſempiternum malum habe
remus in uita. Nunc uideo calcẽ, ad quem cum ſit de
curſum, nihil præterea extimeſcẽdum. Sed tu mihi ui
deris Epicharmi, acuti, nec inſulſi hominis, ut Siculi,
ſententiã ſequi. A. Quam? non enim noui. M. Di
cam, ſi potero, Latinè. ſcis enim, me Gręcè loqui in La
tino ſermone non plus ſolere, quàm in Gręco Latinè.
M. Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihili æſtimo.
A. Iam agnoſco Græcum. & quoniam coegiſti ut
concederem, qui mortui eſſent, eos miſeros non eſſe:
perfice, ſi potes, ut ne moriendum quidem eſſe miſe
rum putem. M. Iam iſtud quidem nihil negotij eſt.
Sed etiam maiora molior. A. Quomodo hoc nihil
negotij eſt? aut quæ ſunt tandẽ iſta maiora? M. Quo
niam ſi poſt mortem nihil eſt mali, ne mors quidem eſt
malum: cui proximũ tempus eſt poſt mortẽ, in quo ni
hil mali eſſe concedis. Ita ne moriendum quidem eſſe,
malum eſt. Id eſt enim, perueniendum eſſe ad id, quod
non eſſe malum confitemur. A. Vberius iſta quęſo.
Hæc enim ſpinoſiora, prius ut confitear me cogunt,
quàm ut aſſentiar. Sed quæ ſunt ea quæ dicis te maio
ra moliri? M. Vt doceam, ſi poſſim, non modo ma
lum nõ eſſe mortem, ſed bonum etiam eſſe. A. Non
poſtulo id quidem, aueo tamen audire. Vt enim non
efficias quod uis, tamen mors ut malum non ſit effi
cies. Sed nihil te interpellabo: cõtinentem orationem
audire malo. M. Quid ſi te rogauero aliquid, non ne
reſpondebis? A. Superbum id quidem eſt. Sed niſi
quid neceſſe erit, malo ne roges. M. Geram tibi mo
rem: & ea quæ uis, ut potero explicabo. nec tamẽ qua
ſi Pythius Apollo, certa ut ſint & fixa quæ dixero, ſed
ut homunculus unus è multis probabilia coniectu
ra ſequens.

ra ſequens. Vltra enim quò progrediar, quàm ut ueri
ſimilia uideam, non habeo. Certa dicent ij, qui & per
cipi ea poſſe dicunt, & ſe ſapientes eſſe profitentur.
A. Tu, ut uidetur: nos ad audiendum parati ſumus.

Hoc loco STIBARVS: Et te nos, inquit, aliquando audiamus, ſi pla
cet. Primum igitur, inquam, explicabo aliquot uoces, quas diſcat anagno
ſta noſter. Excors ſignificat ſtolidum. nam & cordatus, intelligentem. Væ
cordem quidem accipimus, non ſolum fatuum, ſed etiam ignauum. Paulo
pòſt ab acie & obtuſitate, uenuſtæ ſunt translationes: Vbi eſt acumen tuũ.
et, Non ſum tam hebes. ſignificatur enim uis & infirmitas intelligentiæ. Vt
autem in corpore uidendi ſenſus inter reliquos principem locum tenet, quem
admodum ipſa in hac uniuerſitate rerum lux: ita eſt intra nos præſtantiſs.
Mens, quaſi lumen quoddam animæ, ſplendore peculiari refulgens, & caligi
nem retundens, quam offundere ignoratio ſolet. Cum uero nihil ſit luce pene
trabilius, neq; efficacius, ideo aciem oculorum, & obtuſos eoſdem dicere con
ſueuere: quæ & ipſa poſtea ad mentem & intelligentiam animi tranfferun
tur. Portam Capenam ἀπὸ τῶν καπῶν, ἤγουν κασιτῶν, id eſt ſepulchris dictam eſſe,
uerum non arbitror. fortaſſe uerius uideatur, Capenam eſſe quaſi Campe
nam. eandem & Fontinalem fuiſſe perhibetur. fuit autem initium hæc porta
uiæ Appiæ. Dialecticis ne imbutus quidem es: id eſt, ne elementa quidem
Dialectices tenes. nam Grammatica, Dialectica, Rhetorica, in neutro genere
cum dicuntur, præcepta ſignificantur artium illarum. ἀξίωμα nunc Cicero
pronunciatum transfert, in Academicis effatum. Eſt autem perfecta ſenten
tia certæ rei, quæ affirmetur aut negetur. id eſt, πρᾶγμα αὐτοτελὲς ἀπόφαντον,
ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, ἢ κατάφαντον. αὐτοτελὲς ſignificat, quod nihil amplius requirat,
neque aliunde pendeat. Nam & ea quæ Græcis ἐρωτήματα, id eſt cum reſpon
dere poſſumus, ita uel non: & quæ πύσματα, id eſt quæſtiones dicuntur, per
fecte enunciamus, ſed ſpectat reſponſionem abſolutio. ut, Cœpit Carthaginẽ
Scipio? &, Quid eſt mens? Ipſum autem ἀξίωμα, per ſe aliquid aſſerit aut ne
gat, quamuis reuera aſſeri aliquid negari ue non debeat. ut Homo eſt incor
poreum, Nihil uiuit abſque corpore. Apparet factam hãc uocẽ, ἀπὸ τοῦ ἀξιοῦν,
quod cenſere & uelle ſonat. quia aliquis quod uerum falſum ue eſſe uelit,
eloquatur. Hoc autem ipſum, abſque uerbi intellectu fieri nequit. Nunc ui
deo calcem, finem dicit & extremum: ut uerticẽ, pro ſummo poſuere. Epi
charmi ſententia expreſſa uerſu Trochaico καταληκτικῷ, qui & quadrati &
ſeptenarij

septenarij dicuntur. Quem quidem quæramus Græcum, si cubi forte reperire possimus. Epicharmum uero Siculum poëtam Comicum fuisse cõstat, perquàm doctum hominem, à quo etiam multa philosophi sumpserint. Quidam non ciuem Siciliæ, sed colonũ faciunt. Sed illud, Vt Siculi, bifariam uideo accipi posse, ut uel augmentum uel diminutionem laudis habeat. Nam & Cicero, Siculis sales ac facetias tribuit in Verrinis: & de Oratore libro. 2. Et idẽ quædam fatetur nõ perbelle ab ijs dicta: & Atticos non his, sed cæteris omnibus Græcis antecellere in hoc genere ridiculorum & salsorũ dicit. Nota est etiam dos parasitica Atticorũ logorũ, exclusis Siculis tanquam improbis. Hæc enim spinosiora. Spinosas uocat has artificiosas & compositas cõclusiones earum rerum, quæ necessario uidentur consequi ad concessa. & alibi dumeta ac spineta Stoica. Pythius Apollo. Pythij Apollinis appellatio facta est à loco, qui & Delphi. Quod nomen uel à serpente interfecto, qui ibi computruerit, ut Poëtis placet: uel à percontando ducitur. Celeberr. fuit oraculum omnium, itaq; & Barbaris nationibus usum. Vnde quæ certiß. & uerißima intelligi uellent, prouerbiali figura ab Apolline responsa esse dicebant. Plaut. Pseud. Quod sciero, Delphis responsum esse dicito. Cicero etiã Bruto ita: Hæc ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta, nihil potest esse certius. Hæc igitur, inquit STIBARVS, puero. quanquam mihi quoq; quædam. Accede uero & ad rerum tractationem. Fiat, inquam: & ego ibam. In principio ergo huius loci, iocus est Ciceronis, Male Hercle narras: ex eorum genere, qui παρὰ προσδοκίαν dicuntur. Nam cum hæc ita sonẽt, quasi arguatur Attici impietas, significat Cicero dolere sibi ereptam illius confessione contradicendi facultatem abundantem & copiosam, quippe cum in hoc multi ostenderint eloquentiam suam. De axiomate autem quæ dicuntur, eò pertinent, ut intelligatur, Nihil in ullam partem cuiquam rei posse attribui oratione nostra, non illa prius re constituta. Nunc Rem nomino, quæ Græcis est οὐσία. Quicquid enim de quacunque re uel affirmatur, uel negatur, nisi posita ipsa re, cui perspicuũ esse possit quid dicatur? Oportet enim negationes & affirmationes certas esse ad intelligendũ. Hæc dicuntur igitur Græce ἀξιώματα. sed & πρατάσεις, & λήμματα, & ἀρχαί. Ait paulo post Atticus, concedere se, qui mortui sint, eos miseros non esse. Qui si sentit omnia in morte extingui, recte hoc concedit. Sed Ciceroniana sunt hoc loco callidiuscula. Non enim cum homines uulgo sic loquũtur, miserum aliquem esse, qui in flore ætatis, in ampliß. fortunæ quasi primordijs uiuere desierit: illos potius euersos & extinctos, quàm se quisq; spectat: & quod accidere sibi suisq; posse

posse sentit, eo percellitur, cum euenisse alteri cognouit, repræsentata uidelicet communis conditionis miseria. Verißima est enim, causſa mortis moriendum, & amittenda uitæ esse comoda. Quam cum Cicero confutare nequeat, uides primum rem eleuare, ne saltem magnitudine illius prematur. postea affert & confutationem sanè imbecillam, ut dicemus. Quod autem se negat in Latino Græcè loqui solere, memini à quibusdam ineruditis contra studium linguæ illius autoritatem hanc quoq; Ciceronis prætendi. Sed intelligendum, uitari ab illo inculcationem importunam alienæ linguæ, maxime tali in scripto, quod ab omnibus cognosci uellet, etiam ijs qui Græcè nesciunt. Neque enim idem ueritus est, multos uersus Græcos epistolis inserere suis, quarum ad Atticum nulla est non Græcissans. Iudicio igitur etiam hac in parte eruditionis, ut alijs omnibus, opus est, ne quid putidè aut ineptè à nobis fiat. Sequitur illa confutatio metus mortis. breuiter enim concludit, Mortem non esse malum, quia post illam mali nihil sit: propterea quod sit prox. tempus morti illud, quod est post ipsam. Quæ quàm sunt infirma? nã ideo ne est nihil mali in morbo, si in conualescentia etiam bonum sit, quæ proxima est morbo? Quæ etiam ipse uidens, hæc imbecilla magnifica disputatione de animorum immortalitate quasi obduxit. Vtinam autem uerum sit, quod Atticus affirmat, si hanc non effecerit oratione sua, effecturum tamen ut mors malum non sit. Non enim ex eo genere hæc sunt, in quibus si summa non obtineantur, mediocria tamen omnino quædam restare soleant. ut cum dicitur, Qui diligentẽ & sedulam operã literis dederint, eos si nõ excellentes, tamẽ nõ postremos futuros inter doctos. Hoc igitur amisso, Animos uiuere post mortem, necessario subit, formidabilem esse illam, qua pereant animi: id est, nos ipsi, quanti & quicquid simus, extinguamur. Sed quod ait, se probabilia sequi uelle, Academicæ philosophandi rationis est proprium, quæ inprimis Ciceroni placuit. Hæc est disputationum in utranque partem de re proposita, qua maxime quid uerisimile esset, planum futurum illi esse crederet. à quibus & κατάληψις exclusa est, constituta à Stoicis, & ita dicta à comprehensione eorum, quæ manibus teneri possent. Sed nunc rursum Ciceronem audiamus. Ego enim quid amplius dicã, habeo nihil. Nutu igitur STIBARI monitus puer, lectionem est ad hunc modum prosecutus.

Mors igitur ipsa, quæ uidetur notiss. res esse, quid sit primum est uidendum. Sunt enim, qui discessum animæ à corpore putent esse mortem. Sunt qui nullum

censeant fieri discessum, sed unà animum & corpus occidere, animumq; cum corpore extingui. Qui discedere animum censent, alij statim dissipari, alij diu permanere, alij semper. Quid sit porrò ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissensio est. Alijs cor ipsum animus uidetur, ex quo excordes, uecordes, concordesq; dicuntur: et Nasica ille prudens, bis Cos. Corculum appellatus, &,

Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus.

Empedocles autem animum esse censet, cordi suffusum sanguinem. Alijs pars quædam cerebri uisa est animi principatum tenere. Alijs nec cor ipsum placet, nec cerebri quandam partem esse animum: sed alij in corde, alij in cerebro dixerunt animi esse sedem & locum. Animum autem, animam etiam ferè nostri declarant nominari, nam & Agere animam, & Efflare dicimus, & Animosos, & bene animatos, & ex animi sententia. Ipse autem animus, ab anima dictus est. Zenoni Stoico animus ignis uidetur. Sed hæc quidem, quæ dixi, cor, cerebrum, animam, ignem, uulgò: reliqua ferè singuli, ut multi ante ueteres. Proxime aũt Aristoxenus Musicus, idemq; philosophus, ipsius corporis intentionẽ quandam, uelut in cantu et fidibus, quæ harmonia dicitur: sic ex corporis totius natura & figura uarios modos cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit: & tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multo antè & dictum & explanatum à Platone. Xenocrates animi figuram, & quasi corpus, negauit esse, uerum numerum dixit esse, cuius uis, ut iam antè Pythagoræ uisum erat, natura maxima esset. Eius doctor Plato triplicem finxit animam: cuius principatum, id est rationem,

nem in capite, sicut in arce posuit, & duas partes separare uoluit, iram & cupiditatem. quas locis suis disclusit: iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locauit. Dicæarchus autem in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo Libro multos loquentes facit: duobus Pherecratem quendam Phthiotam senẽ, quem ait à Deucalione ortum, differentem inducit, Nihil esse omnino animum: & hoc esse nomen totum inane, frustraq; & animalia & animantes appellari, neque in homine inesse animum uel animam, nec in bestia: uimq; omnem eam, qua uel agamus quid, uel sentiamus, in omnibus corporibus uiuis æquabiliter esse fusam, nec separabilem à corpore esse: quippe quę nulla sit, nec sit quicq; nisi corpus unum & simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ uigeat & sentiat. Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio & diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur: quintam quandam naturã censet esse, è qua sit mens. Cogitare enim, & prouidere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tã multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari: hæc & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet uacans nomine, & sic ipsum animum Entelechiam appellat nouo nomine, quasi quandam continuatã motionem & perennem. Nisi quæ me forte fugiunt, hæ sunt ferè omnium de animo sententiæ. Democritũ enim illum, magnum quidem uirum, sed leuibus & rotundis corpusculis efficientem animum, concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil est enim apud il-

lum, quod non atomorum turba conficiat. Harum sententiarum quæ uera sit, Deus aliquis uiderit: quæ uerisimillima, magna quæstio est. Vtrum igitur inter has sententias dijudicare malumus, an ad propositum redire? A. Cuperem quidem utrunque, si posset: sed est difficile confundere. Quare si, ut ista non differãtur, liberari mortis metu possumus, id agamus. Sin id non potest, nisi hac quæstione animorum explicata, nunc si uidetur hoc, illud aliàs. M. Quod male te intelligo, id puto esse cõmodius. Efficit enim ratio, ut quæcunque uera sit earum sententiarum quas exposui, Mors aut malum non sit, aut sit bonum potius. Nam si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus, certe quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore. Si anima est, fortasse dissipabitur: si ignis, extinguetur: si est Aristoxeni harmonia, dissoluetur. Quid de Dicæarcho dicam? qui nihil omnino animũ dicat esse. His sententijs omnibus nihil post mortem pertinere ad quenquam potest, pariter enim cum uita sensus amittitur. Non sentientis autem, nihil est ullam in partem quod interfit. Reliquorum sententiæ spem afferunt, si te forte hoc delectat, posse animos cum è corporibus excesserint, in cœlum quasi in domicilũ suum peruenire. A. Me uero delectat, idq; primum ita esse uelim, deinde etiam si non sit, mihi tamen persuaderi uelim. M. Quid tibi ergo opera nostra opus est? Num eloquentia Platonem superare possumus? Euolue diligenter eius eum librum, qui est de Animo: amplius quod desideres nihil erit. A. Feci hercle, & quidem sæpius. Sed nescio quomodo, dum lego, assentior: cum posui librum, & mecum ipse de animorum immortalitate cœpi cogitare, assensio omnis illa elabi

tur.

tur. M. Quid hoc? Das ne, aut manere animos post mortem, aut morte ipsa interire? A. Do uero. M. Quid si maneant? A. Beatos esse concedo. M. Si intereant? A. Non esse miseros, quoniam ne sint quidem, nam istud coacti à te paulo ante concessimus. M. Quomodo igitur, aut cur mortẽ malum tibi uideri dicis? quæ aut beatos nos efficiet, animis manentibus: aut non miseros, sensu carentes. A. Expone igitur, nisi molestum est, primum si potes, animos remanere post mortẽ: tum si minus id obtinebis (est enim arduum) docebis, carere omni malo mortem. Ego enim istuc ipsum uereor ne malum sit, non dico carere sensu, sed carendum esse.

Hactenus legendo progressus puer, abnutante STIBARO tacuit. Ibi ego: Dicamus de his, inquam, promiscue ut quicque incidet. Ac primũ quàm diligentur constituat, qua de re sit quæstio, nempe de morte. De qua quamuis uariæ opiniones recitentur, tamen duæ contrariæ tantum uidentur esse: interitus, & uitæ animorum. Quarum ipse utranque assumit, quod (ut dicit) utrauis retenta, mors non malum: hac uero posteriore, etiam bonum sit. Ita à definiẽdo proficiscitur ad reliquam disputationem: ut omnium oratio debet, quæ de ijs rebus habetur, quarum rerum uia est & ratio. Sed nunc placita Philosophorum de morte uideamus. Sed qui posuere animos discessione sua à corpore extingui, horum Democritici & Epicurei dissipari & refundi in ignis aeris q; uniuersitatem dixere: Stoici permanere diutißime, Platonici esse sempiternos. Memineris autem, Ciceronem nunc quidem de animo loqui: hoc est mente, & ratione, seu consilio ac intelligentia, quæ pars Græcis principalis dicitur. id est enim νοῦς, & ἡγεμονικόν: & hominis est propria. Cordis autem hanc uim esse, planè Homericum. Et ex tali opinione ac sensu, latinis factæ sunt à corde multæ uoces, quibus intelligentia & uoluntas animi significaretur. Eódem pertinet, quod Plautus ait:

Recordatus multum, & diu cogitaui,
Argumentaq; in pectus multa institui
Ego, atq; in meo corde, si est quod mihi cor,
Eam rem uolutaui.

Et alibi,

Cuiq; ſapiat pectus: nam cor non poteſt quod nulla habet.
Cordis ueram ſapientiam eſſe uult, cum callida & aſtuta conſilia in pectore relinquat. ut & Terentius: Pectore conſiſtere conſilij nihil quit. Partem autem cerebri intelligendum, quod cerebellũ, id eſt ἐγκεφαλίδα et ψυχαλίδα uocarunt: uel ut alij maluerunt, βρέγμα. Ita enim Plautus:

Non ſanum eſſe tibi adoleſcens ſinciput intelligo.

Et apud Horatiũ, Cerebroſius. Empedocleum placitũ eſt, animã, id eſt uitã uim quandã eſſe omniũ rerũ, qua quicq; ſimile intelligatur. Ita illi eſt ignis, aër, tellus, aqua, beneuolentia, odiũ. hæc enim illius ſunt res principales, ſiue elemẽta. Verũ animũ ſanguini tribuit cordis. In corde Stoici poſuere ſedẽ animi: in cerebro Pythagoras, & eum ſecutus Plato. Ignis autem Stoicorum animalis eſt, quod illi πνεῦμα θερμὸν nominarunt. Animum Latini fecere ab anima. unde & Animoſi, id eſt θυμικοὶ: & Agere animam. cum enim excedit illa uis intelligentiæ, quæ proprie appellatur animi uoce, uita ipſa extinguitur. Vbi autem eſt animus, id eſt νοῦς, ibi ſunt aliæ omnes animæ ſiue partes ſeu uires, Animatus cum aduerbio, eo eſſe animo ſignificat, qui notatur aduerbij indicatione. ut, Si aliter ſient animati: & hoc loco, Bene animatos. Vulgares quidem eſſe ait has ſententias de animo, corporeum illum eſſe, ſed incorporeum feciſſe nobiliſſimos philoſophos. Harmoniæ autem animalis explicatio Platonica ita obſcura eſt, ut prouerbio locum dederit, quo aliquid dicitur Numeris Platonicis eſſe obſcurius. Iam animam Latinis ſpiritum & flatum ſonare, uel Virgiliano uerſu ſatis declaratur:

Quantum ignes animæq; ualent.

Itaque à uento, qui Græcis ἄνεμος eſt, Animum ductum uolunt. Cicero autem planè Latinum nomen facit, & ab anima dictum. Plato triplicem animam finxit. quomodo tres partes diſcretas, ideſt οὐσίας: uel uires, id eſt δυνάμεις. Prius quidem Platonicum uidetur eſſe, cui eſt mens immortalis: reliquæ duæ corruptioni obnoxiæ. Subter præcordia locata eſt cupiditas, id eſt ἐπιθυμία, ſiue τὸ ἐπιθυμητικόν. Præcordia ſunt φρένες, id eſt διάφραγμα, ſeu ſeptum tranſuerſum. Infrà igitur ſunt lũbi, ilia, aluus. unde & Elũbes dicuntur molles. et, Rumpantur ut ilia Codro: de inuidia. Et uentrem negat Vlyſſes admittere obliuionem ſui. Horatio etiam eſt Vlceroſum iecur, ſauciũm amore. & Eidem, difficili bile tumet iecur. Phthiotã ſenem, ex patria Phthia, quæ fuit in Hellade, ciuem Achillis. Illa autem in parte Græciæ regnaſſe Deucalionem tradidere. Venio nunc ad Ariſtotelem, quem poſt Platonem maxi-

infrà prordia

ximi fecit Cicero. De cuius ſententia quæ hoc loco retulit, non ſunt accepta ut uidetur ex ijs libris, qui tres hodie extãt de Anima. & ſcripſit idem alios de elementis, & quæſtionum de anima, & Dialogum Eudemum, ſiue de anima: in quibus fortaſſe hæc fuerint. Nam à mentis diſputatione reſilire eum, ubique in illis tribus cernere eſt. Neque eſt ἐντελέχεια nomen quintæ illius ætheriæ naturæ, quam fingit Ariſtoteles eſſe eorum, quæ interire & corrumpi non poſſint, ſed ἀΐδια ſint, cum in his tribus libris animæ naturam ἐντελέχειαν eſſe doceat: quod ipſum nouum nomen uſurpauit illa de re. Sed hæc exquirere nos non oportet, hoc quidem tempore: & ne poſſumus quidem fortaſſe. Hanc tueamur, quam cum alij antea, tum nuper doctiſſimus uir & de literis bonis optimè meritus BVDAEVS repræhendit, conuerſionem Græcæ uocis. non enim ſenſiſſe Ariſtotelem motionẽ, ſed perfectionem. Ac de Ariſtotelis ſententia diſſerere alijs concedamus, qui & melius ſciunt, & conuenientiore in argumento faciant. De qua quidem expecto tamdudum aliquid, propemodum mihi promiſſum. A quo? inquit ille. niſi graue eſt indicare. Ab eo inquam, cui tu ſymbolum donaſti ſententiæ illius, qua latebræ in uita comprobantur. Agnoſco, inquit ille, ac intelligo quem dicas. atque utinam quidem ille maturet. Sed te inſtare oportebat. Non auſim inquam, ita ut ſcis occupato. facturum tamen confido, ut propediem habeamus. Quid autem illos mouerit, ut Ciceronis reijcerẽt hãc interpretationem perennis & continuatæ motionis, non uideo. Certe enim ἐνδελεχὲς, unde appellatio illa cadit, perennitatem & continuationem ſignificat: eaḿ que uegetam & uigentem, quibus motus abeſſe nequit. propterea & Ariſtoteles Phyſicis corporibus attribuit ἐντελέχειαν, & oppoſuit τῇ δυνάμει, ut illius uita & uigor intelligeretur, quorum utrunque in motu eſt. ἐνδελεχὲς dixit Plato cum alibi, tum in Timæo. Et celebratur uerſus prouerbialis,

πέτρην κοιλαίνει ῥαδίης ὕδατος ἐντελεχείη.

Quam ſententiã Ouidius alicubi, & ante illum Lucretius dixit his uerſibus:

Nam leuiter quamuis crebro quod tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpacio tamen, atque labaſcit.
Noń ne uides etiam guttas in ſaxa cadentes,
Humoris longo ſpacio pertundere ſaxum?

Sed diſcrimen aliqui ſcriptionis opponunt. nam in hac ſignificatione ἀ non ſecundam ſyllabam incipere. quod eſt inane. Nihil enim ſignificationis diuerſæ

uersæ mutata litera affert. Sed ut Τ *in aliarum multarum locum, ita literæ* Δ *quoque, hoc in uerbo succeßit. Quod ipsum & Lucianus in iocosa sua accusatione fecit* Σ *contra* Τ *dicere.* Ἐντελέχειαν, *inquit, abstulit literæ* Δ, *& sic efferre postulat contra fas & ius omne. Hoc ipsum explanatio Aristotelicæ sententiæ, si à nobis afferri poßet, nisiq; aliunde mallemus expectare, admodum confirmatura esset, sic se habere ut dixi. Interea tamen, hoc ut spero consequemur, ut quasi ampliato reo, non damnetur hic locus erroris: saltemq; aliquis dicat, non liquere sibi, si accedere nobis nolit. Democriti rotunda & leuia corpora* ἀτόμους *uocat, id est corpora indiuidua: quæ & Epicurei dogmatis sunt, sed hamata et declinantia. Sed nunc transeamus ad reliqua. Ita igitur puer lectionem continuauit.*

Autoribus quidem ad istam sententiam, quam uis obtinere, uti opt. possumus, quod in omnibus caussis & debet et solet ualere plurimum. Et primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu & diuina progenie, eo melius ea fortasse quæ erant uera cernebat. Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum: neque excessu uitæ sic deleri hominem, ut funditus interiret: idq; cum multis alijs rebus, tum in Pontificio iure et ceremonijs sepulcrorum intelligi licet: quas maximis ingenijs præditi, nec tanta cura coluissent, nec uiolatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hęsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atq; delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemq; uitæ, quę in claris uiris & feminis dux in cœlum soleret esse: in cæteris humi retineret, & permaneret tamen. Ex hac & nostrorum opinione,

Romulus in cœlo cum Dis agit æuum:

ut famæ assentiens dixit Ennius, & apud Græcos, indeq; prolapsus ad nos, & usque ad Oceanum, Hercules tantus & tam præsens habetur deus. Hinc Liber de Semela

de Semela natus: eademq; famæ celebritate Tindaridæ fratres, qui non modo adiutores in prælijs uictorię po. Ro. sed etiam nũcij fuisse perhibentur. Quid Ino Cadmi filia? non'ne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris? Quid totũ propè cœlum, ne plures persequar, non'ne humano genere completum est? Si uero scrutari uetera, & ex ijs ea quæ scriptores Græciæ prodiderunt eruere coner, ipsi illi maiorũ gentium Dij qui habentur, hinc à nobis profecti in cœlum reperientur. Quære quorum demonstrantur sepulcra in Græcia: reminiscere, quoniam es initiatus, quæ traduntur mysterijs: tum denique quam hoc latè pateat intelliges. Sed qui nondum ea quæ multis pòst annis tractari cœpissent, physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admonente cognouerant, rationes & caussas rerum non tenebant. Visis quibusdam sępe mouebantur, hisq; maximè nocturnis, ut uiderentur ij qui uita excesserant uiuere. Vt porrò hoc firmissimum afferri uidetur, cur Deos esse credamus: quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorũ opinio. Multi de Dijs praua sentiunt, id enim uitioso more effici solet: omnes tamen, esse uim & naturam diuinã arbitrantur. Nec uero id collocutio hominũ aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omniũ gentium lex naturę putanda est. Quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos uitæ comodis arbitretur? Tolle hanc opinionem, luctum sustuleris. Nemo enim mœret suo incommodo. Dolent fortasse, & anguntur: sed illa lugubris lamentatio, fletusq; mœrens ex eo est, quod eum quem

dileximus, uitæ cõmodis priuatum arbitramur, idq; sentire. Atque hæc ita sentimus natura duce, nulla ratione, nullaq; doctrina. Maximum uero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curæ sunt, & maxime quidem quæ post mortem futura sunt. Serit arbores, quæ alteri sæculo prosint, ut ait Statius in Synephebis: quid spectans, nisi etiam postera sæcula ad se pertinere? Ergo arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet baccam ipse nunquam. Vir magnus leges, instituta, rempub. conserit. Quid procreatio liberorum? quid propagatio nominis? quid adoptiones filiorum? quid testamentorum diligentia? quid ipsa sepulchrorum monumenta? quid elogia significant? nisi nos futura etiam cogitare? Quid illud, num dubitas quin specimen naturæ capi deceat ex optima quaq; natura? Quæ est igitur melior in hominum genere natura, quàm eorum qui se natos ad homines iuuãdos, tutandos, conseruandos arbitrantur? Abijt ad Deos Hercules: nunquam abijsset, nisi, cum inter homines esset, eam sibi uiam muniuisset. Vetera iam ista, & religione omnium consecrata. Quid in hac rep. tot tantosq; uiros ob remp. interfectos, cogitasse arbitramur? ijsdem ne ut finibus nomen suum, quibus uita terminaretur? Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondæ: licuit, ne uetera & externa quærã, mihi. Sed nescio quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum: id que in maximis ingenijs, altissimisque animis & existit maxime, & apparet facillime. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus

laboribus & periculis uiueret? Loquor de Principibus. Quid poëtæ? non ne post mortem nobilitari uolunt: Vnde ergo illud?

Aspicite ô ciues senis Ennij imaginis formam,
Hic uestrûm pinxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriæ flagitat ab ijs, quorum patres afferebat gloria. Idemq;:

Nemo me lachrymis decoret, neq; funera fletu
Faxit, qui uolito docta per ora uirûm.

Sed quid poetas? opifices post mortem nobilitari uolunt. Quid enim Phidias sui simílem speciem inclusit in clypeo Mineruæ, cum inscribere non liceret? Quid uestri Philosophi, non ne in his ipsis libris, quos scribunt de cõtemnenda gloria, sua nomina inscribunt? Quod si omnium consensus naturæ uox est, omnesq; qui ubique sunt consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat qui è uita cesserint, nobis quoq; idem existimandum est. Et si quorum aut ingenio aut uirtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optimi sunt, cernere naturæ uim: maxime ueri simile est, cum optimus quisque maximè posteritati seruiat, esse aliquid cuius is post mortem sensum sit habiturus.

His recitatis: Per, inquit STIBARVS, longa lectio fuit. Tibiq; uideo non promiscue, sed ordine, & quidem ab initio resumtum hunc locum enarrandum esse. Ita fiat, inquam. sic enim certius ego exequi omnia, tu singulorum melius meminisse poteris. Quis autem nescit, quantum in testimonijs autoritati dicentium tribui soleat? probat igitur immortalitatem animorum, primum autoritate antiquitatis. Secundo, naturali quodam iudicio ac sententia. Tertio, ratiocinatione: quod uerum putandum id sit, quod optimo cuique uerum esse uideatur. Quod autem dixit, Quæ quo propius aberat: nihil est aliud, quàm quo minus longe. Est autem planè admirabilis quædam quasi lux ueritatis in simplicitate scriptorum ueterum, & recentiora quæq; tanquam leuiora & uaniora esse comperimus. Itaque quoties Herodoti historiam lego, lego autem studiosissime, diligẽter soleo notare sententias illius,

Herodot.

de Deo, religione, fato, prouidentia numinis: quæ grauissimæ sunt etiam in fabellis huius autoris. cuius ego quidem, ut aliqui uolunt, fabulas pluris perdo, quàm multorum serias asseuerationes. Cascos, antiquos Ennius dixit: & prouerbium Latinum, Cascus cascam. Vocem autem à Sabinis ad Oscos defluxisse, Varro tradit. Sanxissent religione: Intelligendum, uiolati sepulcri expiari religionem non posse, legibus fuisse constitutum. Vt pœna intelligatur uiolationis, inexpiabilis religio. Ita & capite sanxisse perpaucas res XII tabulas: & Honoris cupiditas ignominia sanciatur, alibi ait. & Vitam claros in cœlum ducere, retinere alios humi, non tamen interire, à Cicerone dici intelligere te arbitror. Intelligo, inquit. Nunc igitur humanorũ Deorum historiam explica- Romulus igitur, & Hercules, cũ Libero & Tindaridis, notos tibi esse scio, ut uulgata omnium scriptis nomina. Nunciam autem diuinum uictoriæ perhibetur illius fuisse, qua superatus & captus fuit à Paulo Aemylio Persa rex Macedoniæ. Quod ipsum uerisimile fit, à Græcis (ut alia plæraque) translatum esse. Nam & cuiusdam Locrensium uictoriæ ad Sagram nuncium, per Tyndaridas accelcratum tradidere. unde & prouerbium natũ, ἀληθέστερα τῶν Ἐπιζεφυρίων. primum enim nõ creditum fuerat. Talis uidetur & illa mutatio tercentorum Lacedæmoniorum ac Argiuorum, in Trigeminos Horatios & Curiatios. et in hortos papaueris Thrasybuli dictus Tarquinius: & uerbera Zopyri, ad Sextum Tarquinium detorta.

Ino autem Homerica est Odysseæ ι.

Hunc niueis Cadmi conspexit filia talis,
Ino Leucothea. hæc mortalis corpore quondam
Humano fuerat, sed aquæ tum diua marinæ.

Matutinũ.

Leucotheam quidem Matutam à candore dixerunt Latini: de qua uoce et matutinum tempus, cum aurora proferre se incipit, nominatur.

Et Ouidius: Leucothee Graijs, Matuta uocabere nostris.

Dij maiorũ gẽtiũ.

Maiorum gentium Deos, primores illos ætate & cultu dixit: quorum respectu posterius Deorum numero ascripti, quasi minorum gentiũ Dij haberi possint. Græci autem, & illos secuti Latini, duodecim primores Deos: hos numerarunt, quos Ennius duobus uersibus inclusit.

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Herodotus Aegyptios octo priores, posteriores duodecim deos fecisse scribit libro secundo. Quod sequitur: Quære quorum demonst. etiam inuenio ita scriptum, Quæ quorum demonst. non sanè, ut mihi quidem uidetur, inconuenienter.

inconuenienter. Vt autem de alijs taceamus: Iouis certe sepulchrum Cretenses ostendere solitos, & ob hanc etiam caussam mendacio infames fuisse accepimus. Etsi aliqui fuisse inscriptionẽ hanc tradidere, ΜΙΝΩΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ: & uetustate obliterato primo nomine, remansisse ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ. Aliqui Picum fuisse quendam, potentem, & dominum totius Occidentis, qui Iuppiter cognominaretur. hunc, cum uixisset annis CXX. tradito regno filio suo Mercurio, mãdasse corpus suum humari in insula Creta. Quod & factum, & ita inscriptum esse in monumento, ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΘΑΝΩΝ ΠΙΚΟΣ Ο ΖΕΥΣ. Mysteria autem, in Græcia arcana quædam sacra erant, quibus initiati certiora de diuinis rebus tenere putabãtur, quàm uulgo sciri utile esset. itaque mysteria enunciare capite sancitum fuit. Præcipua, Eleusinia Cereris, & in Samothracia, sed & alia alibi fuere. Confirmat dicit deinceps hanc opinionem, remanentis uitæ apud imperitos, non ratione, sed uisis quibusdam, quæ φαντάσματα dicuntur. Sequitur testimonium consensus omnium, de immortalitate animorum. quod recitat primum comparatione firmatum. Maximum enim argumentum dicit esse, quod Dij sint, quia nemo non esse sentiat. similiter & maximè probari immortalitatem animorum, consensione de hac omnium. Deinde naturali cura, & respectu posteritatis. Est autem, ut dicit, hoc certe luctuosum, quod homines uerẽtur male esse suis post mortem. Ita enim sentiunt. Et quanquam augeat dolorem amissa aliqua alterius morte cõmoditas uitæ: tamen in plæris q; hæc tantum non posset, quin si perspectum haberent, ad meliora concessisse eos quos in uita dilexissent, lætarentur, non mœrerent. Quis autem nescit antiquiss. hãc esse opinionem miseriæ mortis? Nam & hæc innumerabiles sententias contra interitum sapientiss. uiris Poëtis expressit: & horum patefactaque princeps Homerus, Achillem fortiss. heroa introducit, cum illa humili, ut uidetur, oratione. dicit enim, se malle alicui in terris egenti domino & inopi seruire, quam Imperatorem esse omnium apud Orcum mortuorum. Hoc quidem loco memoria dignum est, quod dicitur: Omni in re consensionem omnium gentium legem naturæ putandam. Lex enim naturæ quædam, seu præscriptio earum est rerum, quas res faciendas fugiendas q; omnes peræque existimant. Itaque cultus uirtutis, & fuga uitiorum, & illarum præmia, horũ pœnæ naturæ sunt, non opinionis. Talia dicit Cicero esse & numinis & animorum naturalia iudicia. Quomodo igitur, inquit STIBARVS, hoc dicitur? An est idem naturæ ius & gentium? quod sanè diuersum esse perhibetur à Iurisconsultis. Scio, inquam, STIBARE: & sæpe opto, fuisse illos inter

Mysteria

horũ

initia maxime, attentione maiore. Nam omnino negari non potest, naturæ esse ius hoc ipsum quod gentium dicunt: sed intelligendum tamen, naturæ humanæ. Intelligitur enim quiddam certum & fixum, non rogatione, neq; suffragijs comprobatũ, atq; in æs incisum: sed promulgatione diuinitus, et perlatum omniũ assensu naturali. ut hoc ius cœpisse nobis fatendum sit, unà cũ humano genere. Nihil enim est aliud, quàm dictatum rationis & mentis, quæ peculiaris est hominũ natura. Non igitur uisum mihi hoc luculẽte in uestris libris STIBARE dici, Gentes humanas hoc sibi ius constituisse: cũ sit natũ non excogitatum: seseq; ultro protulerit, non repertum prudentia nostra: sed ipsum fons & origo ueritatis, prudentiæ, iusticiæ, denique omnium uirtutum. Neque est omnino aliud, quàm administratio quædã, seu πολιτικὰ naturæ, officia dicere solemus. Cuiuscunque enim rei, cur facta aut præterita sit, ratio reddi potest, recte & iure factam pronunciandum. Vides iudicare eam naturam, quæ dicitur λόγος: & est in hominibus φύσει, non acquiritur aliquo studio ac labore. ¶ Reprehendis igitur illam constitutionem huius iuris, inquit, quæ est à nostris tradita? Si simpliciter ita accipiatur, reprehendo, inquam. Sed cõmode interpretari etiam solco, de excultione iuris sapientum hominum, præceptis morum ac uitæ. Quo quidem pacto adimitur hæc pars uobis, & redit quasi postliminio ad suos, ciuitatemq; recipit philosophicam. Etiam tu, inquit, iuris uerba usurpas. Sed si uidetur, hoc agamus. nescio enim qui fiat, ut hæc illis meis planè proprijs studijs magnopere antcponam. Agamus, inquam. Atque hanc ratiocinationem uidelicet. Quæ natura quaruncunque rerum optima, ex ea de ueritate in eo genere sententiarum atque actionum iudicandum. Hoc ne ita esse positum pateris?

Non enim uideo, inquit, quo refellam. Nam nisi faceres, inquam, Platonicis inductionibus uti poteram. Optimo agricolæ de cultu soli, optimo gubernatori in re nautica, optimo architecto de ædificijs maxime fidem haberi. item ex generosiß. equis, & sagaciß. canib. de utriusque animantis natura existimandum. Sed nunc ut uideo nihil est necesse. Sequitur hoc ergo sumptum propositio: Optimam esse naturam hominum eorum, quibus suum genus maximæ sit curæ. Ergo horum est præcipua ueritas et rectitudo, cum dictorum, tum factorum. Tum STIBARVS: Non igitur, inquit, omnium est eadem atque una natura, qui hoc nomine uocantur, & homines dicuntur: Aut alia est bonorum, alia deteriorum putanda? Vbi illa ergo generis & nominis coniunctio, & unitas? Rem quæris, inquam, STIBARE dignam cu-

¶ Cicero tamen in diuisione iuris q̃ est in partitionibus, haud uidetur populariter et minùs exquisitam distinctionem usurpare uidetur et ipse, ut uis naturæ et gentium distinguat. Ius. n. gentium sponsionem legis fecit, ut uis uocabulo ibi pro iure constituto ab homine, q̃ à Deo natura, uti uideat. Hor. naturali ibi opponit. Ius auũ gentiũ et iũs ciuile distinguit in ff. lib. III

ratud, & nequaquam uulgarem. Primum autem scire debes, naturæ uocabulum non idem significare in utroq; hoc loco. priore enim generalem, & in qua confusæ intelligantur omnes proprietates, rem significat, atq; (si ita loqui licet) essentiam. posteriore uero, distinctam sub illa proprietatibus suis substantiam. Sed has etiam ipsas non magis inter se, quàm sui similes esse censes oportere. Quod est uerum. quatenus enim illa generali natura omnes subiectæ & distinctæ quibusdam proprietatibus atque notis comprehenduntur, usq; eo nihil discriminis interuenit, ut unius descriptione intelligantur uniuersæ. Qui enim hominem dixit animalẽ & ratione præditum, non magis Socratem quàm Phalarin, Germanũ quàm Aethiopẽ, Achillem quàm Helenam dixit. Sed cum ad singulares illas proprietates & notas descenditur, magna iam lateq; patens differentia sese aperit. Quid enim Socrate mitius, crudelius Phalaride? quid Germano candidius, nigrius Aethiope? quid fortius Achille, Helena mollius? Atque differentiæ per omnes diffunduntur non horum modo, sed & aliorum discriminum. Similiter & boni alij, alij mali. Mentis enim culturam multi negligunt, & cupiditatibus indulgent. Etsi autem in animo uirtutum omnium semina diuinitus insunt, tamen nisi rigata cultá que ab illo animali, quod ex corpore & animo ratione præditto compositum est, fructum afferunt nunquam. Hæc autem & ipsa prorsus cultura atque cura non tam est uoluntatis & propositi uniuscuiusque, quàm diuini beneficij: ut planè, nisi cui in hoc labore fortunam aspirauerit Deus, aut molestiæ fuga, aut defatigatione, aut quasi calamitate alia oppressus, frugem uirtutis gustare non possit. Vnde & Plato negat esse quenquam sua sponte improbum: & admirabiles uiros, Diuinos ac Dijs similes Homerus frequentiß. cognominat. Sed hanc nobis disputationem uitandã censeo. abducit enim in mæandros quosdam insuperabiles. Vnum quidem hominem ita alterius esse dissimilem constat, ut nulla nisi generis congruentia reperiatur. Ergo ut maior est unus altero, ut tenerior, ita & melior. optimi autem iudicandi, qui ueram rectam que rationem, mentem, intelligentia ea bonitate perfecerint, cuius conditio generis capax esse uideatur. Hoc nisi sequentes ipsam generis naturam, nemo consequi possit: sed hanc ducem nactos nihil prohibet, si proposito Deus faueat, maxima uirtute & præstantia suam singularem naturam absoluere atque concludere. Opinor te intelligere quid dicam: etsi de industria fui brevior, tanquam in aliena disputatione. Sanè intelligo, nisi fallor. Per-

ge igitur: inquit. Reliqua huius loci percurram, inquam. nihil est enim quod nos moretur, nisi expositiones historiarum inculcare uelim, quæ tibi sunt notissimæ. In uersu autem Enniano placuit mihi, Formam scribere: et Vrnã, ab imperito aliquo antiquitatis suppositã suspicor. et Paulo post, Quo uolito: alibi scio inueniri ita, Cur uolito. Cui scripturæ uix ausim, si quis urgeat, refragari. Quare concludamus iam & nos cum Cicerone hunc locum. Vides enim qua arte, quàm breuiter repetat præcipua argumenta superiora, consensus uniuersorum atque iudicij optimorũ. Video, inquit STATIVS BARVS. & simul innuit puero, ut pergeret legendo. Tum ille hæc subiunxit.

Sed ut Deos esse natura opinamur, qualesq; sint ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur, consensu nationum omnium, qua in sede maneant, quales sint, ratione discendum est. Cuius ignoratio finxit inferos, easq; formidines, quas tu contemnere non sine caussa uidebare. In terram enim cadentibus corporibus, hisq; humo tectis, ex quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam uitam agi mortuorum, quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt, quos auxerunt poetæ. Frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculæ & pueri, mouetur, audiens tam grande carmen:

Assum, atq; aduenio Acherunte, uix uia alta atq;
ardua,
Per speluncas saxis structas, asperis, pendẽtibus

Maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferûm. Tantumq; ualuit error, qui mihi quidem iam sublatus uidetur, ut corpora cremata cum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi. Animos enim per se ipsos uiuentis non poterant mente complecti, formam aliquam figuramq; quærebant. Inde Homeri tota νεκυια. Inde ea, quam meus amicus Appius νεκρομαντεία facie

bat. Inde in uicinia nostra Auerni lacus, unde animæ excitantur, obscura umbra aperto ostio alti Acherontis, falso sanguine imagines mortuorum. Has tamen imagines loqui uolunt: quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium laterum´ue & pulmonũ ui et figura potest. Nihil enim animo uidere poterant, ad oculos omnia referebant. Magni autẽ est ingenij, reuocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere. Itaque credo equidem etiam alios tot sæculis disputasse de animis: sed quod literis extet, probo. Pherecydes Syrius primum dixit animos hominum esse sempiternos: antiquus sanè, fuit enim meo regnante gentili. Hanc opinionem discipulus eius Pythagoras maxime confirmauit, qui cum regnante Tarquinio Superbo in Italiam uenisset, tenuit magnam illam Græciam cum honore & disciplina, tum etiam autoritate. Et multa q; sæcula postea sic uiguit Pythagoreorum nomẽ, ut nulli alij docti uiderentur. Sed redeo ad antiquos. Rationẽ illi sententiæ suæ nõ ferè reddebant, nisi quod erat numeris aut descriptionibus explicandum. Platonem ferũt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam uenisse, & in ea cum alios multos, tum Archytam Timæum´que cognouisse, & didicisse Pythagorea omnia: primum´que de animorum æternitate non solum sensisse idem quod Pythagoras, sed rationem etiam attulisse, quam, nisi quid dicis, prætermittamus, & hanc totam spem immortalitatis relinquamus. A. An tu, cum me in summam expectationem adduxeris, deseris? Errare mehercle malo cum Platone, quem tu quanti facias scio, & quem ex tuo ore admiror: quàm cum istis uera sentire.

Placet, inquit STIBARVS, his lectis, aliquid nos docere? nam multa requiro. Superstitiosam fortasse artem aliquam, STIBARE, inquam. Apage uero, inquit. Iam nihil præstigias moror. Sed tuam artem cognoscere cupio. Sequitur igitur, inquam, disputatio de natura animi, qua constituta immortalitas ipsius intelligatur. Qua de re ut in caussa dubia ac difficili, quamuis plurima undique conquirat, quibus illa probetur, tamen Platonica potiss. tractauit atque assumsit. De humatione audiamus leges Ciceronis, » ubi sic dicitur: Et quod nunc in omnibus sepultis penitus humati dicantur, il» lud erat proprium tum in ijs quos humus iniecta contegeret, eumq; morem » ius Pontificale confirmat. Nam priusquam in eos coniecta gleba est, locus il» le ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tumulis, & » humatus est, & gleba uocatur, ac tum demum multa religiosa iura complectitur. Tragicũ autem illud carmẽ cuiuscunque tandem Poëtæ, uersuum est Trochaicorum καταληκτικῶν. translatumq; uidetur de hoc Euripidis,

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας
Λιπὼν, ἵν' ἄδης χωρὶς ᾤκισαι θεῶν.

Νεκύια Homerica, id est illa mortuorum fabula, est in Odyßeæ λ'. Postea inuenio ita alicubi scriptum: Ea quæ meus amicus Ap. νεκρομάντεια faciebat. Atque ita sanè fuerit paulo aptius. & similiter ψυχομάντεια pluraliter dixit, in fine primi libri de Diuinatione. nisi quis malit, Faciebat νεκρομαντεία. Hæc uox significat uaticinationem, ut ita dicam, mortualem, euocatis umbris defunctorum hominum uita. Quæ apud Auernum geri solita, etiam Maro docet, cuius Aeneas illa uia ad inferos descendit. Auernum dixere Latini, secuti Græcos, quibus esset ἄορνος, quod halitu euaporato superuolantes aues necarentur. Pherecydes Syrius, ex insula Syro, una de numero Cycladũ, quem autorem uolunt esse scriptorum oratione soluta. hunc ea ætate uixisse Cicero, qua Seruium Tullium, tradit. Græci perhibent, natũ Olympiade XLV. ita incidet in ætatem septem Sapientum Græciæ. Refellitur autem his uulgatorum Chronicorum fides, quibus ille floruisse annotatur regnante in Persis Artaxerxe, Xerxis F. Numeros ac descriptiones, Arithmeticas & Geometricas demonstrationes dicit. His dictis, puer reliqua executurus sua lectione, hæc addidit:

M. Macte uirtute. ego enim ipse cum eodem ipso non inuitus errauerim. Num igitur dubitamus? an sicut plæraq;, sic & hoc? quanquam hoc quidem minime.

me. Persuadent enim Mathematici, terram in medio mundo sitam, ad uniuersi cœli complexum quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi uocant. Eam porrò naturam esse quatuor omnia gignentium corporum, ut quasi partita habeant inter se & diuisa momẽta, ut terrena & humida suopte nutu & suo pondere ad pares angulos in terram & in mare ferantur. Reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis, ut illæ superiores in medium locum mundi grauitate ferãtur, & pondere: sic hæ sursum rectis lineis in cœlestem locum subuolent, siue ipsa natura superiora appetente, siue quod à grauioribus leuiora pellantur. Quæ cum constent, perspicuum debet esse, animos cum è corpore excesserint, siue illi sint animales, id est spirabiles, siue ignei, in sublime ferri. Si uero aut numerus quidam sit animus, quod subtiliter magis quàm dilucide dicitur, aut quinta illa non nominata magis quàm non intellecta natura, multo etiã integriora ac puriora sunt, ut à terra longissime se efferant. Horum igitur aliquid animus est. Nec tam uegeta mens aut in corde cerebro´ue, aut in Empedocleo sanguine demersa iacet. Dicæarchum uero cum Aristoxeno æquali & condiscipulo suo, doctos sanè homines, omittamus: quorũ alter ne condoluisse quidem unquam uidetur, qui animum se habere non sentiat: alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad hæc transferre conetur. Harmoniam autem ex interuallis sonorum nosse possumus, quorum uaria compositio harmonias etiam efficit plures. Membrorum uero situs, & figura corporis uacans animo, quam possit harmoniam efficere non uideo. Sed hic quidem quamuis eruditus sit, sicut est, hæc magistro concedat Aristoteli, canere ipse doceat,

callide

ceat. Bene enim illo Græcorum prouerbio præcipitur, QVAM QVISQVE NORIT ARTEM, IN HAC SE EXCERCEAT. Illam uero funditus eiiciamus indiuiduorum corporum leuium & rotundorum concursionem fortuitam, quam tamen Democritus concalfactam & spirabilem, id est animalem esse uoluit. Is autem animus, qui si est horum quatuor generum, ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammata anima constat, ut potiss. uidetur Panætio, superiora capessat necesse est. Nihil enim habent hæc duo genera proni, & supera semper petunt. Ita id euenit, siue dissipantur procul à terris, siue permanent & conseruant habitum suum, per hæc etiam magis necesse est ferantur ad cœlum, & ab his perrumpatur & diuidatur crassus hic & concretus aër, qui est terræ proximus. Calidior est enim, uel potius ardentior animus, quàm est hic aër, quẽ modo dixi crassum atq; cõcretũ. quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra terreno principiorum genere confecta, ardore animi concalescunt. Accedit, ut eo facilius animus euadat ex hoc aëre, quem sæpe iam appello crassum: eumq; prorumpat. quod nihil est animo uelocius, nulla est celeritas quæ possit cum animi celeritate contendere. Qui si permanet incorruptus, suiq; similis, necesse est ita feratur, ut penetret & diuidat omne cœlũ hoc, in quo nubes, imbres, uentiq; coguntur, quod & humidum & caliginosum est propter exhalationes terræ. Quam regionem cum superauit animus, naturam´que sui similem contigit, & agnouit, uinctus ex anima tenui, & ex ardore solis temperato ignibus insistit, & finem altius se efferendi facit. Cum enim sui similem et leuitatem & calorem adeptus est, tanquam paribus examinatus ponderi-

bus nullam in partem mouetur. Eaq; ei demum naturalis est sedes, cum ad sui similem penetrauit: in quo nulla re egens aletur & sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur & aluntur. Cumq; corporis facibus inflammari soleamus ad omnes ferè cupiditates, eoq; magis incendi, quod his æmulemur qui ea habent quæ nos habere cupimus, profecto tunc erimus beati, cum corporibus relictis & cupiditatum & æmulationum erimus expertes. Quodq; nunc facimus, cũ laxati curis sumus, ut spectare aliquid uelimus & uisere: id multo tum faciemus liberius, totosq; nos in contemplandis rebus perspiciendisq; ponemus. propterea quod & natura inest mentibus nostris, insatiabilis quædam cupiditas ueri uisendi: & oræ ipsę locorum illorum, quò peruenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum cœlestium, eo maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. Hæc enim pulchritudo etiam in terris patriam illam, & auitam (ut ait Theophrastus) philosophiam cognitionis cupiditate incensam excitauit. præcipue uero fruentur ea, qui tum etiam cum has terras incolentes circunfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant. Etenim si nunc aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti uiderunt, & eas angustias per quas penetrauit, ea quæ est nominata Argo,

Quia Argiui in ea delecti uiri
Vecti petebant pellem inauratam arietis.

Authi, qui Oceani freta illa uiderunt,

Europam Libyamq; rapax ubi diuidit unda:

Quod tandem spectaculum fore putamus, cum totam terram contueri licebit, eiusq; cum situm, formã, circumscriptionem, tum & habitabiles regiones, &

rursum omni cultu propter uim frigoris aut caloris uacantes? Nos enim ne nũc quidem oculis cernimus ea, quæ uidemus: neque est ullus sensus in corpore. Sed ut non solum Physici docent, uerumetiam Medici, qui ista aperta & patefacta uiderunt, uiæ quasi quędam sunt ad oculos, ad naris, ad aures, à sede animi perforatę. Itaque sæpe aut cogitatione, aut aliqua ui morbi impediti, apertis atque integris & oculis & auribus, nec uidemus nec audimus: ut facile intelligi possit, animum & uidere & audire: non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat, & assit. Quid? quod eadem mente res dissimillimas comprehendimus: ut colorẽ, saporem, calorem, odorẽ, sonũ, quæ nunquã quinq; nuncijs animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, & is omnium iudex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora & dilucidiora cernentur, cum quò natura fert, liber animus peruenerit. Nam nunc quidem, quanquam foramina illa quæ patent ad animum à corpore callidiss. artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisq; corporibus sunt interspecta quodammodo. Cum autẽ nihil erit prẽter animum, nulla res obiecta impediet, quominus percipiat quale quicque sit. Quamuis copiose hęc diceremus, si res postularet, quàm multa, quàm uaria, quanta spectacula animus in locis cœlestibus esset habiturus.

Hoc loco fine facto lectionis, tum ego suscipiens: Primum hanc uocem ex earum numero, quæ Interiectiones dicuntur, intelligendum significationem habere applausus, quasi bene gesta re: ut,

Macte noua uirtute puer.

Aut admirationis atq; incitationis: ut apud Liuium, Macte uirtute hac pietate in patrem patriamq; T. Manli esto. Dicitur & Macte animo, & apud eundem

dem Liuium, lib. secundo: Iuberem macte uirtute esse, si pro mea patria hæc uirtus staret. Sequuntur rationes immortalitatis animorum, quæ tamen ipsæ (quamuis hoc dictu sit durum, ac propter autoris excellentiam incredibile) non esse firmæ possunt. Cum enim abducat animum ad immortalitatẽ suam à corporibus, & planè corpus esse neget, cum omnia corpora sensibus subiecta & interitui obnoxia sint, incidit temere Cicero noster in Stoicã hoc loco sententiam, quàm mox refellit, nunc planè tuetur. Atque hoc paclo longam quidem, & fortasse plurimorum sæculorum uitam animi demonstrari posit, sempiternos esse non posit. Nam & mundum ipsum, similibus ductis argumentis, Stoici interiturum aliquando, deficientem & quasi effœtum senecta, collegerunt. Hoc enim Stoicum certe est, Animum esse igneum aërem. quod quidem nõ solum corporeum hunc, sed planè compositum efficit. Compositorum autem dissolutionem aliquando futuram, unum est ex euidentissimis, nisi Platonica uincula aliquis impedire patiatur iudicium suũ. Elementa certe prima esse corpora, uel naturas quasdam, quibus hic uniuersus mundus perfectus sit, nemo ignorat Aristotelica doctrina traditum esse. Non autem terræ tantum atque aquæ & nebulosi aëris, quæ tangi manibus soleant, putandum corpus: sed etiam sublimia & pura ac sincera illa atque cœlestia corpora, fatendum nihilominus corpora esse. Verum de his quid differat, inspiciamus. Cum præsertim hinc, ut de certis ac demonstratis, non dubijs, neque ambiguis, de quibus uc Academico quodam more in utranq; partem disputari posit, causam immortalis animæ probaturum se profiteatur. Græca quidem uox τοῦ κέντρου, significat planè quod στιγμὴν, Latini illam reddidere puncti nomine. Mathematicis corpus est minimum, & diuisionis sectionisq; expers. hoc animo & ratione constitui necesse est, ut alia quoq; mathematica corpora. Complexũ autem cœli dixit, ambitũ orbis, quæ est περιφέρεια Græcis: linea circuli, unde rectæ lineæ in centrum ductæ omnes inter se æquales sunt. Facile igitur est cuiuis etiam ἀγεωμέτρητῳ cognitu, quod hoc loco dicitur. Si in centrum enim, hoc est medium punctum circuli, undecunq; superne decidat pondus, natura sua perpendiculariter deferri necesse est, ita ut si per centrum linea transuersa ducatur, dispescens circulum, & respondens ad perpendiculum ponderis decidentis, excipere illud nisi ad æquales angulos non posit. Similiter quicquid sua lcuitate summa petit, de centro in respondentem illi orbis seu τῆς περιφερείας punctum se efferens, lineam describat rectam necesse est. cum quod curuet aut distorqueat existere quicquam nequeat, si hoc euolare præfinito quasi itinere debeat. Siue quòd, ut dicit Cicero, hæc

ro, hæc leuitatis natura sit: siue quod ponderum quasi ictibus cedens illa, cũ ima loca quæ horum sint propria tenere prohibeatur, superiora quæ à ponderibus relicta sint capessere & inuadere soleat. Si sit numerus animus, magis etiam efferet se, quàm igneus aut animalis: magisq́;, si sit illa natura perennis motionis. De hac quidem dubium non est, propter puritatẽ, & quasi ætheriam diuinitatem suam. Sed numeri quæ tanta uis fuerit? De sententia omnino hoc Pythagoreorum dictum existimo, qui numeros per omnia ire ac penetrare dixere, de quorum potestate ac efficientia admirabili subtilitate disseruere. Dicæarchus autem Siculus, fuit Mamertinus, auditor similiter Aristotelis, ut Aristoxenus. Cohercet huius audaciam Cicero, ingerentis se in tractationem rerum alienarum, uersu prouerbiali Aristophanico, σφηξί.

Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Quod utinam nunc quoque fieret: esset minor confusio in terris. Vinctum autem animum ex anima, uel (ut alibi inuenio scriptum) aëre tenui & ardore solis temperato cum dicit: uult esse ignitum aërem, de sententia Stoicorũ, quos hoc loco interpretari uidetur. Sed de alimonia siderum cum magna quæstio sit, plærique tamen ueterum credidere, humore maris & fluminum illa nutriri. Idem scripsit Cicero ex Cleanthis sententia, in secundo libro de Natura Deorum. cum sol igneus sit, Oceaniq́; alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo poßit permanere. Et hac opinione ducti ueteres, subiecere uiæ solis, quæ adusta zona esset, Oceanum, dirimentem habitabiles ad Aquilonẽ & Austrum. Nunc deinceps excurrit in iucundam quasi contemplationem animi ipsius, uitæ, quam degat in summa felicitate liberatus terreni corporis quasi custodia. perinde atque iam obtinuerit & uiuere post mortem, & uigere, sentire, esse in cœlo. Atque tum cognitionem plurimum uoluptatis habituram, argumentatur de his angustis terrenis peregrinationum historijs. Angustiæ autem Ponti, fauces Bospori & Propõtidos accipiẽdæ, et fretum illud dirimens Libyam & Europam, Gaditanum siue Herculanum. Negat esse sensum in corpore, id est corporis. Animus est enim qui sentit. Vnde & ἀσθήσεις uolunt dictas, quasi εἰσθέσεις, quia illis sensus quasi uasis incidentia ad animum deportentur noscitanda. Vias autem dicit, qui sunt græci πόροι, oculorum ὀπτικὸς, narium ἦθμος, auriũ σκολιὸς πόρος τῆς ἀκοῆς.

His sanè multis ad hunc modum breuiter percursis, tum reliquorum ita secuta est lectio.

Quæ quidem cogitans, soleo sæpe mirari nonnullorum insolentiam Philosophorum, qui naturę cognitionem

tionem admirantur, eiusq́; inuentori & principi gratias exultantes agunt, eumq́; uenerantur ut Deum. liberatos enim se per eum dicunt grauiss. dominis, terrore sempiterno, & diurno ac nocturno metu. Quo terrore? quo metu? quę est anus tam delira, quę timeat ista, quæ uos, uidelicet si physica non didicissetis, timeretis? Acherontia templa alta, Orci pallida, leti obnubila tenebris loca. Non pudet Philosophum in eo gloriari, quod hæc non timeat, & quod falsa esse cognouerit. Ex quo intelligi potest, quàm acuti natura sint, qui hæc sine doctrina credituri fuerint. præclari autẽ nescio quid adepti sunt, qui didicerunt, se cũ tempus mortis uenisset, totos esse perituros. quod ut ita sit (nihil enim pugno) quid habet ista res aut lætabile, aut gloriosum? Nec tamen mihi sanè quicquam occurrit, cur non Pythagoræ sit & Platonis uera sententia. Vt enim rationẽ nullam Plato afferret, uide quid homini tribuam: ipsa autoritate me frangeret. tot autem rationes attulit, ut uelle cæteris, sibi certe persuasisse uideatur. Sed plurimi contrà nituntur, animosq́; quasi capite damnatos morte multant. neque aliud est quicquam, cur incredibilis his animorum uideatur æternitas, nisi quod nequeunt qualis animus sit uacans corpore intelligere, & cogitatione compræhendere. Quasi uero intelligant, qualis sit in ipso corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus: ut si iam possent in homine uno cerni omnia, quæ nunc tecta sunt, casurus ne in conspectum uideatur animus: an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem. Hæc reputent isti, qui negant animum sine corpore se intelligere posse. uidebunt, quem in ipso corpore intelligant. Mihi quidem naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit co-

gitatio, multoq; obscurior, qualis animus in corpore sit tanquam alienæ domi, quàm qualis cum exierit, & in liberum cœlum quasi in domum suam uenerit. Si enim quod nunquam uidimus, id quale sit intelligere non possumus, certe & Deum ipsum, & diuinum animum, corpore liberum, cogitatione complecti nõ possumus. Dicæarchus quidem & Aristoxenus, quia difficilis erat animi quid aut qualis esset intelligentia, nullum omnino animum esse dixerunt. Est illud quidem uel maximum, animo ipso animum uidere: & nimirũ hanc habet uim præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim credo id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuram'ue noscamus. Neq; nos corpora sumus: neque ego tibi hæc dicens, corpori tuo dico, sed animo. Cum igitur NOSCE TE dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi uas est animi, aut aliquod receptaculum. Ab animo tuo quicquid agitur, hoc agitur à te. Hunc igitur nosse, nisi diuinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi præceptum, sic ut tributum Deo sit, hoc est seipsum posse cognoscere. Sed si qualis sit animus ipse animus nesciat, dic quæso, ne esse quidem se sciat? ne moueri quidem se? Ex quo ratio nata est Platonis, quæ à Socrate est in Phædro explicata, à me autem posita est in sexto libro de Republica. Quod semper mouetur, id æternum est: quod autem motum affert alicui, quodq; ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi quoque finem habeat necesse est. Solum igitur quod seipsum mouet, quia nunquam deseritur à se, nũquam ne moueri quidem desinit. Quin etiam cæteris quæ mouentur, hic fons, hoc principiũ est mouendi. Principij autem nulla est origo. nam ex principio

principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. nam principium extinctũ, nec ipsum ab alio renascetur, nec à se aliud creabit: siquidem necesse est à principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum à se mouetur. Id autem nec nasci potest, nec mori. Vel concidat omne cœlum, omnisq; natura consistat necesse est, nec uim ullam nanciscatur, qua primo impulsu moueatur.

Cum pateat igitur æternum id esse, quod seipsum moueat, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne quod pulsu agitatur externo: quod autem est inanimatum, id motu ciet tur interiore, & suo. nã hęc est natura animi, atq; uis. Quæ si est una ex omnibus, quæ se ipsam semper moueat, neq; nata certe est, & æterna est. Licet concurrãt plebei omnes Philosophi. sic enim ij, qui à Platone et Socrate & ab ea familia dissident, appellandi uidentur: non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum, q̃ subtiliter conclusum sit intelligent. Sentit igitur animus se moueri: q̃ cum sentit, illud unà sentit, se ui sua, nõ aliena moueri: nec accidere posse, ut ipse unquam à se deseratur. Ex quo efficitur æternitas. nisi quid habes ad hæc. A. Ego uero facile sum passus, ne in mentem quidem alii quid contrà uenire: ita isti faueo sententiæ.

Posthæc, cum puero silentium nutu imperasset: Idem posim, STIBARVS inquit, quod tum Atticus, uere dicere, me admodum isti fauere sententiæ. Neque tamen ausim dicere, satisfactum esse mihi, siue non satis firma illa quæ audiuimus, siue parum à me intellecta sunt. Sed quid tu tandem? Egõne? inquam. idem scilicet, quod dudũ: per quàm omnia, quæ de immortalitate

animorum concluduntur, si ad iudicium illorum ipsorum reuocentur, infirma uideri atque incerta. Ac nunc quidem merito deridet Epicureos, qui mortem animorum ut ipsi crederent perspecta, securitatem reperisse se putarent. Vt enim certe hoc maxime illos non curasse credamus, quid post mortem accideret: hoc ne etiam arbitrabimur potuisse contemnere, nihil omnino post mortem accidere ulli posse? Non hoc doctrinæ & sapientiæ, sed stuporis cuiusdam ac stulticiæ fuerit. Et tamen ipse Cicero eodem deuoluitur, cum quatem esse illam uult sempiternam, qua post mala uitæ fruamur, ac nihil omnino ad nos pertinere: quemadmodum, ut idem suprà dixit Attico, ne illud quidem tempus quod fuerit antequam nasceremur. At antequam quis nasceretur, ne esse quidem se sciuit, nec sensit. Nunc qui cœperimus esse, extinctionem & redactionem ad nihilum perhorrescimus. Dolet, carendum uita & luce: omni ratione præstare solem tueri, quàm illis tenebris obrui atque inuolui statuimus. Sed dimissis Epicureis, ad argumenta immortalitatis animorum accedit, quæ sunt præcipue Platonica. De Epicureis autem sciendum, non in hac tantum parte, sed in uniuersum gloriatos de perspectione & cognitione naturæ: qua fieret, ne quis ulla re quæ accidere homini posset, tanquam autore Deo futura terreretur: ut ait Lucretius,

Quem nec fama deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cœlum: & quæ sequuntur.

Quod sequitur, incredibilem uideri æternitatem animorum, quia nequeamus intelligere qualis animus sit, uacans corpore: id profecto est uerum. Et omnes de animo cogitationes, quibus tamen quiduis informari uidetur posse, non perueniunt unquam illò, ut complectantur animum solum & separatum à corpore, sic quidem ut natura aliqua illius, & (quod uerbum insolitis nunc est tritum) essentia constituatur. fingere quidem licet aliquid, et quasi ludere bellulis sententijs: rem dico ipsam non posse constitui, ne cogitatione quidem, ubi sit, quid sit, quid agat corporis expers animus. Hac ipse parte quasi in se recurrēs, inuoluitur atq; implicatur. Quod si cogitationes hac in re, quarum maxima est libertas, impediuntur: quo magis sermones, quibus sæpissime quod optime cogitatum est eloqui non possumus, deficere in demonstrationibus eius quod cogitatione nondum sit compræhensum, necesse est? Nam quod dicit, diuersum sibi uideri naturā animi intuenti, seruit cauſſæ suæ Cicero noster. Quam enim naturam habet animus, nisi effectionis uitæ sensuum, rationis q; uirium? Hæc autem quomodo exercebit in se ipse absque corpore? aut quomodo corpus aliena est domus animi, qui annexā aglutinatamq;

glutinatamq; habet illam habitationem multo inseparabiliorem, quàm sit non dico à conchylio tecta, sed succus illius imbibitus à lana? Propterea, quod iam sæpe dico, discedamus mi STIBARE, non solum à nobis, sed etiam à ueterum tanta & tam admirabili sapientia, cum huiusmodi res, remotæ à captu ingenij humani, in quæstionem uenerint. Iubes igitur, inquit ille, nos stulte sapere: quàm facilis tua disciplina est? Quàm facilis sit nescio, inquā, hoc stulte sapere & abijcere in maximis rebus omnem spem humanæ sapientiæ. Neq; hoc nunc agimus: sed ubi figam pedem in ueterum harum rerum inuentis, nihil cerno firmum atq; stabile. Itaq; & illud Socraticum parum simplex, sed callidum est, quod ait non esse Atticum corpus: sed neq; animus est. Nam homo certe neq; in animale, neq; corporis est expers: sequitur ergo, ut compositum quiddam ex utroq; esse fateamur. Hanc autem sententiam γνῶθι σεαυτόν, cum alibi commentando enarrauit Cicero, tum in quadam ad Q. Fratrem epistola luculenta breuitate, & in primo libro de Legibus perquàm copiosè: quem locum, cum uoles, licet assumas. Dictum illud tanti fecere ueteres, ut ad Apollinem autorem retulerint. Plato scribit hoc, & alterum μηδὲν ἄγαν, eos qui una ætate uixerint Sapientes septem, communiter inuenta, quasi primitias quasdam sapientiæ suæ consecrasse Deo, & curasse in Delphico templo perscribi. Sequitur Platonica argumentatio, concluſa acutissime, quam Cicero transtulit suo more de Græco sententia expressa, non annum meratis uerbis. Perscribam autem tibi in hac charta, si uidetur, Græca uerba, quæ propter mirificam quandam elegantiam, & conclusionis illius (ut ita dicam) calliditatem, iam pridem memoriæ mandaui. Erit mihi gratum, inquit: & asseruabitur inter alias tuas hæc à nobis charta. Tum igitur perscripta hæc illi recitaui. In Protagora.

πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικινητοῦν, ἀθάνατον. τὸ δὲ ἄλλο κινοῦν, καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παύλαν ἔχον κινήσεως, παύλαν ἔχει ζωῆς. μόνον δὲ τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, ὅποτε λήγει κινούμενον. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. ἀρχὴ δὲ ἀγένητον. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι. αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνὸς. εἰ γὰρ ἐκ τοῦ ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἔτι ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπεὶδὴ δὲ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀνάφθορον ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολλυμένης, οὔτε αὐτή ποτε ἔκτα, οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι.

γνεσθ. οὕτω δὴ ἡνήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, οὗτος δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθ, οὔτε γίγνεσθ δυνατὸν, ἢ πάντα τε οὐρανὸν, πᾶσαν τε γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ μήποτε αὖθις ἔχειν στῆναι, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον οὗτος αὐτὸ τὶς λέγων, οὐκ ἀισχυνεῖται. πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθ ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτὸ ἐξ αὐτοῦ ἔμψυχον, ὡς ταύτης οὔσης φύσεως ψυχῆς. εἰ δ' ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν, ἢ ψυχὴν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη.

Quantum, inquit, intelligere possum, maxima cura & singulari diligentia hæc perfecta sunt. Vt enim artificiose picta tabella imperitos quoq; mouet, ita mihi non admodum græcæ linguæ gnaro, hæc tamen mirum in modum bella uidentur esse. Sed illud quale? inquam, quod Cicero ait: Nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Plato uero, εἰ γὰρ ἐκ τοῦ ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. *Te, inquit, dicere par fuerit. me enim colorum amœnitas, & formæ quædam uenustas delectat: de consensione partium inter se, & concinnitate, non laboro. Videamus igitur, num reddita sit sententia Platonica à Cicerone. uerba enim esse, nihil refert. Negat Plato ullam rem aliunde oriri posse, quàm ex principio. Sed idem profecto ex se oriri nequit. Ergo si principium nascatur, aliũde quàm ex principio nascatur, quod ipsum est, oportet. Quod si aliunde sit natum, principium iam non erit: quippe ex quo oriantur omnia, & quod ipsum aliunde nasci nõ possit. Perquã, inquit ille, acute hæc conclusa: attentionem quidem horum lectio singularem postulat. Vidit & hoc ipse Cicero, inquam, qui negat subtilitatem huius conclusionis à uulgo Philosophorum intelligi. Cui sanè & nos libenter assentiamur, neq; in hæc Platonica inquiramus seuerius. Sed nunc si placet pergamus. Tum igitur lectionem ita puer contexuit.*

Quid ista tandem? num leuiora censes, quæ declarant inesse animis hominum, diuina quædam? quæ si cernerem quemadmodum nasci possent, etiam quemadmodum interirent uiderem. Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, neruos, uenas, omnem deniq; mẽbrorum & totius corporis figuram uideor posse dicere, unde concreta & quo modo facta sint per animum ipsum,

ipsum, si nihil esset in eo nisi id ut per eum uiueremus, tam natura putarem hominis uitam sustentari, quàm uitis, quàm arboris. hæc enim etiam dicimus uiuere. Item si nihil haberet animus hominis, nisi ut appeteret aut refugeret, id quoq; esset ei commune cum bestijs. Habet primum memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium. quam quidem Plato recordationẽ esse uult uitæ superioris. Nam in illo libro qui inscribitur Menon, pusionem quendam Socrates interrogat quædam Geometrica, de dimensione quadrati. ad ea sic ille respondit, ut puer: & tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondẽs eò perueniat, quasi geometrica didicisset. Ex quo effici uult Socrates, ut discere nihil aliud sit quàm recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit è uita. Docet enim quemuis, qui omnium rerum rudis esse uideatur, bene interroganti respondentem, declarare se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere. nec uero fieri ullo modo posse, ut à pueris tot rerum atque tantarum insitas & quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας uocat, haberemus, nisi animus, antequam corpus intrasset, in rerum cognitione uiguisset. Cumq; nihil esset, ut omnibus locis à Platone disseritur (nihil enim ille putat esse, quod oriatur & intereat: idq; solum esse, quod semper tale sit, qualem ideam appellat ille, speciem nos) non potuit animus hoc in corpore inclusus agnoscere, cognita attulit. Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea planè uidet animus, cum repente in tam insolitum, tamq; perturbatum domicilium immigrauit: sed cum se collegit atque recreauit, tum agnoscit ea reminiscendo,

niſcendo, ita nihil aliud eſt diſcere, niſi recordari. Ego autem maiore ui etiam quodammodo memoriam admiror. quid eſt enim illud quo meminimus? aut quam habet uim, aut unde naturam? Non quęro, quanta memoria Simonides fuiſſe dicatur, quanta Theodectes, quanta is qui à Pyrrho legatus ad Senatum eſt miſſus Cyneas, quanta nuper Carneades, quanta qui modo fuit Scepſius Metrodorus, quanta noſter Hortenſius: de communi hominum memoria loquor, & eorum maxime, qui in aliquo maiore ſtudio & arte uerſantur. quorum quãta mens ſit, difficile eſt exiſtimare, ita multa meminerunt. Quorſum igitur hæc ſpectat oratio? Quæ ſit illa uis, & unde ſit, intelligendum puto. Non eſt certe nec cordis, nec ſanguinis, nec cerebri, nec atomorum. anima ſit animus, ignis ue, neſcio: nec me pudet, ut iſtos, fateri neſcire quod neſciam. Illud ſi ulla alia de re obſcura affirmare poſſem, ſiue anima ſiue ignis ſit animus, eum iurarem eſſe diuinum. Quid enim obſecro te, terra ne tibi aut hoc nebuloſo & caliginoſo cœlo, aut fata aut cõcreta uidetur tanta uis memoriæ? Si quid ſit hoc, non uides: at quale ſit uides. Sine id quidem, at quantum ſit profecto uides. Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quo tanquam in aliquo uaſe ea quæ meminimus, infundantur? Abſurdum id quidem. Qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi poteſt? aut quæ tanta omnino capacitas? An imprimi quaſi cerã animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mente ueſtigia? Quæ poſſunt uerborum, quę rerum ipſarum eſſe ueſtigia? Quę porrò tam immenſa magnitudo, quæ illa ram multa poſſit effingere? quid illa uis, quæ tandem eſt? quæ inueſtigat occulta, quæ

Inuentio

Inuentio atque excogitatio dicitur. Ex hac ne tibi terrena mortalíq; natura & caduca concreta ea uidetur? Aut qui primus, quod ſummæ ſapientiæ Pythagoræ uiſum eſt, omnibus rebus impoſuit nomina: aut qui diſſipatos homines congregauit, & ad ſocietatem uitæ conuocauit: aut qui ſonos uocis, qui infiniti uidebantur, paucis literarum notis terminauit: aut qui errantium ſtellarum motus, curſus, progreſſiones, inſtitionesq; notauit: omnes magni etiam ſuperiores, qui fruges, qui ueſtitum, qui tecta, qui cultũ uitæ, qui præſidia contra feras inuenerunt, à quibus manſuefacti et exculti à neceſſarijs artificijs ad elegantiora defluximus. Nam & auribus oblectatio magna ex parte eſt inuenta, & temperata uarietate, & natura ſonorum: & aſtra ſuſpeximus, tum ea quæ ſunt infixa certis locis, tum illa nõ re ſed uocabulo errantia, quorum conuerſiones omnisq; motus qui animus uidit, is docuit ſimilem animum ſuum eſſe eius qui ea fabricatus in cœlo eſſet. Nam cum Archimedes lunæ, ſolis, quinq; errantium motus in ſphæram illigauit, effecit idem quod ille qui in Timæo Platonis mundum ædificauit Deus, ut tarditate & celeritate diſſimillimos motus una regeret conuerſio. Quod ſi in hoc mundo fieri ſine Deo nõ poteſt, ne in ſphæra quidem Archimedes ſine diuino ingenio potuiſſet imitari. Mihi uero ne hæc quidem notiora & iam illuſtriora carere ui diuina uidentur, ut ego aut Poëtam graue plenumq; carmen ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu putem fundere, aut eloquentiam ſine maiore quadam ui fluere, abundantem ſonantibus uerbis, uberibusq; ſententijs. Philoſophia uero omnium mater artium, quid eſt aliud niſi, ut Plato ait, donum: ut ego, inuentum Deorum?

rum? Hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad
ius hominum, quod situm est in generis humani soci
tate, tum ad modestiam magnitudinemq; animi eru
diuit, eadem´que ab animo tanquam ab oculis calig
nem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima,
media uideremus. Prorsus hæc mihi diuina uidetur e
se uis, quæ tot res efficiat, & tantas. Quid enim memo
ria rerum & uerborum? quid porro inuentio? profe
cto id, quo nec in Deo quicquam maius intelligi po
test. Non enim ambrosia Deos aut nectare, aut Iuuen
tute pocula ministrante lætari arbitror: nec Home
rum audio, qui Ganymedem à Dijs raptum ait pro
pter formam, ut Ioui pocula administraret. Non iu
sta causa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Finge
bat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat,
diuina mallem ad nos. Quæ autem diuina? Vigere, sa
pere, inuenire, meminisse.

*Ad hunc locum cum esset peruentum, lectionem ego interpellans (animad
uerteram enim* STIBARO *longiorem iusto uideri) De his igitur, inquam, di
sputemus, sicut antè fecimus.* *Tempori quidem, inquit. Nam ego de his
etiam male timeo memoriæ meæ, & in hac facta de illa mentione tam homo
rifica infelicitatem meam doleo.* *Necessitate mi* STIBARE, *ait ille apud
Plautum: Quod domi est, id sat est habendũ. Quare hoc agamus. Neq; ego
tamen nunc de natura harum rerum, quibus corporis formam constitui Cice
ro dicit, uerba faciam: nec explicationes illarum afferam de scriptis ueteriũ.
possumus enim contenti esse nunc quidem, communi & uulgari notione ani
morum nostrorum, qua definimus sanguinem, pituitam, bilem, tam hanc uim
dis felis quàm illam nigræ, humores esse in corpore, & quasdam elementor
rum naturas an qualitates? molem autem huius exaggerari uenis, neruis, os
sibus, carnibus, in quibus densius et compactius quiddam intelligitur. Hæc di
xere ueteres sapientes Græci ὁμοιομερῆ. partes enim similes sunt in unoquoq;
horum totius. Sequitur igitur, Per animum ipsum: ubi non incõmode legi pos
se uideo, Præterea animum ipsum. ut mihi in mentem ueniat, scripturam de
hac*

*hac dictione in illam deprauatam esse. Putat aut, Cicero noster de anima ui
tali, quæ etiam stirpibus tribuitur: deq; sensuum, quæ brutis quoq; inest, ha
biturum se quod dicat, Nempe naturæ rationem & originem illius. Sed in
hac peculiari natura hominis, de qua nunc deinceps quasi declamitat, hære
re se & cogi fatetur, ut tanquam in tragœdijs accersat deum, à quo hanc fa
bricatam sentiat fuisse.* Sequitur locus Platonicus de reminiscentia, no
tus, & à Peripateticis reprehensus, ut plæraq; illius alia. de quo non quidem
nobis quicquam laborandum, qui ita sumus erga nos benigni, ut cuiusdam sæ
pe inexquisitæ cognitionis uoluptati indulgere patiamur animum nostrũ.

Bellum autem profecto hoc uidetur, Scientiam & rectitudinem consilij in
memoria & recordatione constitui, cum & ignorationes & errores in obli
tione perpetua uersentur. Ex quo genere hæc sunt: In mentem mihi fuit. &,
Sæpe ac multũ recordatus. &, Cum iubemus meminisse. & hoc Homericũ,
ἔκλαθέ τ' ἀμφίονος. Pindarus autem utrunq; egregie designauit in septimo
hymno Olympico, cum dicit studium prouidentiæ uirtutem & lætitiam cõ
ciliare hominibus: sed incuitabiles etiam ingruere nubes obliuionis, qua mẽ
tes sæpe extra uiam rectam deturbentur. Verum hæc relinquamus. Me
nonius autem iste pusio in Platonis libro, qui à Cicerone nominatus, & cu
ius altera est inscriptio de Virtute, respondẽs ad interrogata Socratis, ea di
cit quæ ignorabat: hoc est, quæ nondum didicerat recordando & reminiscen
do & agitando memoria, iacente adhuc illa ui mentis, ut Plato efficere uult.

Est autem problema illud geometricum duplex. Primum, Quadratum qua 1
tuor pedum describere. quod ita se habet: Omne quadratum diuiditur linea
per medium ducta, in duas partes æquales. Hæc linea & recta & transuer
sa duci potest. Cum autem dispescat quadratum in partes æquales duas, ne
cesse est si ipsa sit pedalis, quadratum totum quatuor pedum existere, quia
dimidiatum fit duum. & bis duo quatuor. etsi hoc magis demonstrat propo
situm quadratum quantum sit, ut apud Platonem interrogans Socrates effi
cit illam demonstrationem quantitatis descripti spacij quadrati. Secundum 2
est intricatius, tale: Quadratum propositum duplicare. Quod non fit dupli
cata illa pedali: nam sic fieret dimidiatum quadratum pedum octo, atq; con
sequenter totum sedecim. itaque alia ratio est quærenda, quam docet illo in li
bro Plato, duci de quadrati obliqua, ex angulo uno in alterũ ducta linea, dia
metri nomen nouitium illius quasi fastidiens. Nam si quis similiter ut de qua
tuor pedum quadrato faciat, exibit spacium nõ octo, sed sedecim pedum. ita:
Ponatur linea diuidens quadratum medium pedum duum: ea enim est du

plicata de priore. hæc igitur faciat duo latera bis duum pedum necesse est, ut illa prior bis unius, id est duum. postea quadretur spacium, tum reddent quater quatuor sedecim, ut suprà bis duo quatuor. ita area nõ duplicata, sed quadruplicata fuerit, & compræhendet intra se quaternas illas pedum singulas quatuor, hoc modo.

Quatuor quadrata, hoc est, quater quatuor, XVI reddunt.



Sed duplicatum quadratum ita docet inuenire: Duplicata pedali linea exit quadratum. Hoc est, quadrata quatuor componuntur sub quatuor lineis. horum unius cuius libet inueniendum duplicatum. ducantur igitur per illa lineæ obliquæ de angulis in angulos, ita dimidiatis singulis quadratis, quaternæ intus partes illæ dimidiæ conspicientur: hoc est, triangula in toto quatuor descripta, continuatis quorumq; duorum quadratorum diametris. Vniuscuiusq; enim diametros linea triangula bina describit. bis autem quatuor octo, & dimidiata octo quatuor sunt. Diximus enim, diametro dimidiari quadratum. Sed si de una qualibet diametro quadratum de nouo exprimatur, duo tantum triangula illa dimidiationis reperientur, quæ quatuor erant in toto quadrato, illa quatuor alia includente. Nam necessario illius totius

tius latus unum, diametros sit in duplicato quadrato, de uno quaternorum in illo inclusorum. Ita exposuit hanc rem pusio Menonius, Socrate non quidem docente, sed interrogante: quod ipsum Aristotelicis docere usum. quæ de descriptione facile intellectum iri arbitror, quam tum fortuito cretensi hac, ut uocant, terra, in mensula designauimus. hoc uero loco subiunximus paulo exactiorem.



Hoc idem de hypothesibus mathematicis cito expeditur, hoc modo: Omne quadratum diametro in duo triangula secatur. Et in omni triangulo subtendens rectum, æquiualet reliquis duobus lateribus. Ergo cum rectum trianguli utriusq; diametros quadrati subtendat, consequens est ut sit inde descriptum quadratum duplex ad illud, cuius diametros fuerat, quandoquidem ad duas partes quadrati æquiualet. Quam & ipsam descriptionem licet aspicias. quid enim prohibet inquam, in harum rerum quasi ludo quodam pauli-

sper acquiescere? Nihil uero quicquam, inquit ille: præsertim cum de illorum ludorum genere hic esse uideatur, qui uel maxime seria ducant. Aspice igitur, inquam: atq; ita subiectam figuram depinximus.



Viden', inquam, si diametros debeat describere figuram æquiualentem cum figuris duabus, de duobus tranguli lateribus, quorum rectum angulum subtendit, necessario æquiualere duobus quadratis, qualium diametros illa fuit. Cum ad quadrati cuiuslibet latus necesse sit, describi æquale illi quadrato alterum. Sum quidem ego, inquit, ualde ἀγεωμέτρητος. sed hæc tamen ita à te exposita oratione, & figuris designata, intelligere sanè mihi uideor. Non igitur requiris aliam demonstrationem? inquam. Non, inquit: missam quia, mihi hæc enim nequaquam iniucunda sunt, si tibi uideatur plura de ipsis afferre in medium, per sum cupide & libenter auditurus. Exponitur ergo, inquam, etiam res ad hunc modum paulo artificiosiq. Annexa inter se ad normam

normam quadrata quatuor, necesse est includi in spacio ad unumquodq; ipsorum quadruplo. Horum autem ipsorum quatuor quadratorum interius, exclusis dimidiatis, diametri rursum describunt quadratum. In quo inueniuntur iam diametri duo, qui in quadruplo numerabantur quatuor. Ita fit, ut hoc de nouo inscriptum quadratum duplum sit ad unumquodq; priorum quatuor: & illud ista quatuor quadrata includens duplum, ad istud de nouo inscriptum. hoc etiam ad Euclideum quendam modum literis designemus, si placet. Maxime, inquit. ita enim omnia clariora futura sunt. Sit ergo, inquam, quadratum hoc unum quatuor pedum, a b c d. cui ad normam applicetur alterum, b f d e. & tertium, a b g h. & compleatur totius spacij uacuus angulus quarto, b f h i. ita ut totum quadruplum sit, c e g i. Tum diuidantur singula quadrata diametris a d, & d f. & a h, & h f. De quibus iam quadratum describetur, a d h f. Dicimus igitur spacium, c e g i, quadruplum esse ad a b c d. & reliquum quodlibet inscriptorum ad normam quadratorum: sed spacium a d h f, duplum ad quodlibet illorum quadratorum: & rursum ad hoc, illud spacium, c e g i, duplum. Sicut enim hoc de unaqualibet quatuor quadratorum diametro, ita illud de huius diametro describitur. His singulatim notatis & demonstratis, talis figura exijt.



Sed de hac

Sed de his satis, uel potius nimium. nam permultum restat inquam, ne bis quasi itineris conficiendi, dum peruenimus ad finem institutæ operæ. Dimensionem quadrati haud scio an Cicero dixerit, interpretans Græcam uocem διαμέτρον. Sermo autem Socratis habitus eo ipso die quo excessit è uita, expositus est à Platone in libro eo qui Phædon, uel de Anima inscribitur. Quem Panætius dicitur reiecisse, tanquam parum Platonicum, & nothum, de quo Epigramma inter græca extat, quod eodem ait ausu animam mortalem, & illum librum non Platonis esse, Panætium perhibuisse. Capita autem disputationis huius eleganter recitauit Cicero. Quas quidem notiones interpretatus est de Græco, προλήψεις etiam dixere, in Academicis notitias uertit. Sunt autem iudicia quædam, & quasi pronunciata mentis, quæ non discendo comparantur, sed à natura insunt. ut similitudinum & comparationum, de quibus solent omnes homines statuere de uno quoq;. Hanc uim non acquiri studio nostro, sed innatam esse Plato docet, & in Menone, & Phædone. Vt exempli gratia: lignorum inter se æqualitatem, constitui iudicio meo de æqualitatis ipsius προλήψει, siue ἐννοίᾳ. Epicurus acquiri de usu sensuum uoluit docere. Vt si de procul aliquid in flumine cernam innatare, & quæram an nauicula sit, an sarmenta: nimirum quod nauicula sarmentaq; prius uisa notaq; sint, ideo illorum notio nunc, cum quibus hoc de quo dubito confero, existit in animo meo. Sic etiam alias notitias pari existimauit. Scilicet si Plato errauit magnificentia illa sua in diuinitate & sempiternitate animorum, à sensibus corporeis illos abducendo: hic multo fœdius peccari debeat credi animos sua doctrina interimendo, & ad sensus tanquam præsepe quoddam deuinciendo. De ideis autem Platonicis notum est, immortalitatem illis hic tribuisse: & ita longe ab omnibus quæ oriuntur atq; occiderent remouisse, ut hoc reprehensione acutorum non caruerit. Harum disputationum summam breuiter exposuit Cicero in Oratore, his uerbis: Has rerum formas appellat ideas ille, non intelligendi solum, sed etiam dicendi grauiss. autor & magister Plato. easq; gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse in uno eodemq; statu. Cum igitur nihil esset quod nasceretur & interiret, quid in caduco corpore inueniret, rerum scilicet, id est τῆς οὐσίας uacuo animus? Ergo attulit aliunde. fuit igitur prius, quàm in corpus intraret. Sed cur non statim hæc uis manifesta est? Quia in prima sua ingressione aliquantulum hæsitat animus, neq; statim se audet quasi explicare: corripitur etiam, ut Timæus ait, et uoluitur uelut torrente quodam materiæ, in quo non potest primum consistere,

stere, postea autem confirmatur, & in se recolligitur, atq; ita utitur natura sua. De memoria reuera est admirabilis consideratio. quæ uis illius, ubi sedes, quibus in cellulis condat ea quæ asseruat, quomodo tam celeriter & apte promat. Similiter & cogitationum facultas mirifica, cum per se, tum responsione sua celerrima ad orationem & eloquentiam: ut cum nihil effari quisquam non antè conceptum animo possit, uelocitas tamen in hoc tanta sit, ut cogitata in eloquendo non sentiantur. Exempla autem, quæ hoc loco præstantis memoriæ adducuntur, notorum sunt hominum, & alibi etiã memoratorum. Metrodorũ atq; Carneadem in secundo libro de Oratore, cum diuina propè essent memoria, arte tamen illius usos præclare scribit. Hortensio in Acad. tribuit uerborum memoriam maiorem, rerum Lucullo. De Cyneæ legati Pyrrhi memoria cum alia feruntur, tum postridie eius diei quàm Romam intrasset, omnes Senatores nomine quenq; suo persalutasse. Quod autem de cera & uestigijs literarum nunc dicit, intelligendum nihil quidem tale re ipsa fieri: sed aptas esse similitudines, in quibus memoriæ cũ naturalis uis, tum ars etiam perspici possit. Sic igitur & Cicero de Oratore. Quorum uterq; tanquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in ijs locis, quos haberet, quæ meminisse uellet perscribere. Plato etiam in Theæteto, tabellarum similitudine de memoria utitur: atq; idem κἀγὼ animum putat dictum, hoc respectu ad ceram. De nominum impositione, duæ diuersæ sententiæ ueterum doctorum fuere. una, illa esse ratione & certæ significationis imposita rebus: altera, hoc factum temere, pro arbitrio imponentis. obtinuisse autem consensu & uoluntate usurpantium appellationes. Priorem tamen & tenere & probare Plato uidetur in Cratylo. Idem de notatis generibus infinitæ uocis, quibus illa sic distingueretur, ut forma quadam spectabilis, non uaga, sed ordine & uia ferretur, εὐρυθμον Græci uocant. De his igitur idem Plato in Philebo, Aegyptium quendam siue deum, seu diuinum hominem, Theutum, cuius & in Phædro mentionem facit: hunc igitur ait in uocis infinitate animaduertisse primum eas, quæ uocales dicuntur: deinde alias, non quidem uocales, sed tamen streperas: postremo tertium quoddam genus mutarum. Atq; has numero definitas, sub suum quasq; genus subiunxisse, atq; ita singilatim distinctas nominauisse literas, seu elementa. &c.

Eloquentem autem hominem dispersos in agris, & in tectis syluestribus abditos, ratione quadam compulisse homines & congregasse in unum locũ, Cicero scribit de Inuent. I. Hæc ab Epicureis irridentur, atq; fortuito euenisse omnia traduntur, ut et Lucretius lib. V.

Proinde putare, aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, & inde homines didicisse uocabula prima,
Desipere est.

Protagoras apud Platonem eleganti fabula congregationem πολιτικὴν hominum refert Ioui acceptam, qui misso Mercurio uniuersis atque singulis distribui iusserit αἰδῶ καὶ δίκην. In stellarum motu nõ solum est ille, quo stella progreditur de una parte qualibet priore ad sequentem, qui dicitur Graecis κατὰ τὰ ἑπόμενα, & est directus cursus κατὰ μῆκος: sed etiam ille, quo & contingãtur stellae ἐπὶ πλάτος, & insistentes retorquẽt cursus, hoc est ἀναπαίζοντα, ingredientes iam de posteriore aliqua parte in priorem, hoc est κατὰ τὰ πρόσθια φερόμενα. Hunc notasse & explicuisse primum traditur Apollonius Pergaeus. Ptolemaeus autem luculente demonstrauit in 12. libro τῆς μεγάλης συντάξεως. Cicero in secundo de Natura deorum haud scio an regressus dixerit, hunc motum qui nunc retrogradationis est. Legendum autem in textu, institiones non institutiones: cum omnino non mouentur, sed ad quodd.am tempus insistunt, ut Cic. ait, loco iam notato. Hoc graecis est στηρίζειν, & στηριγμός, cum in epicyclo uel minima uel nulla incrementi atq; deminutionis, hoc est τῶν διτικῶν τε καὶ ἀφαιρετικῶν παρόδων differentia inuenitur. Mox temperationem uarietatem & naturam sonorum musicae concinnitatem accipiemus, in illis primis generibus τὸ ὀξύ, τὸ βαρύ, τὸ ἰσότονον. Platonicũ autem est, negare stellas errare, qui hoc nomine impietatis Graecos accusat, quod de cœlestibus corporibus mendacia dicere non uererentur. idẽ Cicero de Natura deor. lib. 2. Sunt autem errantes, πλανῆται: ἀπλανεῖς, uel ut Aristoteles uocat ἐνδελεχισμένους, inerrantes. Harum stellarum est infinitus numerus, sed suo tamen quasi corpore quodam simulacra & effigies exprimere uidentur: quae numero comprehensa, ex nota figurarum aliquarum similitudine nomina inuenerunt. Planetarũ nõa. Illae sunt quinq;, his nominibus. φαίνων Saturni, φαέθων Iouis, πυρόεις Martis, στίλβων Mercurij, φωσφόρος (atq; idem ἕωσφορος) Veneris. Sol autem Apollinis, & Iuna Dianae, non sidera, sed φῶτα, hoc est lumina. Archimedis sphaeram meminit etiam in secundo libro de Natura deorum, similisq; à Posidonio effecta. Plato in Timaeo sic ait, ἐξ ὧν ἀπορισάμενοι φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἔλαβεν, οὔθ' ἕξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει λαμβάν. Idem in Philebo, rationem & uiam explicandae cuiusq; rei, quod artificium distinguendi & complectendi omnia intelligi uult, uel solam philosophiam, uel huius maximam partem. Δόσιν θεῶν uocat ὑπὸ ἀνθρώπους. Ambrosia autem, cibus deorum: Nectar, potus est, apud Homerum:

οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον,

Vt ille ait. Factum ab immortalitate utrunque nomen, posteriores Poëtas mutasse docet Atheneus lib. 2. ut nectar cibum, ambrosiam potum facerent. Laomedon autem pater fuit Priami, filius Illi, patruumq; habuit Ganymedem filium Trois. De quo Homer. λ. υ.

Sed natos genuit deinceps tres magnanimus Tros,
Illumq;, Assaracumq;, et diuinum Ganymedem.
Mortales fuit hic cunctos pulcherrimus inter,
Quemq; suam ob formam diui rapuisse feruntur,
Vt superũm in cœlo misceret pocula Regi.

Reprehenditur hoc loco Cicero, quasi memoria lapsus, qui uideatur Laomedontis filium facere Ganymedem, cum hic illius patruus fuerit. Verum quare humanam & formam et sensus ad deos retulerit Homerus, à multis quaestum est: de quo in praesentia disputare nos non oportet. Cum tamen uellet suis heroibus deorum numina quasi familiaria adiungere, alio modo facere non potuit, quàm informatione & figurae & sententiae humanae. Egregium autem hoc, quod de hoc constituitur, Homines diuinitatis imaginem esse. At quod Cicero optat, diuina ad nos transtulisse potius Homerum, certe & hoc ille fecit, cum & à Minerua considerationem ad Achillem, fortitudinem & intelligentiam ad Diomedem transtulit. sic enim ait λ. ι.

Ἄχλυν δ' αὖτοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐκᾶλυ,
Ὄφρ' ὑ γινώσκοις ἠμὲν θεὸν, ἠδ' καὶ ἄνδρα.

Et mox,

Δὴ τότε μὴν τρὶς τόσσον ἕλιν μένος.

Quid autem non prudentiae dat Vlyssem de eodem numine transtulit? Itaq; ille sic gloriatur. λ. κ.

πτ ἐγὼ οἰδαίνῃ
Ἐν πάντεσσι θόωσι παρίσασαι, οὐδέ σε λάθω Κινύμενος.

Sed nunc alia consideremus. Fiat, inquit ille. Tum puer amplius ita legit.

Ergo animus, qui, ut ego dico, diuinus: ut Euripides audet dicere, deus est. Et quidem si deus, aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis. nam ut illa natura cœlestis & terra uacat & humore, sic utriusq; harum rerũ humanus animus est expers: sin autem est quinta quaedam natura ab Aristotele inducta, primũ haec & deorum est, & animorum. Hanc nos sententiam

tiam ſecuti, his uerbis in conſolatione hæc expreſſimus. Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt, nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum eſſe uideatur: nihil eſt aut humidum quidem, aut flabile, aut igneũ. His enim in naturis nihil ineſt, quod uim memorię, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit preſentia, quę ſola diuina ſunt: nec inuenietur unquam, unde ad hominem ueníre poſſint, niſi à Deo. Singularis eſt igitur quædam natura atque uis animi, ſeiuncta ab his uſitatis notisq; naturis. Ita quicquid eſt illud quod ſentit, quod ſapit, quod uult, quod uiget, cœleſte & diuinum eſt: ob eamq; rem æternum ſit neceſſe eſt. nec uero Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam & libera, & ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens et mouens, ipſaq; prædita motu ſempiterno. Hoc è genere, atque eadem è natura eſt humana mens. Vbi igitur, aut qualis eſt iſta mens: ubi tua, aut qualis eſt, potes ne dicere: An ſi omnia ad intelligendum non habeo, quę habere uellem, ne iis quidem quæ habeo mihi per te uti licebit: Non ualet tantum animus, ut ſeſe ipſe uideat. Ac ut oculus, ſic animus ſeſe non uidens, alia cernit. Non uidet autem quod minimum eſt, formam ſuam fortaſſe: quanquam id quoq;, ſed relinquamus. Vim certe, ſagacitatem, memoriam, motum, celeritatem uidet. hæc magna, hæc diuina, hæc ſempiterna ſunt. Qua facie quidem ſit, aut ubi habitet, ne quærendum quidem eſt. ut cum uidemus ſpeciem primum, candoremq; cœli: deinde conuerſionis celeritatẽ tantam, quantam cogitare non poſſumus: tum uiciſſitudines

dines dierum atque noctium, commutationesq; temporum quadripertitas, ad maturitatem frugum, & ad temperationẽ corporum aptas, eorumq; omnium moderatorem & ducem ſolem, lunamq; accretione & diminutione luminis quaſi faſtorum notantem & ſignificantem dies: tum in eodem orbe in XII partes diſtributo, quinque ſtellas ferri, eoſdem curſus conſtantiſſ. ſeruantes diſparibus inter ſe motibus, nocturnamq; cœli formam undique ſideribus ornatam: tum globum terræ, eminentem è mari, fixum in medio mundi uniuerſi loco, duabus oris diſtantibus habitabilem & cultum. Quarum altera, quam nos incolimus, ſub axe poſita ad ſtellas ſeptem, unde horrifer

Aquilonis ſtridor gelidas molitur niues.

Altera auſtralis, ignota nobis, quam uocant Græci Antiaxona, cæteras partes incultas, quod aut frigore rigeãt, aut urantur calore. Hic autem ubi habitamus, non intermittit ſuo tempore

Solum niteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lætificæ pampinis pubeſcere,
Ramus baccarum ubertate incurueſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcatere, herbis prata conueſtirier.

Tum multitudinem pecorum, partim ad ueſcendum, partim ad cultus agrorum, partim ad uehendum, partim ad corpora ueſtienda: hominemq; ipſum quaſi contemplatorem cœli ac deorum, ipſorumq; cultorẽ: atq; hominis utilitati agros omnes & maria parentia. Hæc igitur & alia innumerabilia cum cernimus, poſſumus ne dubitare, quin his preſit aliquis cõditor uel effector, ſi hæc nata ſunt, ut Platoni uidetur: uel ſi ſemper fuerint, ut Ariſtoteli placet, moderator tanti operis &

ris & muneris: sic mentem hominis quamuis eam nõ uideas, ut deum non uides, tamen ut deum agnoscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum, & inuentione et celeritate motus, omníq; pulchritudine uirtutis, uim diuinam mentis agnoscito. In quo igitur loco est? Credo equidem in capite, & cur credam, afferre possum: sed de hoc aliàs, nunc ubi sit animus. Certe quidem in te est, quæ est & natura dei, propria puto & sua. Sed fac igneam, fac spirabilem: nihil ad id de quo agimus. Illud modo uideto, ut Deũ noris, & si eius ignores & locum & faciem: sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiam si eius ignores & locum & formã. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus: quoniam nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. quod cum ita sit, certe nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur. Est enim interitus, quasi discessus, & secretio, ac direptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur.

Post hæc recitata: Concluſit, inquam, Cicero, ſuam de animo ſententiam, diuinum illum eſſe: uel etiam deum, iuxta Euripidem. Quod dictum libenter admittit atq; probat, potiſs. quidem, ut, quia de natura animi dicendum ſit, quintam illam ignotam & eximiam eſſe horum perhibeat. Conſolationem autem ſcripſit ipſe ſui, cum mirificis doloribus angeretur ob mortem filiæ ſuæ, imitatus Crantorem Academicum, qui conſolatus eſſet Hippoclem quendam in luctu filij. de qua ipſe Lib. 2. de Diuinatione ita: Nam quid ego de Conſolatione dicam, quæ mihi quidem ipſi ſanè aliquantũ medetur, cæteris item multum profuturam puto. Sequitur obiectio. Intellexit enim Cicero, magnificè quidem hæc dici uerbis, Eſſe deum, mentem ſempiternam, ſolutam, omnia agitantem: ſed requiri ſtatim, Vbi igitur illa, aut cuiuſmodi, cuius q; conſtitutionis ſit. Hæc alia obiectione eludit, in qua eſt bella ſimilitudo oculi, cernentis alia omnia præter ſe. Quæ tamen diligentius intuenti, nõ ap-

pareat fortaſſe idonea, cum corporeum ſit oculus, animus autem corpore uacet: cumq; in animo ea uis ſit, in qua reluceant atq; reſplendeant omnia: interq; illa etiam ipſa, quemadmodum in ſpeculo, nõ ſolum frons & naſus, ſed etiam oculi repræſentantur, ut ſeſe contemplari poſſint. Sequens autem argumentatio eſt firma, de effectis & operibus: quæ nunquam ſine aliqua efficiente ui exiſtunt, ſed autorem neceſſario ſuum habent, & cauſam. Nullius enim rei cauſſa remota, inquit Cicero, reperiri origo poteſt. Quam tra ſtat comparatione: atque occaſione iſta inſerit peramœnam hiſtoriam rerũ cœleſtium, atq; elegantiſſime & cœli totum globum explicat, & de illius diſtinctione quid in terris fiat cõmemorat. De qua, ſi uidetur, paulo copioſius diſſeramus. Hoc mihi gratiſs. inquit ille, futurũ eſt. Nam iucundiſſimæ ſolent mihi interdum incidere cogitationes his de rebus, quæ tamen in harum non perfecta cognitione, uel prope dixerim ignoratione, non poſſunt me uehementer & penitus delectare. Ergo artificium quoddam doctrinæ à me expectas, inquam, & accuratas illas phyſicas diſputationes atq; ſubtiles. Tu uero has aliunde petas cenſeo. Non ego, inquit, iſtas deſidero, ſed quaſi deſcriptionis huius atque deſignationis Ciceronianæ colores à te adhiberi cupio, quibus reddantur omnia clariora, magis q; conſpicua, cum uerbis ipſis illuſtratis, tum rebus explicatis. Conabimur, inquam, facere quod uis. Primum igitur, quod ait uidere nos ſpeciem candoremq; cœli, plane dixit non ſolum eleganter, ſed etiam caute. Negant enim Ariſtotelici, quaſi tincta eſſe cœleſtia corpora qualitatibus quibusdam: neq; eſſe ætheris colorem ullum ſuũ, ſed ſplendorem tantum, & quandam quaſi renidentiam lucis. Quàm celeriter autem conuertatur cœlum (ſic autem nunc uocat extremum & ultimum orbem, qui alios interiores omnes includit) oculis certe non uidemus: quorũdam etiam intelligentia in hoc cæcutijt, qui cœlum ſtare ſuſpicarentur. Illud autem præclarum, quod celeritatem iſtam cogitari poſſe negat quanta ſit. ut fruſtra quæri etiam ſpacium, & magnitudo tantæ molis uideri debeat. Sed quæratur ſanè: neq; ſit hic furor atq; dementia, ut Plinio uidetur: credaturq; una pars ſigniferi, id eſt trecenteſima ſexageſima, habere milies uicies centena ſexaginta M. paſſ. uel ut nunc enunciant Arithmetici, 102600000, cẽties milies bis milies ſexaginta milia. Quo minus intelligi poſſit, conuerſionem illius fieri atq; perfici, ut certum eſſe exiſtimatur atq; deprehenſum, horis non amplius XXIIII. Viciſſitudines autem dierum atq; noctium, nõ modo accipies has ſucceſſiones lucis & tenebrarum, ſed etiam uarietates atq; diuerſitates. Nam ut terra obſtat lumini ſolari in unaquaq; inclinatione ſua,

hoc est respectu quodam ad cœlum: ita alia atq; alia est noctis ratio, itidemq; & diei. Hoc autem ex eo fit, quod Sol alio tempore infra horizontem profundius mergitur, alio ad illum propius quasi innatat. Quod ipsum de signiferi obliquitate usuuenire necesse est. Ideoq; si situm hunc faciamus regionis in terra, ut incolis illius directa in uertices immineat ursa, ubi poli stella notata est, cum in hoc incidat æquinoctialis circulus in horizontem: consequitur, ut quoties sol in arietis & libræ signa ingreditur, neq; nox neq; dies esse uideatur, radente scilicet horizontem sole, absq; & ortu & occasu. Rursum si ursa in horizontem incidat, ut æquinoctialis sit supra uerticem: iisdem temporibus arietis & libræ, ut semper, eadem erunt spacia diurna & nocturna, sed neq; multum tamen reliquorum signorum tempora ab his different. Similis est consideratio commutationis quatuor partium anni: cum prosstitio bruma, pro uere autumnus summittitur, cum aut sol ad nos accedit, aut recedit à nobis: hoc est, illas partes signiferi ingreditur, quibus aut directiores aut obliquiores radios suos nobis immittit. Solstitium autem, nunc quidem annotari solet pr. Id. Iunij: Bruma pr. Id. Decembris: Ver ad VI. Id. Martij: Autumnus pr. Id. Septembris. cum qua ratione exquisitiones mathematicorum uidentur conuenire, de initijs duodecim partiũ signiferi ductis qua & Hipparchus usus traditur. Cum uulgares fasti haberent illa tempora quatuor, designata ad octauas partes signorũ, ut Ver incideret in VIII. Cal. Mart. Solstitium in VIII. Cl. Iunij. Autũnus in VIII. Cl. Sept. Bruma in VIII. Cl. Ianuarij. de quibus facile apparet, ueterem mensium obseruationem cũ hodierna nequaquam conuenire. Illud quidem haud obscurum est, quod dicit non solum ad maturitatem frugum, sed temperationem corporum quoque hanc uarietatem aptam esse. Nam cum eæ qualitates sentiantur in corporibus animantium, quæ temporum illorum: conueniens scilicet est suis quasq; contrarijs misceri atq; temperari, ut in quadam moderatione durare possint. Atq; horum omnium uides solem esse rectorem & effectorem: Luna uero & ipsa quasi socia, & ut Poëtæ aiunt, soror Apollinis, suam habet gubernationem quandam, ea est mensium. Sol enim annum distinguit, Luna menses: quos hoc loco Cicero fastorum appellatione indicat, cum quidem quasi in tabula notatos distinctosq; dies, Calendarium nunc nominant, intelligi uelit. Similiter hoc uerbo usus est, Bruto scribens: Decreui ut in fastis ad cum diem Bruti nomen ascriberetur. Quæ autem de Mensibus hoc loco dicit, referenda ad illam rationem, qua ueteres initium mensis duxere de ortu Lunæ. Ita enim fiet, ut Nonis & Idibus augescens atq; plena Luna reliquis diebus

diebus decrescat, donec prorsus uelut intereat, congressa cum sole. Nam nono die Luna apparebit dimidiato orbe, quæ est διχοτόμος. Idib. autem complebitur, & fiet πανσέληνος. mox nono Cal. decrescens dimidiabitur, atq; ita Calendis interlunium in coitu cum sole illam renouabit. Quod autem dicit, in eodem orbe ferri quinque stellas, eosdem cursus constantiss. seruantes: de planetis, ut Græci uocant, accipiendum. qui tamen, ut Plato ait, falso nomine illas stellas errantes appellarunt. quod & ipse Cicero cum alibi, tum uersibus ita expressit,

Quæ uerbo & falsis Graiorum uocibus errant,
Re uera certo lapsu spacioq; feruntur.

In signiferi autem & hæ orbe feruntur, hoc est sub illo dispares motus conficiunt, cum quidem ea quæ Saturni dicitur annis ferè triginta, Iouis XII, Martis non prorsus duobus, Mercurij & Veneris uno singulæ, suo cursu signiferum peragrent. Quod Cicero, totumq; hunc locum uerbose exposuit, libro secundo de Natura deorum. Eminere quidem terram è mari, consentit cum oculorum iudicio: sed mathematicorum ratio docet, esse terram infimã, atque aquis circumfundi. quod utrunq; ita memorauit in Somnio Cicero quoque. Vnde recitet sanè nobis puer quæ de cingulis narrantur. Nam terram in medio totius mundi, quasi punctum, hoc est tale quiddam, tamq; minutũ esse, ut nulla comparationis ad cœlum illius ratio iniri possit, mathematicis, si uidetur, credamus. Ita, inquit ille. Hoc autem Ciceroni, & ut opinor ueritati, globosam illam & solidam in medio mundi loco fixam, in quam omnia pondera nitantur atq; tendant. sed audiamus Somnium nunc iam. Atq; ita meam demonstrationem secutus puer, hæc nobis recitauit.

Vides habitari in terra raris & angustis locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, uastas solitudines interiectas. Hosq; qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab alijs ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transuersos, partim etiam aduersos stare uobis, à quibus sperare gloriam certe nullam poteris. Cernis autem terram eandem quasi quibusdam redimitam & circumdatam cingulis. E quibus duos max. inter se diuersos, & cœli uerticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina uides. medium autem illum & max. Solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles: quorum australis ille, in quo qui insistunt, aduersa uobis urgent uestigia, nihil ad uestrum genus. Hic autem alter subiectus Aquiloni, quẽ incolitis, cerne quàm uos tenui parte contingat. Omnis enim terra quæ colitur à uobis, angustata uerticibus, lateribus latior, parua quædam insula est,

„ circumfusæ illo mari, quod Atlãticum, quod magnum, quod Oceanum appel-
„ latis in terris: qui tamen tanto nomine, quàm sit paruus, uides.

Hic ego: Tantum nos, inquam, audiuisse sat fuerit. Atque nunc de zonis, siue cingulis, de quibus crebro in scriptis ueterum mentio fit, aliquid dicamus. Ego quidem, inquit ille, sæpe de his audiui nostros magistros copiose disserentes: sed, fatebor enim, nunquam intelligere hanc rem potui. At, inquam, confido te hodierno die intellecturum. Ac notos uersus de his tibi esse scio, cum Maronis, tum Ouidij. Sunt, inquit ille: sed si memoria tenes, uelim etiam à te recitari. Faciam, inquam, ut uis. Nam turpe esset, ut opinor mihi, non meminisse tam insignium locorum apud autores optimos. Tum ego subscriptos uersus pronunciaui, de Georgicis Maronis:

Quinq; tenent cœlum zonæ, quarum una corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igne est:
Quam circùm extremæ dextra læuaq; trahuntur,
Cærulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.
Has inter, mediam'que, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuûm, & uia secta per ambas,
Obliquus qua se signorum uerteret ordo.

Et Ouidij hos:

Vtq; duæ dextra cœlum, totidem'que sinistra
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidem'que plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utranque locauit,
Temperiem'que dedit, mista cum frigore flamma.

Sed & Græci uersus Eratosthenis de his feruntur: quos etiam ipsos, si uoles, hic perscribam. Cumq; magnopere se ille dixisset uelle, tum subiectos uersus in charta exaraui.

Πέντε δ' ἐ οἱ ζῶναι περιηγέες ἐσπείρηνται,
Αἱ δύο μὲν γλαύκοιο κελαινότεραι κυάνοιο,
Ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἔκπυρος, οἷον ἐρυθρὴ
Τυπτομένη φλογμοῖσιν, ἐπεὶ ῥά ἑ μοῖραν ἐπ' αὐτὴν
Κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀεθερέες πυρόωσιν.

Αἱ δὲ

Αἱ δὲ δύω ἑκάτερθε πόλους περιπεπτηῦιαι,
Αἰεὶ κρυαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσι.

Hæc postquam cum illo percurrissem, explicatis quibusdam uerbis, ut quod habitabiles dicerentur κελαινότεραι κύανοιο, innui ceruleam speciem aëris. κύανος enim, colorem significat eum, quem uulgo lazurium: & gemma κύανος, ut uidetur, is est lapis Plinio, quem lazuli uocant. Etsi mirabamur in his, quasi horrorem quendam nubium plagis istis Græcum autorem tribuere: atque Maro uidebatur quasi correxisse hunc, qui fecisset uerticales plagas

Cerulea glacie concretas, & atras imbribus.

ψαφαρὴν autem dicebamus, siccitatem & ariditatem significare torridæ zonæ. Atque ita: Aggrediar, inquam, ad explicandam etiam hanc zonarum rationem, quam quidẽ ab antiquitate rudiore acceptam posteriores studiose custodierunt, quamuis à ueritate remotam esse comperissent. Nunc autem nemo propè tam est indoctus atq; rusticus, quin sciat et ijs in locis quæ frigidis zonis, quæq; combustæ subiecta sunt, frequenter habitari. Quin etiam uia iam illa trita est nauigatione Hispanorum, eius quæ reliquas

Extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.

Hanc etiam nauigatores uiam solis nominant. Sed descriptio zonarum secundum Græciæ horizontẽ, ut Proculus exposuit, talis fuerit. fortuitis enim ductibus linearum hic in mensula depingam, & (ut Geometræ solent) notis insigniam ductus quosq; suis. atque tum subiunctam figuram designauimus.



Nam si arcticus, inquam, circulus describatur, ut absit à polo undiq; senis sexagesimis partibus maximi circuli, ut æquinoctialis est, qui, ut uides, secat sphæram mediam, notatus litera c. si igitur senis sexagesimis, siue partibus 36 de 360, distet arcticus circulus à polo, erit is fermè situs illius, qui repræsentatur hoc, cuius est signum litera a. Solstitij autem circulus, siue æstiuus, inter quem & æquinoctialem intersint partes 24, siue sexagesimæ quaternæ, is qui habet notam literæ b. ita inter arcticum & æstiuum circulum intercident partes 30, siue quinæ sexagesimæ: quibus consummatis, sexagesimæ ter quinæ, siue partes 90 quadrantis confiunt. Atq; ad hos respondent infra ad a & ad b, e & d. & intelligetur zona frigida septentrionalis, spacium quod linea a de sphæra amputat. australis uero frigida, spacium quod similiter infrà linea e abscindit. quæ autem habitatur ab aquilonaribus, spacium inter a b. Sed sub qua australes degunt, spacium d e. Ita erit quinta media torrida, siue combusta, spacium b c d. Quæ quidem ut etiam clariora sint, ducamus etiam lineam significri indicem ab i, in n, per c. In his igitur facile poteris perspicere rationem zonarum, quæ ab usitata hodie sphæræ distinctione non multum differunt. Nam cum & arctici & tropici secundum

dum obliquationem significri describantur, eaq; tradatur ferè esse partium 24. si paulo interius in proposita figura duxerimus arcticos, ut sub f g, iam habituri simus communis modi sphæram. Atq; ita cognitis ijs oris quæ habitabiles sunt secundum ueteres, intelligendum ut in sphondylo, qui effingatur segmento illo globi a b, circumquaq; habitari: itaq; fieri, ut obliqui & transuersi erga se insistant incolæ. Nam (aspice enim nostram picturam) cum hæc quæ descripsimus de globo intelligenda sint, illi qui tenebunt in spacio a b, à tergo sita, hoc est (exempli caussa) opposita notæ b loca, transuersi erunt incolis notæ b. obliqui autem ijsdem illi, qui ad circulum utrinque cõstiterint. ut (notemus enim & hæc literarum figuris) transuersi sint h, obliqui autem i k. aduersi uero in eadem ora sibi nulli, sed incolæ oppositarũ, qui & ἀντίποδες, & ἀντίχθονες, & utrum ne etiam ἀντοῖκοι? sicut ipsæ oræ ἀντίσκιοι, & ut Cicero docuit ἀντιαξονες nominantur à Græcis. ut b l, & d h, itemq; i n, & k m. Hæc, inquit ille, uideor utcunq; intelligere. Sed cur dubitas de antœcis? utrum uerbum nõ placet, an non uidetur hoc de quo usurpasti significare? Recte interrogas, inquam. Nam non uolunt idem significari appellatione τῶν ἀντοίκων & ἀντιποδῶν: & exponunt differentiam inter ἀντοίκους, περιοίκους, & ἀντίποδας. Esse enim ἀντοίκους, qui quidem habitarent in opposita temperata, sub paralle lo contrario, sed in una tamen meridiani circuli dimidiatione, ut b d, & h l. περιοίκους, qui eundem circulum parallelum, sed diuersorum segmenta meridianorum haberent, ut i b k. Antipodas, qui & parallelos contrarios, hoc est æqualibus spacijs ab æquinoctiali recedentes, & opposita hemicyclia unius meridiani possiderent. Hæc & in libello, qui Cleomedis nomine fertur, legimus. & quia explicationem istarum rerum non inutilem complecti uidentur, nequaquam reijcienda sunt. Sed quod in Somnio dicit, eam partem quæ à nobis incolatur, uerticibus angustatam, lateribus latiorem, quasi insulam quandam esse paruam: referendum ad antiquorum geographiam, quæ habitabilem terram & cognitam, Græci οἰκουμένην uocant, Oceano includere, in uno totius globi quadrante, quem Ptolemæus definit longitudine æquinoctialis, ab Atlantico freto usque ad sinum quem Magnum uocat, partibus 180. per quas partes ducto meridiano, absciditur de toto globo quadrans, in quo omnis cognita terra ab illo constituitur. Hicq; ipse erit, ut Strabo ait, dimidiatus sphondylus, & referet chlamydis speciem. Necesse est enim, cum max. circulus sit qui sphæram mediam secat, quo longius ab hoc segmenta abducta fuerint, eo reddi minora: ita superius semper erunt arctiora. Atq; hoc etiam sic contemplare. Sit enim

dimidiatus orbis, a b c. & æquinoctialis notæ, a c. poli, b. ducaturq; ad distantiam ab æquinoctiali partium 24, æstiuus circulus d e. & ab eodem æstiuo superus absit partibus 42 arcticus f g, ut hic undiq; totidē partibus à polo distet, quot ab æquinoctiali æstiuus. tum resecetur, ut nunc me uides facere, arcus f b g. restabit ille dimidiatus sphōdylus, ideſt figura χλαμυδοειδὴς. Rursum cum sit latissima linea æquinoctialis, & supra illam abducta partibus 24 æstiui, breuior sit, cum à maximo circulo in globo recedat: necesse est, ut breuior adhuc, quæ superior, quia recessit scilicet longius donec ita crescentibus numeris recessionis ad uerticem peruentum fuerit, ubi ut in puncto nullum iam spacium magis intelligi potest. inter hæc autem à nobis tales figuræ quædam describebantur.



P. 66

Spacium inter æquinoctialem & arcticum.

σφενδόνη ἡμίτομον, καὶ χλαμυδοειδὴς.

P. 42

f

Spa. inter æstiuū & arcticum zona temperata aquilonaris

P. 24

d e

Spacium inter æquinoctialem & æstiuum. Portio torridæ zonæ.

a c

Tum ego

Tum ego: si tibi, inquam, prolixior fuisse in hac disputatione uideor, uelim ignoscas uel non necessario studio meo hæc penitus explicandi. Sed ueteres qui negarunt sub quibusdam zonis terras incoli, etiam hoc sensisse suspicor: non quidem omnis cultus expertes illas oras esse, sed minus quam reliquas frequentari, uel in his etiam incommodiorem esse habitationem, uel non aptam nobis. uel omnino cum ignorarentur locorum istorum regiones, affirmarunt habitationes ignotas, nullas esse. Tum ille: Idem & mihi uidetur, inquit. Sed quid illud est, quod Maro canit?

Via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum uerteret ordo.

Recordor enim aliquando de hoc in scholis quæri solitum, cum Macrobiana explicatio afferretur. Nihil est, inquam, singulare aut reconditum. Nam de superioribus cognouisti, torridam zonam obliquatione zodiaci describi, quatenus suprà Aquilonem uersus, & infrà uersus Austrum, ab æquinoctiali quatenus suprà Aquilonem uersus, & infrà uersus Austrum, ab æquinoctiali illæ recedit. spacium enim quod est inter tropicum cancri siue æstiuum, & capricorni seu brumalem circulum, torrida zona dicitur. atque illud certe per duas temperatas ductum est, quod sol nunquam excedit. Similiter dixit,

Infert se septus nebula, mirabile dictu,
Per medios.

Ita & nunc nihil aliud significauit Maro, quàm torridam transire siue diuidere, & quasi scindere duas temperatas: quarum una esset suprà ad septentriones, altera infrà ad meridiem. Sic enim pro situ nostrarum terrarum recte dixit. Nam per se quid posit esse in globo, uel suprà uel infrà? Probantur & hæc, inquit, mihi. quare ad reliqua explicanda accedes. Septem igitur, inquam, stellas, ursæ effigiē intelliges: quæ clarissimis lucibus insignis, Plaustrum (ut Homerus ait) cognominatur. Nisi maluerimus de Cynosura accipere, quæ est axi propinquior,

Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto:
Quæ cursu interiore, breui conuertitur orbe,

Vt de Arato Cicero interpretatus est.

Vtriusq; signi & Ouidius elegantibus uersibus Tristium li. 4 mentionem fecit:

Magna minorq; fera, quarum regis altera Graias,
Altera Sidonias, utraq; ficca, rates.

Versus autem, ut solet, Cicero intexuit, de Poēta quopiam. in quibus Incurueſcere, quod uerbum tanquam nouatum in tertio de Oratore notat, aliqui

fecere

fecere Incuruiscere Hoc accipiendum de oleis, quarum ut uini præcipuus usus, ad cultum & cõmoditatem uitæ. Sed perelegans est translatio pubertatis ad uites. ita enim lanugine quadam palmites primum ueluti horridulos fieri, atque ita tenera lanugine similiter albicantes primum pampinos cernimus protrudere. Hoc etiam non dissimulauero, numeros uersus exigere, ut Scatere penultima correpta proferamus: cum uideatur illa syllaba producenda, ut in Olere, quod & ipsum apud Plautũ corripitur: & Fœtere, & Nitere. Quod autem sequitur, Hominemq; ipsum quasi contemplatorem cœli ac deorum, ipsorumq; cultorem: Socraticum est, & disputatum copiose in secundo libro de Natura deorum. Atq; hoc ueteres sapientes in figura hominis argumentum fecere prouidentiæ diuinæ, quæ illum ad celestes considerationes creasset. Nam, ut Ouidius ait,

Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere
Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus.

» Et Cicero in libro paulo ante indicato, idem exposuit his uerbis: Quæ pri-
» mum eos humo excitatos, celsos & rectos constituit, ut deorum cognitio-
» nem cœlum intuentes capere possent. Sunt enim ex terra homines non ut in-
» colæ & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atq; cœlestium,
» quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantum pertinet. Idem dicitur à Xenophonte libro primo dictorũ memorabilium Socratis. Ac miror Galenum, hominem doctum & disertum, non cauisse, quo minus hanc ueterum pietatis & prudentiæ interpretem sententiam penè malitiose reprehendere uideretur. Cur enim illi non placuit? talem aspectum tributum homini, quo posset intuens illam ætheris iucundissimam lucem, dicere Græcum uersum quem commemorat ipse, ἀνταυγέωκεν ὄλυμπον, ἀταρβέτοισι προσώποις. Qui (inquit, ubi explicat functiones membrorum humanorum) existimant hominem rectum consistere eam ob caussam, ut cœlum intueri melius posset, ij, ut opinor, nunquam piscem uidere qui οὐρανοσκόπος uocatur. Hic enim uelit nolit cœlum intuetur: hominem autem si contemplari illud uelit, collum retorquere necesse est. Egregie dictum. Nam & homines contendere arcũ & dirigere oculis manuq; sagittam oportet, cum hystrix de cute subito tela eiaculetur in persequentes. Et ille uranoscopus, siue callionymus piscis, nisi in terra forte etiam ut phocæ pascitur, mare potius contemplatur quàm cœlum: & si forte demersit caput, oculo quod in hoc habet, litus credo aspicit. Cur autem non possunt obsecro homines cœlum nisi reflexa ceruice contueri, cum ad omnem prospectum illud sit apertum & conspicuum? Sed malui fortasse

fortasse Medicus iste, fabricam hominis nescio cuius naturæ opificis potius dici, quàm Dei. Hunc ergo cum nimia sapientia dimittamus, & moderatam atq; piam ueterum sapientiam libenter amplectamur. Sed Cicero nunc deinceps post illam copiosam commemorationem cœlestium terrenarumq; rerũ, & historiam quandã naturæ, quid effici uelit subiungit. Estq; orationis principium, à fine abductum longius, ὑπέρβατον Græci nominãt. Quod cum fit uitandæ obscuritatis gratia, quæ nasci solet de uerbosiore interpositione, prima repetuntur, & notantur aliqua conueniente particula: ut, Igitur, ergo, inquam. Quod autem de hac naturæ consideratione intelligi uult Cicero, duplex est: aut fabricatorem esse omnium Deum, aut saltem gubernatorem. Quod si Deus uniuersitatem rerum ipse condidit, administret scilicet & cõseruet necesse est. Atq; hoc Platonicum: apud quem Timæus, opificem ædificatoremq; mundi Deum introducit. Aristoteles mũdum principio carere, neque interiturum esse, ut alia, collegit uersutius. Quid enim aliud hoc sit? Mundum aliquando non fuisse: quàm fuisse tempus, cum tempus non esset. Qui autem dicit, aliquando cœpisse mundum esse: is etiam hoc ait, quodam illum tempore non fuisse. Sed tempus nisi de motu conuersionis cœli nullum constitui potest. Quomodo igitur fuit hoc, priusquam illud existeret? Relinquitur igitur secundum Aristotelem, & sempiternum hoc, & mundum ἀίδιον: neque initium aut finem esse amborũ. Ita ferè, ut recordari uideor, se habet una quædam ratio Aristotelica, uersutior, ut dixi, atq; penè addideram hoc, malitiosior. Nam planè etiam Deum ipsum, quem sæpe uerbis splendide confirmat, hæc tollere atq; euertere uidetur. Quem enim possumus alium iam cogitare Deum, nisi mundum ipsum? si est æternus. Dei enim notio, est æternitatis & immortalitatis, ἀίδιον ἰόντος & ἀεγενήτου, iuxta Homerum. Atq; hoc sensisse quidem Aristotelem ueri simile fit. sed calliditate uerborum sententiarumq; inuoluisse, atq; uitasse explicationem ubiq; apparet propè de industria, cum alia alibi arte, tum etiam illo solito perfugio, Esse de his aliam disputationem, aut alio loco dicendum. Sed nos institutum prosequamur. Similitudo igitur hæc est, ut Deum de effectis operibus esse cognoscimus, ita & animum.

Hoc loco perturbatior, inquit ille, uidetur esse uerborum ordo. Animaduertisti? inquam. Atq; est ita hic quidem, sed tu ad superiora huius generis, quæ temere reprehendi quasi inconsequentiæ nomine ostendimus, hunc etiam locum, si uidebitur, adscribes. Quid autem in re est quæso obscurum? Verba quidem fortasse ad grammaticas præscriptiones non conueniunt: quã quam haud scio, an ad illas quoq; sed omittamus. Summa certe & compositionis

tionis est elegantia, & intelligentiæ lux. Nam pronunciet quæsoit-
rum puer.

Sic mentem hominis, quamuis eam non uideas, ut Deum non uides, tamen ut Deum agnoscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum, & inuentione, & celeritate motus, omnique pulchritudine uirtutis, uim diuinæ mentis agnoscito.

Quid igitur habet hoc incõmoditatis, si superiora quasi hærentia relinquit, stabiliuit autem fine periodi? Adiuuanda hæc sunt, & fulcienda, ut sustinere præceptiones Grammaticorum possint, apud pueros scilicet. Doctis autem hæc etiam negligentia propemodum quædam admirabilis est. Sed resumo, ut uideo, superiora, quæ uix tandem finieramus. Agamus igitur hoc potius. In capite mentem placet Ciceroni collocatam esse. Etiam hoc Platonicum: acceptum, ut uolunt, à Pythagora. Visum autem hoc aptissimum ad quandam ueluti præsidentiam, summum locum & tanquam arcem tenere mentem. Quod mox sequitur: Quæ est natura Dei propria, puto & sua. Recedere uidetur de præceptis Laurentianis, qui, ut meminisse te arbitror, in hoc Virgiliano subijcit, quid autor facere uel uoluerit, uel debuerit,

Nanq; suam patria antiqua cinis ater habebat.

Li.2. » *Cui hoc planè simile, et item alia apud Ciceronem. ut de Diuinatione: Sole-*
» *bat ex me Deiotarus percontari nostri augurij disciplinam, & ego ex illo*
Li.9. » *sui. Et Attico: Odi hominem, & odero. Vtinam ulcisci possem. Sed illum ul-*
» *ciscentur mores sui. Et Octauio: Cur aut ingratus crudeliter, aut immemor*
» *beneficij sui, scelerate circumscribis senatum?*

plumbei.

Quæ mox de animis dicit manifesta esse omnibus, nisi qui sint planè in physicis plumbei (qua translatione inertes & rudes significantur, atq; ingenio nullo præditi. id quod puerum discere oportet: te enim non fugit.) Illa igitur de animis contra Epicureos Cicero affirmat, qui horum esse uellent de quatuor naturis quoddam corpus compositum. Quamuis & Stoici corporeos facere uideantur, componentes de aëre & igne. Sed nulla ratio patitur, ut perhiberi corpus unum in altero sic includi, ut unam naturam siue οὐσίαν efficiat. Commisceri quidem illa & quasi confundi solent inter se, ut fiat alia corporea natura non simplex, neq; incomposita: sed diuersa integra corpora duo aut plura unum esse quiddam, intelligi non potest. Quod autem omnia corporea composita sint, probat de contraria constitutioni dissolutione.

Nam

Nam quæ intereunt, dissoluuntur: ergo origo est de compositione. Qui naturam esse quandam animi, & partem corporis diceret manifeste & planè, Epicurus repertus est. Multi de corporis cõsentanea quasi temperatione exisistere animum, ut concentum de neruis aut odorem unguẽti credidere: his scilicet euanescit animus, corpore dissoluto. Sed quicunq; & naturam huius, & diuersum à corpore esse uoluere, incorporeum necessario fecerunt. Quæ quidem hactenus nos attigisse, fortasse non alienum, neq; contrarium tibi fuerit. Procedat igitur lectio, si uidetur. Atque illo imperante, puer deinceps hæc pronunciauit.

His & talibus rationibus adductus Socrates, nec patronum quęsiuit ad iudicium capitis, nec iudicibus supplex fuit: adhibuitq; liberam contumaciam à magnitudine animi inductam, non à superbia. Et supremo uitæ die de hoc ipso multa disseruit: & paucis antè diebus, quum facile posset educi è custodia, noluit. Et quum penè manu iam mortiferum teneret poculum, loquutus ita est, ut non ad mortem trudi, uerũ in cœlum uideretur ascendere. Ita enim censebat, itaq; disseruit: duas esse uias, duplicesq; cursus animorum è corpore excedentium. Nam qui se humanis uitijs cõtaminassent, et se totos libidinibus dedidissent, quibus cæcati, uel ut domesticis uitijs atque flagitijs se inquinassent, uel in rep. uiolanda fraudes inexpiabiles concepissent, ijs deuium quoddam iter esse, seclusum à cõsilio deorũ. qui autem se integros castosq; seruassent, quibusq; fuisset minima cum corporibus contagio, se seq; ab his semper seuocassent, essentq; in corporibus humanis uitam imitati deorum: his ad illos à quibus essent profecti, reditum facilem patêre. Itaq; commorat, ut cygni, qui non sine caussa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo diuinationem habere uideantur, qua prouidentes quid in morte boni sit, cum cantu et uoluptate moriantur: sic omnibus & bonis & doctis

esse faciendum. Nec uero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod ijs sæpe usu uenit, qui cum acriter oculis deficientem solem intuerẽtur, ut aspectum omnino amitterent: sic mentis acies se ipsam intuens, non nunquam hebescit. Ob eamq; caussam contemplandi diligentiam amittimus. Itaq; dubitans, circumspectans, hæsitans, multa aduersa reuertens, tanquam in rate in mari immenso nostra uehitur oratio. Sed hęc et uetera, & à Græcis. Cato autem sic abijt è uita, ut caussam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare. Quum uero caussam iustam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: nę mediusfidius uir sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit. Nec tamen illa uincula carceris ruperit (leges enim uetant:) sed tanquam à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo euocatus atque emissus exierit. Tota enim Philosophorũ uita, ut ait idem, commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, quum à uoluptate, id est à corpore: quum à re familiari, quæ est ministra & famula corporis: quum à rep. quum à negocio omni seuocauimus animum? quid inquam tum agimus, nisi animum ad se ipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximeq; à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animũ, nequicquam aliud est, quàm emori discere: quare hoc commentemur, mihi crede, disiungamusq; nos à corporibus: id est, consuescamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti uitæ simile: & quum illuc ex his uinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. (Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt,

fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediũtur, ut hi qui ferro uincti multos annos fuerunt) quò cum uenerimus, tum denicq; uiuemus. Nam hæc quidem uita mors est: quam lamẽtari possem, si liberet. A. Satis tu quidem in consolatione es lamentatus. quam cũ lego, nihil malo quàm has res relinquere: his uero auditis, multo magis. M. Veniet tempus, & quidem celeriter: & siue retractabis, siue properabis: (uolat enim ætas.) Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum uidebatur, ut uerear ne homini nihil sit nõ malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius. A. Siquidẽ uel dijs ipsi, uel cũ dijs futuri sumus. M. Quid refert? Assunt enim qui hæc non probent. Ego autem nunquam ita te in hoc sermone dimittam ulla uti ratione, ut mors uideri malum possit. A. Quî potest, cum ista cognouerim? M. Quî possit rogas? Cateruæ ueniunt contradicentium, non solum Epicureorum, quos quidem nõ despicio: sed nescio quomodo doctiss. quisq; contemnit, acerrimè autem deliciæ meæ Dicæarchus contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit, qui Lesbiaci uocãtur, quod Mitylenis sermo habetur: in quibus uult efficere, animos esse mortales. Stoici autem usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper negant. Num uis igitur audire, quur etiamsi ita sit, mors tamẽ non sit in malis? A. Vt uidetur, sed me nemo de immortalitate depellet. M. Laudo id quidem, & si nihil nimis oportet confidere. Mouemur enim sæpe aliquo acute concluso, labamus, mutamusq; sententiam clarioribus etiam in rebus. In his enim est aliqua obscuritas. Id igitur si acciderit, simus armati. A. Sanè quidem: sed ne accidat, prouí-

debo. M. Nunquid igitur est causſæ, quin amicos noſtros Stoicos dimittamus? eos dico, qui aiunt animos manere, è corpore quum exceſſerint, ſed nõ ſemper. A. Iſtos uero, qui quod tota in hac cauſſa difficillimũ eſt, ſuſcipiant, poſſe animum manere corpore uacantem: illud autem, quod non modo facile ad credendum eſt, ſed eo conceſſo quod uolunt, conſequẽs, id certe non dant, ut cum diu permanſerit, ne intereat.

M. Bene repræhendis, & ſe iſto modo res habet. Credemus igitur Panætio, à Platone ſuo diſſentienti, Quem enim omnibus locis diuinum, quem ſapientiſſimum, quem ſanctiſſ. quem Homerum Philoſophorum appellat, huius hanc unam ſententiam de immortalitate animorum non probat. Vult enim, quod nemo negat, Quicquid natum ſit interire. Naſci autem animos, quod declaret eorum ſimilitudo, qui procreantur: quæ etiam in ingenijs, non ſolum in corporibus appareat. Alteram autem affert rationem, nihil eſſe quum doleat, quin id ægrum eſſe quoque poſſit. quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem animos, ergo etiam interire. Hæc refelli poſſunt, ſunt enim ignorantis, quum de æternitate animorum dicatur, de mente dici, quæ omni turbido motu ſemper uacet: non de partibus his, in quibus ægritudines, iræ, libidinesq; uerſentur, quas is contra quem hæc dicantur, ſemotas à mente & diſcluſas putat. Iam ſimilitudo magis apparet in beſtijs, quarum animi ſunt rationis expertes, hominum autem ſimilitudo in corporum figura magis extat, & ipſi animi, magni refert quali in corpore locati ſint. Multa enim è corpore exiſtunt, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant. Ariſtoteles quidem ait, omnes ingenioſos melancholicos

melancholicos eſſe, ut ego me tardiorẽ eſſe non moleſte feram. enumerat multos: idq; quaſi conſtet, rationem cur ita fiat, affert. Quod ſi tanta uis eſt ad habitũmentis in his, quæ gignuntur in corpore: ea ſunt autẽ, quæcunq; ſunt, quæ ſimilitudinem faciãt: nihil neceſſitatis affert, cur naſcatur animi ſimilitudo. Omitto ſimi litudines, uellẽ adeſſe poſſet Panętius: uixit cũ Aphricano: quærerem ex eo, cuius ſuorum ſimilis fuiſſet Aphricani fratris nepos, facie uel patris. *iſte omnium perditorum ita ſimilis, ut eſſet facile teterrimus. Cuius etiam ſimilis P. Craſſi ſapientis & eloquentis, & primi hominis nepos, multorum´que aliorum clarorũ uirorum (quos nihil attinet nominare) nepotes & filij. Sed quid agimus? oblitine ſumus, hoc nunc nobis eſſe propoſitum, cum ſatis de æternitate dixerimus, ne ſi interirent quidem animi, quicquam mali eſſe in morte? A. Ego uero memineram, ſed te de æternitate dicentem, aberrare propoſito facile patiebar.

* uita

Conquieſcat nunc pauliſper, inquam, lectio. Animaduerteram enim STIBARO eam uiſam longiuſculam. Ac nunc deinceps quaſi cauſſa acta immortalitatis, totam illã concludit, & finit illuſtri ueluti aduocatione eorũ, qui in eadẽ opinione præcipue fuerint. De Socratis autẽ animi magnitudine in mortę contemnẽda, expoſuit eleganter Cicero hiſtoriã in primo libro de Oratore, quem locum recitatum, petente STIBARO, hic etiam aſcripſimus.

Imitatus eſt homo Romanus ueterem Socratem, qui cum omnium ſapientiſſimus eſſet, ſanctiſſimeq; uixiſſet, ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, ut non ſupplex aut reus, ſed ut magiſter aut dominus uideretur eſſe iudicum. Quin etiam cum ei ſcriptã orationem diſertiſs. orator Lyſias attuliſſet, quã ſi ei uideretur ediſceret, ut ea proſe in iudicio uteretur, nõ inuitus legit, & cõmode ſcriptã eſſe dixit. ſed, inquit, ut ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamuis eſſent abiles & apti ad pedem, quia non eſſent uiriles: ſic illam orationem diſertam ſibi & oratoriam uideri, ſortem & uirilem non uideri. Ergo ille quoq; damnatus eſt, neque ſolum primis ſententijs, quib. tantũ ſtatuebãt iudices, dãnarẽt an abſoluerẽt: ſed etiã illis, quas iterũ legibus

» legibus ferre debebant. Erat enim Athenis reo damnato, si fraus capitalis
» non esset, quasi pœnæ æstimatio. Ea sententia cum iudicibus daretur, interro-
» gabatur reus, quam quasi æstimationem commeruisse se maxime confiteretur. Quod cum interrogatus Socrates esset, respondit sese meruisse, ut am-
» pliß. honoribus & præmijs decoraretur, & ut ei victus cotidianus in Prytaneo publice præberetur, qui honos apud Græcos maximus haberetur. Cu-
» ius responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent.

De his facile intelligis, quid hoc sit quod Cicero ait, Nec patronum quæsiuit ad iudiciũ capitis, nec iudicibus supplex fuit. οὐκ ἀνυβαλιαζόμενος, ut ait in Apologia Platonica, sed animo fõrti atq; excelso. Cui cũ Crito familiaris & auditor eius, non solum suas facultates, sed amicorum etiam suorum copias offerret, etiam ostenderet nihil esse facilius quàm illum de custodia eripi: constantißime in hoc perseuerauit, ut mortem oppetere uellet, neq; committere ut legibus uiolatis iniustus uideretur: quod in Critone Platonico uerbose exponitur. Alia sunt in Phædone, ubi Socrates, ut notum est, hausto ueneno moritur, quod cygnos Apollini dicatos, ob diuinationem quam ab illo habere uideantur, ait, Apud Platonem ita est:

ἀλλ' ἄτε οἶμαι τῶ ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τε εἰσὶ, καὶ πρὸ τοῦ ἀπ-
ὸντες τὰ ἐν ἅιδου ἀγαθά, ἄδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν
ἡμέραν διαφερόντως, ἢ καὶ τῶ πρόσθεν χρόνω.

Cygnum autem Latini olorem dixere. huius fabulosum cantum esse, Plinius compertum scribit: & Luciani de hoc extat Sermunculus. Sed fabulæ regem Ligurum, Stheneli filium, hoc nomine ad ripas Eridani fluuij in auem hanc conuersum tradunt, ut & Maro Aencidos X.

Namq; ferunt luctu Cygnum Phaëtontis amatum,
Populeas inter frondes, umbramq; sororum,
Dum canit, & mœstum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras, & sidera uoce sequentem.

Quod mox dicitur Multa aduersa reuertens: ita numerose cadit, ut pars de aliquo uersu esse uideatur. Elegãti autem translatione est usus nauigationis. quo quidem loco Nostra uehitur ratio, ut opinor, nõ Oratio legendũ. Non autem concessum esse homini, ut sibi ipse manus uiolentas afferat, Platonicus Phædon dupliciter ostendit. Primum, quod animus quasi in custodia corporis asseruetur in hac uita: quod tamen non explicat. Altera ratio est, Deorũ homines

homines esse quasi mancipia. Sed hæc in potestate dominorum ita sunt, ut ne suum quidem in corpus ius obtineant, ut queritur seruulus apud Aristophanem. Quare neminem oportere censet seipsum interficere, priusquam Deus necessitatem alicui quandam obtulerit, ut tum Socrati fuerit oblata. Commentationem mortis esse Philosophorum uitam, Plato sic:

τῶ ὄντι ἄρα οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι,
καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστα αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν. & paulo
ante: κινδυνεύουσι γάρ, ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἀπτόμενοι φι-
λοσοφίας, λελῆθέναι τοὺς ἄλλους ὅτι οὐδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύ-
ουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε, καὶ τεθνάναι.

Sed & ea ferè quæ sequuntur, de Platone transtulit atq; excerpsit Cicero noster. Ac illam superiorem similitudinem intuentium solem deficientẽ, indidem sumsit: sed Plato longe aliter quàm Cicero usurpauit. Verum hæc tam diligenter nos exquirere, te non uelle existimo. Neq; sanè nolo, inquit ille: Sed pergamus. Ego quidem, inquã, turbatam animaduerti præ notationem personarum hoc loco, unde oratio etiam ipsa lædi uideretur.

Atque his dictis, quo pacto ordinari placeret demonstrauimus ita quidẽ, ut describi curauimus. Post hæc: Dicæarchus, inquam, cuius & superius meminit, Mamertinus, & Aristotelem audiuisse, & in mathematica præcipue doctus fuisse perhibetur. hunc & Attico scribens, magnum hominem uocat. Lib. 2. Iam Mitylenem fuisse Lesbi insulæ urbem, notum est: quo nunc etiã corrupto quidem nomine insula illa appellari solet. Stoici fecere animũ corpus. compositum enim uolunt esse, de igne & aëre: ut sit πνεῦμα θερμόν. Itaque dissoluatur necesse est. Sed hoc iuxta illos usu uenit cito imbecillis animis, cum ualidi & robusti ad illam ab ipsis iactatam ἐκπύρωσιν reseruari interdum soleant. Hoc sensisse & Hesiodum quidam suspicati sunt, cum ætates animantum definiret, animi naturam nympharum nomine significans. Græci uersus hi sunt.

Ἐννέα τοι ζωὴ γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων, ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος,
Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεσκε, αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τοὺς κόρακας, δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς φοίνικας,
Νύμφαι εὐπλόκαμοι κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο.

Loquuntur enim hæc apud illum, ut apud Plutarchum legimus, Nymphæ. περὶ τῶν ἐκ λειποτόκων χρησμῶν. Sed quæsitum, quàm longa illa sit ætas iuuenũ. Ac fuere qui uellent esse

annorum XXX. qui numerus annorum & Herodoto τὸν γενεὰν conficit: a
tres ætates centum annis constent. Alij sæculum maluerunt, id est annos C
& præterea octo. nam hoc esse spacium, quod hominis uita conficere posit.
cuius dimidium esset LIIII, numerus constitutus de unitate quasi mare, &
1. dyade ueluti femina: tum de planis numeris primis duobus, 3 & 4. deinde
2. 3. de quadratis totidem, 4 & 9. postremo de totidem cubis, 8 & 27. qui & ad
4. 9. originem animi à Platone colligerentur. Sed hi legere in uersibus Hesiod
8. 27. non ἡβώωντας, sed γηράντας. Maro, uel quisquis interpres fuit, explicauit re
5 4. proposita hominis ætate annorum XCII, his uersibus:

Per binos decies q; nouem superexit in annos,
Iusta senescentum quos implet uita uirorum.
Hos nouies superat uiuendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis sæcula ceruus.
Alipedem ceruum ter uincit coruus, & illum
Multiplicat nouies phœnix, reparabilis ales,
Quam uos perpetuo decies præuertitis æuo
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima uita est.
Hi cohibent fines uiuacia fata animantum,
Cætera secreti nouit Deus arbiter æui.

Sed nimia quanta summa annorum de his exire prudentioribus uisum. ita q
ætatis nomine annum intellexere, ut esset uita longiss. Nympharum annoru
nouies milium septingentorum & uiginti. cum quibus si iam alias summas
multiplicemus, quantum immensitatis exiturum sit, facile potes animadver
tere. hi autem ætatem sic accepere, ut unum esse numerum, & eadum uim di
cimus: ipsum quod metimur, non quo metimur. Verum de his quisq; sentiat,
quod uoluerit. Amicos suos Stoicos uocat, quorum autoritatem cum ali
bi se libenter sequi ait, tum in libro de Officijs primo. Iam illa distinctio
animæ in mentem, siue rationem immortalem, & duas illas mortales par
tes quæ perturbarentur quasi morbis quibusdam iracundiæ & libidinum,
uulgo nota est de Timæo: sicut & assignatæ singulis sedes, & uelut domici
lia quædam. ut mens in capite tanquam regina præsideret: propè autem, sed
interuallo tamen quodam adesset in pectore iracundiæ uis, tanquam ad impe
rium illius accipiendum: inferius autem sicuti ad præsepe alligarentur libi
dines, seu cupiditates. Non autem dubium est, quin pro constitutione corpo
ris ingenia etiam tẽperari soleant. Itaque multum momenti est ad uirtutem

positum

positum in educatione, & ipso uictu atque cultu corporis. Neque enim non
morbos quosdam mentem ipsam peruertere uidemus: neq; tantummodo cor
poris caussa, sed etiam quo acriores animi redderentur, uino lauasse paruu
los infantes Spartanas mulieres accepimus, non aqua. Itaque Cicero in secun
do libro de Natura Deorum sic ait: Etenim licet uidere acutiora ingenia, & « ὅτι τὰ τῆς ψυ
ad intelligendum aptiora, eorum qui terras incolant eas, in quibus aër sit pu « χῆς ἤθη ὑπε
rus ac tenuis: quàm illorum qui utantur crasso cœlo, atque concreto. Quin « ται τῇ τοῦ σώ
etiam cibo quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem putant. Et Ti « ματος κράσει.
mæus docet, humores corporis prauos undique animum perturbare, atq; af τεμάχιτ. ἀ.
ficere ægritudine, inconstantia, audacia, formidine, obliuione, inertia. Vt in
uita malorum omnium potius autores parentes, quàm nati: & nutricij ma
gis, quàm alumni existimandi esse uideantur. Galenus etiam libellum edidit,
in quo ostendere uoluit, mores esse consentaneos cõstitutioni corporis. De
Melancholicis disputatio est Aristotelis in Problematis copiosa. Quo qui
dem loco omnia illa, quæ fiant ad eximium quendam modum in uita, ad hu
ius humoris incalescentis effectionem retulit, qui & grauior & intelligen
tiæ propinquior sit. Sequitur confutatio similitudinis. Panætium Stoi
cum Philosophum cum Africano uixisse, sæpe Cicero dicit. manifestum au
tem est, Africanum minorem significari: cum constet, auditores Panætij fuis
se Fannium, generum Lælij: et Tuberonem, qui in illam maioris Africani æ
tatem nequaquàm incidunt. Sed & Gelius reprehendit cuiusdam indocti
sermonem, quo Panætius cum superiore Africano uixisse perhiberetur. In
quo tamen aliquando, non immerito, nisi fallor, dubitationem nobis incussit,
quod idem Cicero in Academicis ait: P. autem Africani historiæ loquantur, «
in legatione illa nobili, quam ante censuram obijt, Panætium unum omnino «
comitem fuisse. Neque enim minoris Africani ulla legatio, quod sciam, ce «
lebratur: neque de censura huius historiæ loquuntur. Sed, ut opinor, omnia
explicari à nobis non oportet. Quare de illis Africani, atq; Crassi, quem ali
bi & eloquentis & iurisperiti appellationibus ornat, nepotibus quæ In Bruto.
ramus & ipsis amplius. Ita sanè, inquit ille. Vt enim hæc scire lau
dabile & pulchrum, ita nesciri admodum tolerabile esse duco. Ita qui
dem, inquam: si inertiam & socordiam nostram, quo minus scirentur, in caus
sa non fuisse constet. Ergo per se non magni hæc facis, inquit. Nequa
quam contemno equidem ista ego, inquam. Habet enim cognitio quarum
cunque rerum, etiam leuium, atque (ut ita uocem) futilium delectationem, &
opinionẽ affert eruditionis. Vt etiam suis illius, quæ Erymanthij (ut opinor)

apri mater fuisset, nomen tenere, Phæa autem traditur appellata: & colle-
gisse aliquot filiarum Danai nomina, non iniucundum esse posit. Sed in his
curiose uersari cogitando atque inquirendo, neque necessarium, neque gra-
tatis doctrinæ esse iudico. Vera, inquit ille, uel certe ualde probata mihi
loquere. Sed procedat lectio iam. Atque tum postea puer amplius hæc
percensuit.

M. Video te alta spectare, & uelle in cœlum migra re. Spero fore, ut contingat id nobis. Sed fac, ut isti uo lunt, animos non remanere post mortem, uideo nos, si ita sit, priuari spe beatioris uitæ. Mali uero quid affert ista sententia? Fac animum interire ut corpus, num igi tur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus, in corpore est? Nemo id quidem dicit, & si Democritum insimulat Epicurus, Democritici negant. Ne in ani mo quidem igitur sensus remanet, ipse enim nusquā est. Vbi igitur malum est? quoniam nihil tertium. An quoniam ipse animi discessus à corpore, non fit sine dolore? Vt credam ita esse, quàm est id exiguum? & falsum esse arbitror, & fit plærunque sine sensu, non nunquam etiam cum uoluptate. Totumq; hoc leue est, qualecunque est. Fit autem ad punctum tempo ris. Illud angit, uel potius excruciat, discessus ab om nibus his quæ sunt bona in uita. Vide ne à malis dici uerius possit. Quid ergo nunc lugeam uitam homi num? uere & iure possim. Sed quid necesse est? quum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, ui tam etiam efficere deplorando miseriorem? Fecimus hoc in eo libro, in quo nosmetipsos quantum potui mus, cōsolati sumus. A malis igitur mors abducit, nō à bonis. Verum si quærimus, hoc quidem à Cyrenai co Hegesia sic copiose disputatur, ut is à rege Ptole mæo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod multi

multi his auditis mortem sibijpsi consciscerēt. Calli machi quidem epigramma in Ambraciotam Cleom brotum est, quem ait, quum nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro. Eius autem quem dixi Hegesiæ liber est ἀποκαρτερώτατος, quod à uita quidam per inediam discedens, reuocatur ab amicis, quibus respondens uitæ humanæ enume rat incommoda. Possem id facere, & si minus quàm il le, qui omni no uiuere expedire nemini putat. Omitto alios, etiam ne nobis expedit, qui & domesticis & fo rensibus solatijs ornamentisq; priuati, certe si ante ob issemus, mors nos à malis, non à bonis abstraxisset. Sit igitur aliquis qui nihil mali habeat, nullum à fortuna uulnus acceperit. Metellus ille honoratus quatuor fi lijs: at quinquaginta Priamus, è quibus decem & se ptem iusta uxore nati, in utroque eandem habuit for tuna potestatem, sed usa in altero est. Metellum enim multi filij, filię, nepotes, neptes in rogum imposuerūt: Priamū autem tanta progenie orbatum, cum in arā confugisset, hostilis manus interemit. Hic si uiuis fi lijs, incolumi regno occidisset, astante ope Barbarica, tectis cælatis laqueatis, utrum tandem à bonis an à ma lis discessisset? Tum profecto uideretur à bonis. At cer te ei melius euenisset, nec tam flebiliter illa canerētur,

Hæc omnia uidi inflammari,
Priamo ui uitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

Quasi uero ista uel quicquam tum potuerit ei melius accidere. Quod si antè occidisset, tum euentum omni no amisisset: hoc autem tempore sensum malorum a misit. Pompeio nostro familiari cum grauiter ægrota ret Neapoli, melius est factum, coronati Neapolitani

fuerunt, nimirum etiam Puteolani, uulgo ex oppidis publice gratulabantur: ineptum sane negocium, & Græculum, sed tamen fortunatum. Vtrum igitur si tum esset extinctus, à bonis rebus an à malis discessisset? Certe à miseris. Non enim cum socero bellum gessisset, non imparatus arma sumpsisset, non domum reliquisset, non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in seruorum ferrum & manus incidisset, non liberi defleti, non fortunæ omnes à uictoribus possiderentur. Qui si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione uitę quot, quantas, q̃ incredibiles hausit calamitates? Hæc morte effugiuntur, etiam si non euenerint, tamen quia possunt euenire. Sed homines ea sibi posse euenire non cogitãt. Metelli sperat sibi quisque fortunã, perinde quasi aut plures fortunati sint quàm infelices, aut certe quicquam sit in rebus humanis, aut sperare sit prudentius quàm timere. Sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte priuari: ergo etiam carere mortuos uitæ cõmodis, idq; esse miserum, certe ita dicant necesse est. An potest is qui non est, re ulla carere? Triste enim est nomen ipsum carendi, quia subijcitur hæc uis, habuit quis, nõ habet, desiderat, requirit, indiget: opinor hæc incommoda sunt carentis. Caret oculis odiosa cæcitas, liberis orbitas. Valet hoc in uiuis: Mortuorum autem non uitæ modo cõmodis, sed ne uita quidem ipsa quisquam caret. De mortuis loquor, qui nulli sunt. Nos qui sumus, num aut si cornibus caremus, aut pennis, sit qui id dixerit? certe nemo. Quid ita? Quia cum id nõ habes quod tibi nec usu nec natura aptum sit, non careas etiam si sentias te non habere. Hoc premendum etiam atque etiam est argumentum, confirmato

mato illo, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur. Hoc igitur probe stabilito & fixo, illud excutiendum est, ut sciatur quid sit carere, ne relinquatur aliquid uel suspicionis, uel erroris in uerbo. Carere igitur hoc significat, egere eo quod habere uelis. Inest enim uelle in carendo: nisi cum sic tanquam in febri, dicitur alia quadam notione uerbi. Dicitur etiam alio modo carere, cum aliquid non habeas & non habere te sentias, etiã si id facile patiare. Carere enim in malo non dicitur, non enim esset dolendum. Dicitur illud bono carere, quod est malum. Sed ne uiuus quidem bono caret, si eo non indiget. Sed in uiuo intelligi tamen potest regno carere. Dici autem hoc in te satis subtiliter nõ potest, posset in Tarquinio, cũ regno esset expulsus. At in mortuo ne intelligi quidem potest. Carere enim sentientis est: nec sensus in mortuo, ne carere quidem igitur in mortuo est. Quanquã quid opus est in hoc philosophari, cum rem non magnopere egere philosophia uideamus? Quoties non modo ductores nostri, sed uniuersi etiam exercitus ad non dubiam mortem cucurrere? Quæ quidem si timeretur, non L. Brutus, arcens eum reditu Tyrannum, quem ipse expulerat, in prælio concidisset. Non cum Latinis decertans pater Decius, cum Hetruscis filius, etiam cũ Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent. Non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania uidisset, Paulum & Geminum Cannæ, Venusia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum. Nunquis horũ miser hodie? ne tum quidem post spiritum extremũ. Nec enim potest esse miser quisquã, sensu peremto.

A. At

A. At ipsum odiosum est, sine sensu esse. M. Odiosum, si id esset carere. Cum uero perspicuum sit, nihil posse in eo esse, qui ipse non sit: quid potest esse in eo odiosum, qui nec careat, nec sentiat? Quanquam hoc quidem nimis sæpe, sed eo quod in hoc ineſt omnis animi contractio ex metu mortis. Qui enim satis uiderit, quod est luce clarius, animo & corpore consumto, totoq; animante deleto, & facto interitu uniuerso, illud animal quod fuerit, factum esse nihil: is planè perspiciet, inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit, & regem Agamemnonem, nihil interesse: nec plurimis nunc facere M. Camillum hoc ciuile bellum, quàm illo uiuo ego fecerim Romam captam.

Hunc ad locum cum esset peruentum, interpellans lectionem STIBARVS, quod diceret sibi ualde longam uisam: Te quoq;, inquit, iam interfari aliquid oportet. Primum igitur, inquam, animaduerte, quàm decenter Cicero reuertatur ad ea unde esset digressus. Cũ enim proposuisset, uelle se Atticum eò adducere, ne quid in quemcunq; euentum mali mortem habere putaret: tamen tum etiam uidimus, iterum in illam amœnitatem immortalitatis animorum quasi expatiari. Nunc igitur ad alteram tandem sententiã peruenit, tristiorem eam quidem, sed qua tamen & ipsa post mortem nihil reliquum mali esse efficere uelit. Hæc est extinctionis & interitus. Quæ si esset uera, ut obtineret post mortem nihil esse mali metuendum, ita mortis metũ non etiam certe reprimeret atq; auferret. Sed de hoc suprà diximus. Quod autem nunc ait Cicero, ab Epicuro Democritũ accusari, quasi tribuisset corpori sensum aliquem post mortem: ex eo duci uidetur, quod Democritus primordia singularum partium in corpore cum animæ principijs conũxisse atque pertexuisse perhibeatur, unde ille usus uarius atque diuersus membrorum existeret. Si igitur exempli gratia, anima annexa peculiariter est manui, cumq; illa etiam recisa de cubito trepidet, cumq; digitis micare cernatur, sentire tum etiam non falso fortasse dicatur. Quamuis nihil est necesse, motui sensum attribuere. Sed hactenus ista. Quod sequitur, & ipsum adstutum est: Mori homines sine dolore. Id enim credo, ut Cicero ait, punctum, hoc est, cum iam uita interit, et anima euolat, quo breuius aut minutius nihil cogitari

cogitari potest, dolore forte careat, aut non graucm certe habeat sensum doloris. sed prius quid sit, quàm illò perueniatur? quantis morborum cruciatuumq; progressibus? Quod facile apparet in ijs, qui difficulter & lente pereunt. Sit in hoc non tantus dolor, quantum significat clamor, fremitus, stridor, sibili, iactatio corporis, membrorum distorsio: quid tamen specie ipsa miserabilius, cum sideratos interdum dies tres aut quatuor animam agentes, cum comitiali morbo correptorum fœditatem intuemur? Hæc ne qui aspicit, credere possit omnis doloris expertia esse? Aut si possit, quod certe fieri nequit, nõ horrescat ad cogitationẽ, totoq; animo contremiscat, si sibi aliquid eiusmodi sustinendum esse uereatur? Quid dicam de ijs, qui in tormentis animam exbalant? quid, qui quondam in certaminibus currulib. distracti? quid, qui in mari naufragi perierunt? qui interitus, ut mox ipse Cicero ait, non est sine graui sensu. Sed relinquamus hæc. Nunc enim deinceps hoc, quod nos iam sæpe dicimus, metui mortem in opinione ea, quod uitæ hæc fructum & iucunditatem ereptura esse uideatur, hoc igitur Cicero non oportere fieri docet: quia à malis potius quàm à bonis abducat. Etsi, cum hoc non propositum sit, sed ne mortuis male esse credatur, se negat hoc tempore agere uelle, præsertim actum alibi. Sunt autem multa, quibus ista oppugnari possè uideãtur, ut de ijs quæ attulimus suprà intelligi puto. Sed nos istas, ut Græci uocant ἐνστάσεις omittamus, et percurramus reliqua. Hegesias Cyrenaicus, unus de secta Aristippi, quæ in partes quasdam diducta fuit, (nam illum audiuerat Antipater, hunc Epitimides, hunc deinde Paræbates, cuius discipulum Hegesiam fuisse accepimus) cum etiam mortem doceret inter expetenda numerari oportere, εὐθανάτιστος appellatus fuit. Callimachi autem epigramma Græcum hoc est:

Εἶπας ἅλιε χαῖρε κλεόμβροτος ὤμβρακιώτης,
ἅλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἄλαδε.
ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου καλὸν, ἀλλὰ Πλάτωνος
ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

Hoc nos ita conuertimus Latinis uersibus:

Sole ualedicto Ambraciota Cleombrotus, alto
Se de muro undas misit in æquoreas.
Nil tamen huic triste acciderat, solumq; Platonis
De natura animi legerat ille librum.

Hegesiæ liber, quem ἀποκαρτερώτατον dici audiuimus, uidetur mihi esse ἀποκαρτερώσαι

τερώσανος. Quod Cicero quid sit exponit. Nam uerbũ ἀποκαρτερεῖν, significa destinatum animum esse morti, & in hoc proposito obdurationem quan-
» dam. De Metello sic Cicero de Finibus lib. 5. Ergo, inquit, tibi Q. Metellus
» qui tres filios Coss. uidit, è quibus unum etiam censorem & triumphantem,
» quartum aũt prætorem, eosq; saluos reliquit, & tris filias nuptas, cum ipse
» consul, censor, etiam augur fuisset, triumphasset, ut sapiens fuerit, non ne be-
» tior, quàm, ut item sapiens fuerit, qui in potestate hostium uigilijs & inedia
» necatus est Regulus: Hoc etiam exemplum Metelli, ut illud Hegesiæ quoq;
Valerius de Cicerone transtulit, alterum in caput de Felicitate, alterum de
Eloquentiæ ui. Cæcilius autem ille Metellus fuit, qui deuicto Andrisco, qui
sibi Philippi nomen indiderat, & inuaserat regnum Macedoniæ, cognomen
tum Macedonici obtinuit. Eiusdem illa oratio fuit, de qua apud Gelium par-
ticula extat, de necessitate matrimonij: cum censor po. Ro. ad ducendas uxo-
res cohortaretur. quam aliquando orationem Augustus Cæsar in Senatu re-
citasse, quasi tum scriptam, fertur. De se autem sic loquitur, ut amissa digni-
tate, cum iam omnia uictis suis partibus in unius potestate essent. post Pom-
peium enim occisum, & potito rerum C. Cæsare, ad philosophicas se scri-
ptiones conuertit Cicero. Priami filios Homerus dicit quinquaginta fuis-
se, cum quidem de cem & nouem suscepisset de una aluo. Sic enim ait,

Ἐννέα καὶ δέκα μέν μοι ἴσης ἐκ νηδύος ἦσαν.

Vt hic locus emendandus esse uideatur, cuius numeri à librarijs uidelicet cor-
rupti sint. Ex hoc & Euripides Priamum τὴν πεντήκοντ' ἀροτῆρα τέκνων uocat.
& Maro:

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.

Eiusdem mortem idem etiam Poëta elegãter exposuit. Et Euripides, ad Her-
cium Iouem cæsum scribit. Id fuisse simulacrum paternum Iouis, quod tertiũ
etiam oculum in media fronte haberet, in Corinthiacis scribit Pausanias: &
de præda obtigisse Sthenelo, inq; Græciam deportatum fuisse. Versus au-
tem qui sequuntur de Andromacha, Ennij (ut opinor) anapæstici dimetri a-
catalecti, exponuntur integrius in Tusc. III. ad hunc modum:

O pater, o patria, o Priami domus,
Septum altisono cardine templum,
Vidi ego te astante ope barbarica
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro ebore instructam regificè:
Hæc omnia uidi inflammari,

Priamo

Priamo ui uitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

In his uersibus, Templum uel significat locum in arce consecratum Dijs, uel
ipsam regiam conspicuam omni à parte: quomodo & templa cœli Lucre-
tius dixit. Mox, Septum altisono cardine, idest portis munitum, poeticè
factum est. Tectis cælatis laqueatis: ad speciem magnificarum domuũ per
tinet, quæ & signis ornantur, & typis inclusis in tectorium, & lacunantur
testudinibus, iuxta hoc Horatij:

Non ebur, neque aureum
Renidet in mea domo lacunar.

Item: Et curas laqueata circum
Tecta uolantes.

Barbarica ope: ostenditur maxima opulentia barbarorum, idest Asiati-
ca. ut Maro:

Barbarico postes auro, spolijs' que superbi.

Vitam euitari uetuste dixit, pro interimi. Iouis autem aram Hercei signi-
ficat, id est in atrio præsidentis. de qua Ouidius:

Cui nihil Hercei profuit ara Iouis. In Ibin.

Quod sequitur, Quasi uero ista uel quicquam tum potuerit ei melius accide-
re: aut intelligemus morte, aut legemus Post ista. Pompeij ægrotationis
cum periculo annuæ, ad Atticum meminit. & horum etiam uotorum: Muni- Lib. 8.
cipia uero adeunt, nec simulant, ut cum de illo ægroto uota faciebant. Euẽ- "
tus uero ciuilis belli tristiß. Pompeio quasi capita exponit, quæ historia est
notißima. Sequitur occupatiuncula de spe. Sic enim certe fit, ut (quemadmo-
dum Polynices ait apud Euripidem) spes exules sustentet, utq; in hac homi-
nes non dubitent rebus aduersißimis durare, quia confidant meliora futura
tempora, subijcientes hoc & similia sibi,

Grata superueniet, quam non speraueris horam,

ut etiam spe ipsa contra spem erigantur. Verum Cicero imprudenter hoc fie-
ri & uitiose docet. Et quidem non minus est flagitiosum secundum Stoicos,
sperare quàm timere. Ac iam redit ad propositum, mortuos ut omnino do-
ceat miseros non esse, quippe qui sint nulli. Quod autem nihil est, illi nihil in
utranque partẽ accidere poßit. Atque philosophatur de uerbo Carere. Quo-
tamen & ipse sic est usus, ut diceret Carere culpa, supplicio, dolore. Nihil in "
dignius est, inquit, quàm eum qui culpa careat, supplicio non carere. Febre "
etiam carere: quod Plautus ita Curculione, De Inuẽ. 2.

 Caruit

Caruit' ne febris te here, uel nudiustertius?

Philosophari autem significat, diligentius exquirere aut disputare, ut Plautinus Pseudolus:

Sed satis est philosophatum, nimis diu & longum loquor.

Exempla eorum qui mortem contemsissent, eadem fermè & in Catone commemorantur, his uerbis, loquente Catone: De qua nõ ita longa disputatione opus esse uidetur, cum recorder non solum L. Brutum qui in liberanda patria est interfectus: non duos Decios, qui ad uoluntariam mortem cursum equorum incitauerunt: non M. Attilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conseruaret: non duos Scipiones, qui iter Pœnis uel corporibus suis obstruere uoluerunt: non auum tuum L. Paulum, qui morte sua luit collegæ in Cannẽsi ignominia temeritatem: non M. Marcellum, cuius interitum ne crudeliß. quidem hostis honore sepulturæ carere passus est: sed legiones quidem nostras scripsi in Originibus in eum locum sæpe profectas, alacri animo & erecto, unde nunquam se redituras arbitrarẽtur. Omnium autem historiæ uulgo ferè notæ sunt. De uno Albino est mihi quidem illa minus explorata, & diligentius perquirenda. peculiare etiam illud, quod de Decij Nepotis morte retulit. nam de patris & filij constat. Reliqua sunt uerbis & sententia plana omnia, nisi forte Hippocentauri appellatio tibi non usitata est. quo nomine, ut anteuertam percontationem tuam, dixere ueteres quoddam immane genus non hominum, sed animantum: ut Homerus etiam fecit,

Odyß. φ. Ἐξ οὗ κενταύροισι καὶ ἀνδράσι νεῖκος ἐτύχθη.

Opponit enim illos hominum generi. itaq; & φῦρας, quasi θῦρας eosdem dicere putatur. Thessalica natio fuisse traditur ab Ixione orta, ut fabulæ ferũt. Iniurij & uiolenti in uicinos, quorum frequenter pecora abigere consueuissent, unde nomen deductum. Cum autem equis insidentes prædas facerent, species quæ appareret colonis, auersi agminis & picturæ argumentum dedit: & appellationem auxit, ut ἱπποκένταυροι uocarentur. Nunc igitur si nihil requiris præterea, pergat legere ordine puer. Lege, inquit ille, tu. Atque hoc ita factum est.

Cur igitur & Camillus doleret, si hæc post trecentos & quinquaginta ferè annos euentura putaret? Et ego doleam, si ad decem milia annorum gentem aliquam urbem nostram potituram putem? Quia tanta charitas

charitas patriæ est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. Itaque non deterret sapiẽtem mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet, & propter breuitatem uitæ nunquam longe potest abesse, quo minus in omne tempus reipub. suisq́ consulat, et posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Quare licet etiam mortalem esse animum iudicantem, æterna moliri: non gloriæ cupiditate, quam sensurus non sit: sed uirtutis, quam necessario gloria, etiam si tu id non agas, consequatur. Natura uero etiam sic se habet, ut quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors: quæ ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, quũ mors nec ad uiuos pertineat, nec ad mortuos? alteri nulli sunt, alteros non attingit. Quam qui leuiorem faciunt, somni simillimam uolunt esse, quasi uero quisquam ita nonaginta annos uelit uiuere, ut cũ sexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne sues quidem id uelint, non modo ipse. Endymiõ uero, si fabulas audire uolumus, nescio quãdo in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariæ: nõdum opinor est experrectus. Num igitur eum curare cẽses, quum Luna laboret, â qua cõsopitus putatur, ut eum dormientẽ oscularetur? Quid curet autem, qui ne sentit quidem? Habes somnũ, imaginem mortis, eamq́ quotidie induis, & dubitas quin sensus in morte nullus sit? cum in eius simulacro uideas esse nullum sensum. Pellantur ergo istæ ineptię penè aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? naturæ ne? At ea quidem dedit usuram uitæ, tanq́ pecunię, nulla præstituta die. Quid est igitur quod querare, si repetit cum uult? ea enim con

ditione acceperas. Iidem si puer paruus occidit, æquo animo ferendum putant: si uero in cunis, neque rendum quidē. Atqui ab hoc acerbius exegit natura quod dederat. Nondum gustauerat, inquiunt, uitæ suauitatem: hic autem iam sperabat magnam, quibus frui cœperat. At id quidem ipsum in cæteris rebus melius putatur, aliquam partem q̄ nullam attingere: cur in uita secus? Quanquam non malè ait Callimachus, multo sæpius lacrymasse Priamum, quàm Troilum. Eorum autem qui exacta ætate moriūtur, fortuna laudatur. Cur? nam reor non illis, si uita longior daretur, posset esse iucundior. Nihil est enim profecto hominis prudentia dulcius: quam ut cætera auferat, affert certe senectus. Quæ uero ætas longa est? aut quid omnino homini longum? nónne modo pueros, modo adolescentes in cursu à tergo insequens, nec opinantis assecuta est senectus? Sed quia ultrà nihil habemus, hoc longum dicimus. Omnia ista perinde ut cuiq; data sunt pro rata parte à uita, longa aut breuia dicuntur. Apud Hypanin fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem uiuant. Ex his igitur hora octaua quæ mortua est, prouecta ætate mortua est: quæ uero occidente sole, decrepita: eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate: in eadem propemodum breuitate, qua illæ bestiolæ, reperiemur. Contemnamus igitur omnes ineptias. quod enim leuius, huic leuitati nomen imponemus? totamq; uim bene uiuendi in animi robore ac magnitudine, ut in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia, & in omni uirtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus mollissimis effœminamur,

effœminamur, ut si antè mors aduentet, quàm Chaldæorum promissa consequuti sumus, spoliati magnis quibusdam bonis, illusi destitutiq; uideamur. Quod si expectando & desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur, prò dij immortales quàm optabiliter iter illud ineundum esse debet, quo confecto nulla relíqua cura, nulla solicitudo futura sit?

Hic ego interloquēs: Hactenus, inquam. uolo enim cauere, ne queraris de lectionis longitudine. Recte, inquit ille, facis. nam prolixior iam sanè uidebatur. Quid igitur nunc ais? Iam deinceps, quod ex affirmatione interitus nasci intelligebat, ut aliquis diceret, sentiri tamen dolorem in animis bonorum, præsagientibus malum quod accidat se iam humatis: unde existimari posit, non prorsus nihil pertinere ad nos, quid fiat mortuis nobis. si igitur quicquam ad nos tum pertinebit, sensus aliquis supersit necesse est: quemadmodum quidem & superius est argumentatus. Hoc igitur nunc Cicero remouet, inquam: et ad uirtutis uim, propriamq; rationem & sententiam refert. Virtutis autem fundamentum omnis pietas, quæ erga patriam præcipua esse debet. Camilli uero ætate, illo quidem exulante captam Romam fuisse à Gallis, & auspicijs illius recuperatam, inter uulgatissima est. Hanc ætatē elegantissimè notat Cicero, quæ fuit iuxta Liuium Vrb. cond. annus CCCLXV. ut bellum ciuile gestum scire possimus An. ab V. C. DCCXV. Quod gloriam necessario uirtutem sequi ait: idem paulo pòst, cum illam esse huius umbram dicit. Atque hanc sententiam multis in locis disputauit, distinguens ueram gloriam à falsa. Nunc igitur sic dicit, Viros bonos uirtuti studere, & honestatem appetere, quamuis ad hoc non impellantur quasi mercedis cuiusdam spe. Nihil igitur uetat, gloriam eos quoq; consequi, qui non secuti essent. Itaque uirtutem colere boni solent, ipsius uirtutis caussa, ut ad hūc finem omnia sua consilia actionesq; referant: non aliqua expectatione præmij, uel in uita uel post uitam. Sed hæc promit, ut similia omnia, de adytis Stoicorum, quò communis intelligentia non accedit. Nam & incitari fortiß. uiros propositis præmijs & in uita & in morte, ad uirtutē scimus: & sapientissimi legum latores hoc uiderunt, neque recte facta honore suo carere passi sunt. Sed Cicero nunc rursum ad illud redit, quod instituerat, Mortem nihil pertinere ad nos. Somni autem de hac, similitudine & Socrates usus est. Nam aut in alia quædam loca migrare posuit morientes: aut profundiß. somno,

qui est.

Odyss. ν. qui est apud Homerum νήγρετος ὕπνος, θανάτῳ ἄγχιστα ἰοικώς, eoq; sempiternum obdormiscere, aut penitus interire atq; extingui. Homericum etiam est, somnum κασίγνητον θανάτοιο, hoc est fratrem germanum esse mortis. Et idem χάλκεον ὕπνον dixit eandem, περιφραστικῶς. Fertur & Græcus uersus, qui pueritia quædam mortis somnum uocat:

ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυκτήρια.

Ouidiani autem hi omnibus ferè noti sunt:

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Atque Cicero docet, Somnum nihil pertinere ad uitam. quis enim uiuere hoc modo uelit? Ergo si dormientes nihil attingit sensus uitæ, probari scilicet videtur, mortuos multo minus illo affici. De Endymione fabula & ipsa non ignota, quam & Ouidius in Leandro sic notat:

Endymionis fabula.

Hanc ego suspiciens, faueas ô Candida dixi,

Et subeant animo Latmia saxa tuo.

Hunc tradunt fuisse Iouis nepotem: & cum receptus in deorum cœtum Iunonem sciuiendo erga Iunonem, Iouem sibi iratum esse sentiret, petijsse ab illo doloris impatientia, ut æternum sibi somnum immitteret. quo impetrato, cum in Latmo Cariæ monte obdormisset, nunquam postea fuisse experrectum. Ita-

En Comaste. que Theocritus ἄγρωστον huius somnum dixit. Fabulam alij aliter explicare. Quibusdam referentibus ad uenationis infinitã cupiditatem, cui cum nocte potiß. indulgeret, & interdiu in specu Latmio quiesceret, semper dormire creditus sit, & à Luna amari, quæ & uenatrix esse fabulis fertur, & noctem illustrare solet. Nonnulli maluerunt ad hunc referre studium & considerationem rerum cœlestium, & deprehendisse hunc primum putant rationem motus Lunæ, & inæquales cursus: quod & Plinius scribit lib. 2. Simili

Phaëthontis fabula de caussa, ut credo, Phaëthontem Solis filiũ conscendisse paternos currus tradunt. fuisse enim suspicor hunc eum, qui uestigaret solis iter, & illos recessus accessusq; luminis ad terras. Sed de hoc luceat nobis etiam decipi. Laborare autem Lunam deficiente lumine, si terra media directe inter hanc & solem intercedat accipiemus: iuxta hoc,

Defectus solis uarios, Lunæq; labores.

Sed & in fine mensis, cum uidetur extingui, laborare quondam credebatur: ut Plinius lib. 2. scripsit. Ante tempus mori, Græci ἄωρον θάνατον uocãt: &

» Cicero etiam alibi, immaturam mortem. Et, Damnum illius immaturo in-

Bruto. » teritures Romanæ Latinæq; literæ fecerunt. Vitam utendam datam homi-

nibus, & Lucretius eleganti uersu memorat,

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus usu.

Hæc de Crantore ferè translata conijcere possumus, quod apud Plutarchum plæraque leguntur, qui & ipse de Crãtoris consolatione ista in suam contulisset. Sic autem ille hoc: per enim uenuste græce dicitur, quare & memoriæ, ut similiter alia quædam præcipuæ elegantiæ, mandare studui. παραμυθητικῷ πρὸς ἀποστολώνιον.

Διὸ καὶ μοιρίδιον χρὴ δεῖν λέγειν τὸ ζῆν, ὡς ἀποδοθησόμενον ὃ ἐδανείζαντο ἡμῶν οἱ προγεγονότες. Et postea: ἔχομεν γὰρ τὸ ζῆν ὡς παρὰ καταβεμβρώθοις θεοῖς ἐξ ἀνάγκης, καὶ τότε χρόνον ὁρισμένον τῆς ἀποδόσεως, ὥσπερ ὀφλὲ τοῖς χρεωστοῦσι τῶν δεμάτων, ἀλλ' ἄδηλον πότε ὁ δὸς ἀπαιτήσει.

Troili scis apud Maronem miserabilem interitum pluribus uersibus quasi depingi: Lib. 1. Aen.

Parte alia fugiens amissi Troilus armis,

Infelix puer, atque impar congressis Achilli,

Fertur equis, curruq; hæret resupinus inani,

Lora tenens tamen. huic ceruixq; comæq; trahuntur

Per terram, & uersa puluis inscribitur hasta.

Homerus nomen inter fortiß. filios suos qui occidissent introducit memorantem Priamum, cum quidem ornat epitheto ἱππιοχάρμας. Sed hæc non uersu qui dem ita Plutarchus Græce extulit. μεῖον γὰρ ὄντως τρῶϊλος ἰφθίμους, ἢ πριαμίδης αὐτός. Iliad. ω. Sequitur: Nam reor non illis. εἰρωνικῶς hoc pronunciandum. sentit enim, posse uitam admodum esse in longitudine iucundam. Mox: Omnia ista perinde ut cuiq; data sunt, & cætera. Hæc exemplo apud Plutarchum illustrantur. Sit enim, inquit, tempus annorum uiginti præfinitum humanæ uitæ, nemo igitur eum qui decem & quinque annos forte expleuerit, ante diem suum mori dicet: beatum uero iam eum prædicabũt omnes, qui propius ad uigesimum annum accesserit, uel hunc etiam exegerit, quod totius uitæ spacium confecerit. faciamus iam longiß. uitam homini concessam annorum ducentorum. quis dubitat, quin centenarios morientes admodum deflerent, quasi ereptos morte immatura, è medio cursu uitæ? Quod deinde ait, Præsertim solstitiali die: ad partitionem diei referendum est, qua ille omni anni tempore in horas diuiditur duodecim. Has necesse est fieri longas æstate, et hyeme breues: ut apud nos, ubi solstitio lucet horis æquinoctialibus XVI. illarum duodecim horarum una, hanc superet triente: contrà autem bruma-

Pseudolo. *lis triente ab hora æquinoctiali superetur. Itaque ille apud Plautum ita.*

Credo equidem potesse te, scelus,
Massici montis uberrimos fructus quatuor
Ebibere in hora una: hyberna addito.

Ita igitur hora octaua erit secunda post meridiem: id est, apud nos penè tertia, quod certe tempus ad uesperum uergit. Chaldæorum promissa dicit, illas prædictiones de euentis uitæ, & diuturnitate illius. Nam primum ipsi tempus uitæ exquirere solent, ne quid eo anno euenturum asserant, ad quem natus omnino uiuendo peruenturus non sit. Sed hoc in quo prædictionum quasi fundamentum quoddam omnium positum est, huius disciplinæ auctores non similiter uestigant, ut hoc loco uix alius magis aut æque dubius & anceps apud illos reperiatur. Sic autem genethliaci, hoc est, qui notato ortu futura hominibus uaticinarentur, gentis appellatione uocati sunt, eius qui uel inuenisset hanc rationem, uel in ea plurimum operæ atque studij posuerit consuuisset. Sed pergat lectio, si uidetur. Ita fiat, inquit ille. Tum ergo ista intulit puer.

Quàm me delectat Theramenes, quamq; elato animo est? Etsi enim flemus cum legimus, tamen non miserabiliter uir clarus emoritur: qui cum coniectus in carcerem, triginta iussu Tyrannorum uenenum ut sitiens obbibisset, reliquum sic è poculo eiecit, ut id resonaret. Quo sonitu reddito arridens, Propino (inquit) hoc pulchro Critiæ: qui in eum fuerat teterrimus. Greci enim in conuiuijs solent nominare, cui poculũ traditurí sunt. Lusit uir egregius extremo spiritu, cũ iam præcordijs conceptam mortem contineret. Vereq; ei qui uenenum præbuerat mortem est eam auguratus, quæ breui consequuta est. Quis hanc animi maximi æquitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret? Vadit in eundem carcerem, atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere iudicum, quo tyrannorũ Theramenes. Quæ est igitur eius oratio, qua facit eum Plato usum apud iudices

dices iam morte multatum? Magna me, inquit, spes tenet Iudices, bene mihi euenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrẽ siue sensus extinguitur, morsq; ei somno similis est qui nonnunquam etiam sine uisis somniorum placatiss. quietem affert, dij boni quid lucri est emori? aut quàm multi dies reperiri possint, qui tali nocti antepo nantur? cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis. Quis me beatior? Sin uera sunt quæ dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui è uita excesserint, incolunt, id multo iam beatius est, te cum ab ijs, qui se Iudicum numero haberi uolunt, euaseris, ad eos uenire, qui uere Iudices appellentur, Minoëm, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum: conueniréq; eos, qui iuste & cum fide uixerint. Hæc peregrinatio mediocris nobis uideri potest? Vt uero colloqui cum Orpheo, Museo, Homero, Hesio do liceat, quanti tandem æstimatis? Equidem sæpe mori, si fieri posset, uellem, ut ea quæ dico mihi liceret inuenire. Quanta delectatione autem afficerer, quum Palamedem, quum Aiacem, quum alios iudicio iniquorum circumuentos conuenirem? Tentarẽ etiam summi regis qui maximas copias duxit ad Troiam & Vlyssis, Sisyphiq; prudentiam. Nec ob eam rem quũ hæc exquirerem, sicuti hic faciebam, capite damnater. Ne uos quidem Iudices, ij qui me absoluistis, mortem timueritis. Nec enim unquam bono quicquã mali euenire potest, nec uiuo, nec mortuo, nec unquam eius res à dijs immortalibus negligentur, nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec uero ijs, à quibus accusatus

„ sum, aut à quibus condemnatus, habeo quod succen-
„ seam, nisi quod mihi nocere se crediderunt. Et hoc qui-
„ dem hoc modo, nihil autem melius æstimo. Sed tem-
„ pus est, inquit, iam hinc abire me ut moriar, uos ut ui-
„ tam agatis. Vtrum autem sit melius, dij immortales
„ sciunt, hominem quidem scire arbitror meminẽ. Ne
ego haud paulo hunc animum malim, quam eorum
omnium fortunas, qui de hoc iudicauere. Etsi quod
præter deos negat scire quenquam, id scit ipse utrum
melius sit: nam dixit ante. sed suum illud, nihil ut affir-
met, tenet ad extremum. Nos autem teneamus, ut ni-
hil censeamus esse malum, quod sit à natura datũ om-
nibus: intelligamusq; si mors malum sit, esse sempiter
num malum. Nam uitæ miseræ mors finis esse uide-
tur: mors si est misera, finis esse nullus potest. Sed qd
ego Socratem, aut Theramenem, præstantis uiros uir
tutis & sapientiæ gloria commemoro? cum Lacedæ-
monius quidam, cuius ne nomen quidem proditum
est, mortem tantopere contempserit, ut cum adducere
tur damnatus ab Ephoris, & esset uultu hilari atq; læ-
to, dixissetq; ei quidam inimicus: Contemnis ne le-
ges Lycurgi? responderit: Ego uero illi maximam gra
tiam habeo, qui me ea pœna mulctauerit, quam sine
mutuatione & sine uersura possem dissoluere. O ui-
rum Sparta dignum: ut mihi quidem qui tam ma-
gno fuerit animo, innocens damnatus esse uideatur.
Talis innumerabilis nostra ciuitas tulit. Sed quid du-
ces & principes nominem? cum legiones scribat Ca-
to, sæpe alacris in eum locum profectas, unde re-
dituras se non arbitrarentur. Pari animo Lacedæ-
monij in Thermopylis occiderunt. In quos Simo-
nides:

Dic

Dic hospes Spartę, nos te hic uidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti La
cedæmonij, hodie apud inferos fortasse cœnabimus.
Fuit hæc gens fortis, dum Lycurgi leges uigebant. E
quibus unus, cum Perses hostis in colloquio dixisset
glorians, solem præ iaculorum multitudine & sagit-
tarum non uidebitis: In umbra igitur, inquit, pugna-
bimus. Viros commemoro. Qualis tandem Lacæ-
na, quæ cum filium in prælium misisset, & interfectũ
audisset: idcirco (inquit) genuerã, ut esset, qui pro pa-
tria morte non dubitaret occumbere. Estote fortes &
duri Spartiatæ, magnam habet uim reip. disciplina.
Quid Cyrenæum Theodorum, philosophum non
ignobilem, nónne miramur? cui cũ Lysimachus rex
crucem minaretur: Istis quæso (inquit) ista horribilia
minitare purpuratis tuis: Theodori quidẽ nihil inter-
est, humi ne, an sublime putrescat.

Post hæc recitata: Rursum exemplorum lucem admouet, inquam, Cicero. hæc enim & orationem mirifice exornant, & sententias reddunt clariores. De Theramene historia copiose est exposita à Xenophonte, libro de Reb. gestis Græcorum secundo. Fuerat ille unus de triginta uiris, qui uictis Athe-
niensibus à Lacedæmonijs, creati essent scribendarum legum gratia. Quas cum componere se simularent, & rem de industria differrent, interea iudi-
cia & magistratus pro arbitrio suo constituebant, donec cohorte præsidij
causa à Lacedemonijs impetrata, regnum in libera ciuitate occuparunt. Quod cum crudeliter gererent, sæuiente in bonos & locupletes potiss. Cri
tia, Theramenes non dissimulauit sibi totam illam administrationis ratio-
nem displicere, neque arbitrari se diuturnam esse posse. Itaque non quidem iudicio damnatum illum Critias, sed ui, contraq; ipsorum leges ab ara detra-
ctum, iudicibus rerum capitalium interficiendum ueneno in carcere, ut fieri consueuerat, tradidit atque addixit. Vbi & illa quæ Cicero commemorat, di
xisse eum scribit Xenophon, his uerbis:

Ἐπεὶ γε ἀποθνήσκειν ἀναγκαζόμενον τὸν κώνωπον ἔπινε, τὸν λε-
γόμενον ἔφασαν ἀποκοπαβίζαντα εἰπεῖν αὐτὸν, κριτίας τὸν
ἐστω δὴ καλῶ.

De fortitud. Valerius etiam uerbum κοπαβίζειν studuit reddere plenius: Quod superfluo rat, inquit, illisum humo clarum edere sonum coegit. Erat autem κόπαβος unde uerbum est factum κοπαβίζειν, hilaritas quædam conuiuiorum Græcorum fictitia uoce à sonitu. nam emissos latices de poculis, quæ & κοπαβίδες lances propositas arte quadam infligere solebant, quæ depressæ offenderent ad statuam subditam, & resonarent: hoc λάτταξ uocabatur, & plausum ei etiam præmia merebatur, quæ & ipsa κοπαβεῖα dicebantur. de hoc ludo co-
Lib. 11. Lib. 6. ose scribunt Athenæus & Pollux. Græcus autem & ille mos prius bibendi quàm poculum alteri traderetur: cuius rei nomen latina lingua non habet.
Iliad. i. Sublatum poculũ etiam ostentare consueuerant propinantes: ut Homerus

πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας δι' ἄλεκτ' ἄχιλῆα.

Iliad. i. Et alibi:

πάντες ἀνήιξαν κοὺ λήθανόωντο δ' ἔπασιν.

Quin & certare potando, ut æquales haustus permutarent, solitos scimus. Vnde & Pergræcari uerbum, crapulæ significationem habet. Apud Platonem quidem Alcibiades poscit ψυκτῆρα, quem & λῖνον dixere, capientem hemi-
Verr. 3. nas octo, aut plus his, & propinat Socrati. Cicero etiam comites Verris ma-
Lib. 10. ioribus poculis facit poscere, in conuiuio Lampsaceno: et Athenæus non uneneno, sed uino certantem cum Protea quodam extinctum Alexandrum Magnum, scripsisse Ephippum tradit. Quæ ideo commemoraui, ut intelligeres non esse hoc flagitium potationum quod solet potiß. nostræ nationi exprobrari, nouum: sed peruetustum, & commune nobis cum humanissima gente Græcorum. Multas philotesias, inquit ille, nudiustertius mereri potuisses, si ista diceres amicis meis. Venerat enim ad illum sodalitas quædã commessatum, & fuerant in uino uiri fortes. Sed & nunc, ridens inquit, ineam hanc licet gratiam apud nostros, ut & hunc fructum capias itineris tui.

Putas ergo tu, inquam, dubitare illos de honestate facti sui, aut quærere defensionem? Vix, inquit: quippe quo gloriari inprimis soleant. Perdelirem igitur hanc operam, inquam. Atque esset etiam admodum clamandum, si exaudiri uellem, ab ijs saltem, qui mihi proximè aßiderent: ita minime silentes, quod in Platonico conuiuio culpatur, bibunt tanquam sitientes. Ego uero mi DANIELE, cum ad hilaritatem uitæ hunc suauiß. liquorem procreatum

creatum esse existimem, quomodo possum non uel laudare amabiliß. morem Græciæ, & nostrorum etiam maiorum, qui duriores habiti sunt, salutationũ & quasi in sacris bonorum uerborum ad pocula: uel immanitatem & furorem coactionis & uiolentæ ebrietatis odisse, cum de uino, quo uesani isti sese immodice iniurgitarunt, Lapitharum conuiuia celebrãtur? Primum enim, ut antiquus poëta, Lucilius credo, dixit:

Vertitur œnophoris fundus sententia nobis.

mox reliqua facta dictuq; fœda & nefaria sequũtur, ut quod Cẽtauros quondam perdidit uinum, quemadmodum Homerus ait: neq; non Græcos posteà, non admonitos domestico exemplo ut cauerent: idem perniciem nostræ aliquando nationi allaturum esse uideatur. Nam priuatorum interitus & dãna quid ego commemorem? quæ iam non magis quasi solita & consueta uel metuuntur uel æstimantur. Sed redeamus ad nostram Tusculanam.

Ac uidetur etiã hoc loco minus firmè concluſum, quod ita extulit: Quis hãc animi maximi æquitatẽ in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret? Imò enimuero, quis laudaret magnopere illã, si hanc bonum iudicaret? Nam uirtus eluceſcit in aduersis, grauibus, calamitosis q; casibus: non spectatur rebus prosperis, & in molli uita. Quis enim Regulum admiraretur, si ad epulas & conuiuia reuerteretur Carthaginem? Quis fortem esse prædicet eum, qui acus punctum ausit contemnere? Sed tales mortes nemo in malis ponit: uel potius nemo qui mortem malam esse sentiat, id est turpem, iuxta Stoicos, laudem illi tribuere potest. Quod quidem dixit breui postea mortuum Critiam, historia memorat, in primo conflictu ab exulibus qui Piræũ occupassent, ipsum & alterum etiam de triginta uiris, Hippomachum nomine, cæsum esse. Sequitur Socratis exemplum, ut admirabilius, ita expositiũ à Cicerone copiosius. Transtulit autem ad uerbum de Platone locum, qui sanè longior est. Plato enim quasi defensionem Socratis, qua usus in iudicio fuerit, composuit. Vis'ne & hunc exaratum mihi, inquit, relinquere? si meministi. Non certo memini, inquam: sed cum primum inciderim Platonicum in librum, describam, & ad te mittam. est enim exercitatio hæc maxime utilis, conferendi bene uersa Græca cum Latinis. Itaque reuersus postea domum, de Apologia hunc totum locum Græcè descriptum, ad illum dedi, ut in frà subijci curauimus.

Principium apud Platonem, de superioribus pendens.

ὡς πολλὴ ἐλπὶς ὄντι, ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι. δυοῖν γὰρ θάτερόν ἐστι
τὸ τεθνάναι, ἢ γὰρ μηδὲν εἶναι, μηδ' αἴσθησιν μηδεμίαν μηδενὸς ἔχειν
τὸν

τὴν τεθνεῶτα. ἢ κατὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τυγχάνει οὖσα, καὶ μετοίκησις τῆς ψυχῆς τοῦ τόπου τοῦ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον. καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν, ἀλλ' οἷον ὕπνος, ἐπειδάν τις καθεύδων μηδ' ὄναρ μηδὲν ὁρᾷ, θαυμάσιον κέρδος ἂν εἴη ὁ θάνατος. ἐγὼ γὰρ ἂν οἶμαι, εἴ τινα ἐκλεξάμενον δέοι ταύτην τὴν νύκτα, ἐν ᾗ οὕτω κατέδαρθεν ὥστε μηδὲ ὄναρ ἰδεῖν, καὶ τὰς ἄλλας νύκτας τε καὶ ἡμέρας τὰς τοῦ βίου τοῦ ἑαυτοῦ ἀντιπαραθέντα ταύτῃ τῇ νυκτί, δέοι σκεψάμενον εἰπεῖν ὁπόσας ἄμεινον καὶ ἥδιον ἡμέρας καὶ νύκτας ταύτης τῆς νυκτὸς βεβίωκεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ βίῳ, οἶμαι ἂν μὴ ὅτι ἰδιώτην τινὰ, ἀλλὰ τὸν μέγα βασιλέα ἐν ἀριθμήτους ἂν εὑρεῖν αὐτὸν ταύτας πρὸς τὰς ἄλλας ἡμέρας καὶ νύκτας. εἰ οὖν τοιοῦτον ὁ θάνατός ἐστι κέρδος, ἔγωγε λέγω. καὶ γὰρ οὐδὲν πλεῖον ὁ πᾶς χρόνος φαίνεται οὕτω δὴ εἶναι, ἢ μία νύξ. εἰ δὲ αὖ οἷον ἀποδημῆσαί ἐστιν ὁ θάνατος ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, καὶ ἀληθῆ ἐστι τὰ λεγόμενα, ὡς ἄρα ἐκεῖ εἰσι πάντες οἱ τεθνεῶτες, τί μεῖζον ἀγαθὸν τούτου εἴη ὦ ἄνδρες δικασταί; εἰ γάρ τις ἀφικόμενος εἰς ἅδου, ἀπαλλαγεὶς τουτωνὶ τῶν φασκόντων δικαστῶν εἶναι, εὑρήσει τοὺς ὡς ἀληθῶς δικαστὰς, οἵπερ καὶ λέγονται ἐκεῖ δικάζειν, μίνως τε καὶ ῥαδάμανθυς, καὶ αἰακὸς, καὶ τριπτόλεμος, καὶ ἄλλοι ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο ἐν τῷ ἑαυτῶν βίῳ, ἆρα φαύλη ἂν εἴη ἡ ἀποδημία; ἢ αὖ ὀρφεῖ ξυγγενέσθαι, καὶ μουσαίῳ, καὶ ἡσιόδῳ, καὶ ὁμήρῳ ἐπὶ ποσῷ ἄν τις δέξαιτ' ἂν ὑμῶν; ἐγὼ μὲν γὰρ πολλαῖς ἐθέλω τεθνάναι, εἰ ταῦτά ἐστιν ἀληθῆ. ἐπεὶ ἔμοιγε καὶ αὐτῷ θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβὴ αὐτόθι, ὁπότε ἐντύχοιμι παλαμήδῃ, καὶ αἴαντι τῷ τελαμῶνος, καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν παλαιῶν διὰ κρίσιν ἄδικον τέθνηκεν, ἀντιπαραβάλλοντι τὰ ἐμαυτῶν πάθη πρὸς τὰ ἐκείνων, ὡς ἐγ' ὦμαι, οὐκ ἂν ἀηδὲς εἴη. καὶ δὴ καὶ τὸ μέγιστον, τοὺς ἐκεῖ ἐξετάζοντα καὶ ἐρευνῶντα ὥσπερ τοὺς ἐνταῦθα διάγειν, τίς αὐτῶν σοφός ἐστι; καὶ τίς οἴεται μὲν, ἔστι δ' οὔ; ἐπὶ πόσῳ δ' ἄν τις ὦ ἄνδρες δικασταὶ δέξαιτο ἐξετάσαι, τὸν ἐπὶ τροίαν ἀγαγόντα τὴν πολλὴν στρατιὰν, ἢ ὀδυσσέα, ἢ σίσυφον, ἢ ἄλλους μυρίους ἄν τις εἴποι καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας, οἷς διαλέγεσθαι ἐκεῖ καὶ

Hæc percopiose ut uides, à Platone exposita Cicero cõcidit, et retulit breuius, omissis fortasse quibusdam repugnantibus splendori cõuersionis.

Hic locus notandus.

Quanti tandem æstimatis.

Omisit hæc quoque Cicero.

Omissa & hæc.

ξυνεῖναι

ξυνεῖναι καὶ ἐξετάζειν ἀμήχανον ἂν εἴη εὐδαιμονίαν πάντως, οὐδήπου τούτου γε ἕνεκα οἱ ἐκεῖ ἀποκτενοῦσι. τάτε γὰρ ἄλλα εὐδαιμονέστεροί εἰσιν οἱ ἐκεῖ τῶν ἐνθάδε, καὶ ἤδη τὸν λοιπὸν χρόνον ἀθανατοί εἰσιν, εἴπερ γε τὰ λεγόμενα ἀληθῆ ἐστιν. ἀλλὰ καὶ ὑμᾶς χρὴ, ὦ ἄνδρες δικασταί, εὐέλπιδας εἶναι πρὸς τὸν θανατῶν. καὶ ἐν τῷ τοῦτο διανοεῖσθαι ἀληθὲς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν, οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι, οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα. οὐδὲ τὰ ἐμὰ νῦν ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου γέγονεν, ἀλλά μοι δῆλόν ἐστι τοῦτο, ὅτι ἤδη τεθνάναι καὶ ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βέλτιον ἦν μοι. διὰ ταῦτα καὶ ἐμὲ οὐδαμοῦ ἀπέτρεψε τὸ σημεῖον. καὶ ἔγωγε τοῖς κατα ψηφισαμένοις μου, καὶ τοῖς κατηγόροις, οὐ πάνυ χαλεπαίνω, καί τοι οὐ ταύτῃ τῇ διανοίᾳ κατεψηφίζαντό μου καὶ κατηγόρουν, ἀλλ' οἰόμενοι βλαπτειν τι. τοῦτο ἄξιον αὐτοῖς μέμφεσθαι. τοσόνδε μέντοι αὐτῶν δεόμαι. τοὺς υἱεῖς μου ἐπειδὰν ἡβήσωσι, τιμωρήσασθαι ὦ ἄνδρες, ταυτὰ ταῦτα λυποῦντας, ἅπερ ἐγὼ ὑμᾶς ἐλύπουν, ἐὰν ὑμῖν δοκῶσιν ἢ χρημάτων ἢ ἄλλου τοῦ πρότερον ἐπιμελεῖσθαι, ἢ ἀρετῆς. καὶ ἐὰν δοκῶσι τι εἶναι, μηδὲν ὄντες, ὀνειδίζετε αὐτοῖς ὥσπερ ἐγὼ ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἐπιμελοῦνται ὧν δεῖ, καὶ οἴονταί τι εἶναι ὄντες οὐδενὸς ἄξιοι. καὶ ἐὰν ταῦτα ποιῆτε, δίκαια πεπονθὼς ἐγὼ ἔσομαι ὑφ' ὑμῶν, αὐτός τε καὶ οἱ υἱεῖς. ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις. ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἔρχονται ἐπὶ ἄμεινον πρᾶγμα, ἄδηλον παντὶ, πλὴν ἢ τῷ θεῷ.

Omissa hæc.

Ne uos quidem Iudices, ij quime absoluistis: animaduerte, additis his Græca explicare Ciceronẽ.

Hæc omnia præterita sunt in conuertendo à Cicerone.

Et hoc quidem hoc modo.

Atque hæc ita de Platone excerpta postea nos, ut diximus, STIBARO misimus. Tum uero de ijs quæ explicanda in Cicerone uiderẽtur, uerba facere perreximus. Ac scyphum quidem sacrum Virgil. dicit,

Et sacer impleuit dextram scyphus. Lib. 8.

Herculanum enim hoc poculum, apud poëtas & pictores. Homerus in genere neutro σκύφος posuit,

καὶ οἱ πλησάμενος δῶκε σκύφος, ᾧπερ ἔπινεν. Odyss. ξ.

Sic enim Aristophani Grammatico placuit. Aristarchus uero edidit σκύφον, ut masculini generis. Exposuere autem de poculo rusticorum & pastorali, quo urbani uti nequaquam solerent. Sanè grandius esse poculum apparet, & Athen. 11.

Plato in calice uenenũ Socrati allatum scripsit, ut appareat certa appellatio ne generaliter usum Ciceronẽ hoc in loco. In sequentibus, cum STIBARVS sibi esse nouum diceret, Triptolemum inter iudices infernales ponit.

Tum ego, Non equidem memini, inquam, alibi usquam hoc tradi. Sed nominare Socrates Triptolemum tanquam indigenam heroa mihi uidetur, atque omnes heroicas animas quæ uirtutem in uita coluerint, facere iudices aliorum: sed illos tres iudicia exercere, ut reliquos consilium esse intelligamus. Et sanè recordor tale quiddam de Græcis uerbis Platonis facile posse elici, & eum locum cum illa tibi mittam, etiam notabo. De reliquis autẽ poetarum, ducum, imperatorum, & illustrium uirorum nominibus nihil expectare te puto, dum obuia ubiq; huc etiam accersam oratione nostra. Non admodum sanè expecto, inquit: nisi quod de Orpheo sæpe cum legi, admiratus sum quandam admirabilem, penè dixerim etiam ridiculam rationem carminum illius, quæ diceretur initiorum arcanam doctrinam complecti. Iam illa uis mouendi saxa, & stirpes attrahendi cantu, diuina quædam scilicet, non humana fuit. Hoc, inquam ego, Horatius explicat: qui Orphea conuertisse feritatem hominum ad mansuetudinem ait. Illa autem mystica, quorum & Plato in secundo de Rep. libro meminit, qualia fuerint nescio. Cicero quidem sic in primo de Nat. de or. libro: Orpheum, inquit, poetã docet Aristoteles nunquam fuisse: & hoc Orphicum carmen, Pythagoræi ferunt cuiusdam fuisse cerdonis. quare de hoc nobis haud sanè laborandum esse censeo.

Quod dicit, Socratem suum illud, nihil ut affirmet, tenere ad extremum: referendum ad inquisitionem in omnes omnium uitam & sententias illius: cum ipse nihil fere soleret definire: unde Academicæ illæ dubitationes & Accesilæ philosophia nata est. Sequitur argumentum, non esse malum mortem habendam, ne infinitum malum nobis constituamus: quod quidem magis ad opinionem, quàm ipsam rem ualere queat. Quicquid enim nos statuamus de morte, illa tamen erit qualis quidem est reuera. Qualem igitur, inquit, tu arbitraris? Ego nec inquam. Bonam bonis, malis malam. Dixisti, inquit, duobus uerbis permulta, neque plus tamẽ in præsentia requiro. persequere igitur quod de lectione reliquum est. De Spartano, quem Cicero non nominari dicit, de hoc igitur inquam sic Plutarchus in dictis Laconicis, nomine etiam prodito Thectamenis:

Θεκταμένης καταγνόντων αὐτὸ θανάτου τὸ ἐφόρων, ἀπήλλαξε δίαιτα, καὶ λιμὸν τῶν πολιτῶν ἐρωτήσαντος, εἰ μὴ καταφρονεῖ τὸ θάνατος

ἄρτης νομίσων, ἀχὶ εἶπεν, ἀλλὰ γέγηθα ὅτι σῆι μετὰ τῶν ζημίαν ἐκτίσαι τὸν τάλαντον, παρὰ τοῦ νόμου ὅτε σημιούσαντά με, ὅτε σλανασόμενον.

Versura autem, quædam & ipsa mutuatio est, cum debitum uetus in aliud nouum uertitur, mutato creditore, & hac ratione quasi die dilato, ut Terentius explicat:

In eodem hæsitas luto, uorsuram solues, cc Phor.
Geta: præsens quod fuerat malum, in diem abijt, plagæ crescunt, cc
Nisi prospicis. Hoc autẽ tam excelsi animi factũ, acclamatiunculã Ciceroni laudis expressit: quæ dicuntur Græce ἐπιφωνήματα. Lacedæmoniorum epitaphium quod Simonides Spartanis composuisset, inter alia Herodotus exposuit, κόλυμνία,

ὦ ξεῖν' ἀγγέλειν Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

In quo quidem uersum posteriorem sic legisse Cicero uidetur, ut à Strabone adducitur, Lib. 8.

κείμεθα τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

Nam de illo, nostrûm fortasse aliquis sic fecisset:

Dic hospes Spartæ, nos hac in strage iacere,
Illorum cupidos iussa sequi imperij.

Etiam apophthegma illius sic Plutarchus retulit:

τοῖς δὲ στρατιώτας παρήγγειλεν ἀρίστοις εἶναι, ὡς ἐν ἄδῃ δειπνοποιησομένοις.

Lycurgum autem scribit Herodotus, Spartanam ciuitatem, quæ esset inhumanissima & improbiss. omnium, optimis legibus & institutis in eum ordinem, qui postea seruatus fuerit, redegisse: siue de Apollinis Delphici præscriptione, seu ad exemplum Cretensis reipub. Idem dicit, fuisse hunc fratrẽ Πολυμ. Leobotis, quem octauum numerat ab Hercule. Nomen etiam Spartani memorat, autoris illius dicti quod Cicero retulit. Ac relinquam & hæc Græca tibi: sunt enim pereleganter facta. Κλεισθ.

λέγεται ἄρισθ' ἀνὴρ γενέσθαι σπαρτιάτης δίγυνεκής, τὸν τόδε φασὶ εἰπεῖν τὸ ἔπος. περὶ ἣ συμμίξαι σφέας τοῖσι μήδεσι, πυθόμενον πρός τευ τῶν ξυνιόντων, ὡς ἐπέαν οἱ βάρβαροι ἀπέωσι τὰ τοξεύματα, τὸν ἥλιον οὐκ τὸ πλῆθος τῶν οἰστῶν ἀποκρύ-

πτουσι, τοσοῦτό τι πλῆθος αὐτέων εἶναι. τὸν δὲ οὐκ ἐκπλαγέντα, τοῦ τρισι εἶπαι, ἐν ἀλογίῃ ποιεύμενοι τὸ μήδων πλῆθος, ὡς πάντα σφὶ ἀγαθὰ ὁ Τρηχίνιος ξεῖνος ἀγγέλλοι, εἰ ἀποκρυπτόντων τῶν μήδων τὸν ἥλιον, ὑπὸ σκιῆς ἔσοιτο πρὸς αὐτοὺς ἡ μάχη, καὶ οὐκ ἐν ἡλίῳ.

Percenseamus hæc, inquit ille: atque tu interpretare. sunt enim mihi plæraq; peregrina. Tibi autem scio istum autorem esse familiarem, quippe quē tibi primi magistri tui proposuerint, unde Græcam linguam disceres. Ita est, inquam, mihi mediocriter familiaris: mirifice autem diligitur à me. Aspice igitur. atq; ibi sum Græca interpretatus ad hunc ferè modū: Fortissimū uirum fuisse Dienecem Spartanum accepimus, ad quem autorem & hoc dictum ante conflictum cum Medis refertur. Cum audiret narrantem Trachinium quendam, tantam esse multitudinem Barbarorum, ut cum sagittas emisissent de arcubus, sol ipse absconderetur: tum igitur illum nequaquam territum his uerbis, & contemnentem Medorum copias, dixisse ferunt: Optimum esse nuncium hospitis Trachinij. si quidem ubi Medi solem absconderint, in umbra futurum cum ipsis prælium sit, non in sole. Dictum Lacenæ apud Plutarchum ita exponitur:

Θάπτουσά τις τὸν υἱὸν, ὡς γραΐδιον εὐτελὲς προσελθὸν αὐτῇ, ὦ γύναι τᾶς τύχας, εἶπε, νὴ τὼ σιὼ τᾶς καλᾶς γε φαίνη. οὗ γὰρ αὐτὸν ἕνεκεν ἔτεκον, ἵνα ὑπὲρ τᾶς πάρτας ἀποθάνη, τοῦτό μοι συνέβη.

Quæ dicam si uoles, ut potero, Latine. Hoc etiam illo petente, sic ferè Græca conuertimus. Sepeliebat quædam filium suum. ad quam cum ignobilis anus accederet, & En fortuna ô mulier, queribunda diceret: Per deos, inquit, speciosa illa perhibenda. Nam mihi hoc contigit, ob quod istum susceperam, ut pro Sparta moreretur. Atque his, inquam, epiphonema quasi cohortationis in cursu uirtutis subijcit. Lacedæmonios autem Cicero magnifice laudauit, cum diceret pro L. Flacco, his uerbis: Assunt Lacedæmonij, cuius ciuitatis spectata ac nobilitata uirtus, non solum natura corroborata, uerum etiam disciplina putatur, qui soli toto orbe terrarum septingentos iam annos amplius unis morib. & nunquam mutatis legibus uiuunt. Theodorus Philosophus Cyrenaicus, auditor Aristippi iunioris, qui esset nepos de filia Aristippi, principis sectæ Cyrenaicæ. hic primum ἄθεος, postea à deridentibus θεός dictus fuit. Huius de numine libros compilasse Epicurus insimulatur.

Idem & Anniceridem audierat, qui Platonem de Polide quondam Lacedæmonio redemisset. cum Ptolemæo Lagi F. (qui & Soter, quoniam Alexandrum protectum in pugna Oxydracensi seruasset) familiariter uixit. à quo missus ad Lysimachum, cum alia, tum ipsam mortem denique minitanti Regi, liberrime fertur respondisse. Et hoc exemplo Valerius auxit suum librum. Sed legat puer amplius. Quod statim fecit, recitatis quæ subscripta sunt.

Cuius hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione & sepultura dicendum existimem: rem non difficilem, his præsertim cognitis, quæ de nihil sentiēdo paulo ante dicta sunt. de qua Socrates quidē quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur: de quo iā tam multa diximus. Quum enim de immortalitate animorum disputauisset, & iam moriendi tempus urgeret, rogatus à Critone, quemadmodum sepeliri uellet: Multam uero, inquit, operam amici frustra consumpsi. Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auolaturum, neque quicquam me relicturum. Verum tamen Crito si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi uidebitur sepelito. Sed mihi crede, nemo me uestrûm cum hinc excessero, consequetur. Præclarè id quidem: qui & amico permiserit, & se ostenderit de hoc toto genere nihil laborare. Durior Diogenes, & id quidem sentiens, sed ut Cynicus asperius: proijci se iussit inhumatum. Tum amici: uolucribus ne, & feris? Minime uero, inquit: sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi: non enim senties. Quid igitur mihi ferarū laniatus oberit, nihil sentienti? Præclare Anaxagoras: qui cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, uellet ne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, afferri? Nihil necesse est, inquit, undique enim ad inferos tantundem

uiæ est. Totaq; de ratione humationis unum tenendum est, ad corpus illam pertinere, siue occiderit animus, siue uigeat. In corpore enim perspicuum est, uel extincto animo, uel elapso, nullum residere sensum. Sed plena errorum sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles, lacerari eum & sentire putat. Credo ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi uidetur. At illa sicut acerbissimam rem mœret:

Vidi, uidereq; me passi sunt ægerrime,
Hectorem curru quadrijugo raptarier.

Quem Hectorem? aut quandiu ille erit Hector? Melius Accius, & aliquando sapiens Achilles,

Imò enimuero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.

Non igitur Hectora traxisti, sed corpus quod fuerat Hectoris. Ecce alius exoritur è terra, qui matrem doleri non sinat:

Mater te appello, tu quæ curam somno suspenso leuas:
Neque te mei miseret, surge & sepeli natum.

Hæc cum pressis & flebilibus modis, qui totis theatris mœstitiam inferant, concinuntur, difficile est non eos qui inhumati sunt, miseros iudicare:

Priusquam feræ, uolucresq;,

Metuit, ne laceratis membris minus bene utatur: ne combustis, non extimescit.

Heu reliquias semiassi regis, denudatis ossibus,
Per terram sanie delibutas fœdè diuexarier:

Non intelligo quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortem, cum multi inimicos etiam mortuos puniant. Execratur luculentis sanè uersibus

bus apud Ennium Thyestes: primum, ut naufragio pereat Atreus. Durum hoc sanè, talis enim interitus non est sine graui sensu. Illa inania,

Ipse summis saxis fixus asperis
Euisceratus latere pendens, saxa spargens tabo,
Sanie, & sanguine atro.

Non ipsa saxa magis sensu omni uacabant, quàm ille latere pendens: cui se hic cruciatum censet optare, quàm essent dura si sentiret? Nulla sine sensu sunt. Illud uero perquàm inane,

Neque sepulcrum quo recipiat, habeat portum corporis,
Vbi remissa humana uita corpus requiescat à malis.

Vides quanto hæc in errore uersentur? Portum esse corporis, & requiescere in sepulcro putat mortuum. Magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium, nec docuerit, quatenus esset quodque curandum. Sed quid singulorum opiniones animaduertam, nationũ uarios errores perspicere cum liceat? Condiunt Aegyptij mortuos, & eos domi seruant: Persæ etiam cæra circumlitos condiunt, ut quàm maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optimates domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur, eamq; optimam illi esse censent sepulturam. Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus: sed ita tetra sunt quædam, ut ea fugiat & reformidet oratio. Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis, non negligendus in nostris: ita tamen, ut

mortuorum

mortuorum corpora nihil sentire sentiamus. Quantum autem consuetudini famæq; dandum sit, id curent uiui: sed ita, ut intelligant nihil ad mortuos pertinere.

Hoc loco cohibita lectione pueri: Præclara mihi, inquit STIBARVS, hæc uidentur, sed nescio quomodo duriora. Cupio igitur primum te dicere aliquid de uniuersis, atq; ita demum singula percurrere. Est ita, inquam, ais: nimium philosophantur hoc etiam loco isti sapientes. Nam ipsius hic natura, non opinionis affectus est, ut laboremus uiui de sepultura. Itaq; Odyss. ω. & Imperator Græcorum beatum prædicat Achillem, qui in prælio cum cecidisset, maximo funeris apparatu sepultus esset. Et Hector moriens quam Iliad. χ. topere orat Achillem, ut patiatur à suis sepeliri corpus suum? Et apud Maronem Mezentius:

Vnum hoc, per si qua est uictis uenia hostibus, oro,
Corpus humo patiare tegi: scio acerba meorum
Circumstare odia, hunc oro defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulcro.

In quo Aeneas humanior, qui non negat: sæuus & immanis Achilles, qui ait si fieri posset, etiam se crudas carnes hostis deuoraturum fuisse. Quod si nihil ad mortuos hæc cura pertinet, quare & est sepulcrorum tanta religio, & optimus quisque de sepultura sua diligentiß. mandare solet? Isti Scythæ Herod. μιλ πομένη. ferunt uastari agros, neque hostibus repugnandum esse prius statuunt quàm paterna busta illi uiolassent. Non potest in tam constanti & permanente sententia nihil esse nisi error, etsi in re fortasse etiam ille nonnunquam inest: quem tollamus, rem ipsam retineamus. Platonis autem locus qui adducitur, extat in Phædone, ualde bellus, de quo Cicero hæc excerpsit. Sic enim Crito:

Θάπτομεν δὲ τίνα σε τρόπον; ὅπως ἂν ἔφη βούλῃ, ἐάν γε λάβητέ με, καὶ μὴ ἐκφύγω ὑμᾶς. γελάσας δ' ἅμα ἠσυχῇ, καὶ πρὸς ἡμᾶς ἀποβλέψας, εἶπεν· ὁ πείθω, ἔφη, ὦ ἄνδρες, κρίτωνα, ὡς ἐγὼ εἰμὶ ὅτος ὁ σωκράτης, ὁ νυνὶ διαλεγόμενος, καὶ διατάττων ἕκαστα τῶν λεγομένων, ἀλλ' οἴεται με ἐκεῖνον ἔσεσθαι, ὃν ὄψεται ὀλίγον ὕστερον νεκρόν, καὶ ἐρωτᾷ, πῶς σε με θάπτῃ. ὅτι δὲ ἐγὼ πάλαι πολὺν λόγον πεποίημαι, ὡς ἐπειδὰν πίω τὸ φάρμακον, οὐκέτι ὑμῖν παραμενῶ, ἀλλ' οἰχήσομαι ἀπιὼν εἰς μακάρων δή τινας

ἥνας εὐδαιμονίας. ταυτά μοι δοκῶ αὐτῷ ἄλλως λέγων. Et postea: ἀλλὰ θαρρεῖν χρή, καὶ φάναι τὸμὸν σῶμα θάπτειν, καὶ θάπτειν ὅτως, ὅπως ἄν σοι φίλον ᾖ, καὶ μάλιστα ἂν νόμιμον εἶν.

De morte Diogenis non idem omnes tradidere, & hoc etiam dictum de sepultura alij aliter retulere. Hoc autem in quadam Epistola carum quæ Diogeni ascribuntur, breuiter sic dicitur:

ἐγὼ γοῦν ἔγνωκα ἀποπνεύσαντί μοι θαπτεθῆναι ὑπὸ βάκτρου, ἵνα τὰ δοκοῦντα λυμαίνεσθαι ζῶσα ἀπελάσωσιν. De Anaxagora Laertius ita: πρὸς τὸν διασφορουῦντα ὅτι οὐδὲν ἐκεῖνος τελοῦ τᾶς, παντα χόθεν ἔφη ὁμοία ὁδὸς ἡ εἰς ἅιδα κατάβασις.

Hunc periclitatum capite accepimus, cum accusatus esset impietatis, qui diceret solem esse μόλυβδον, quo intelligitur candens saxum. Hectorẽ apud Homerum religatum de curru trahit Achilles ad naues Græcorum, non raptat circum Pergama, ut Maro fecit: sed ter alibi circum Patrocli bustum trahit religatum. Quæ autem hoc loco adducuntur, ea desumta esse apparet de Latinis poëtis: Ennio, ut opinor, & Accio, atque etiam Pacuuio. Quorum etiam uersus particulatim expositi, fortasse in suam planè formam redigine queant. Sunt tamen plerique omnes genere trochaici catalectici, ut,

Iliad. χ.
Iliad. ω.

Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus audit̃q; & uidet. Plau. Capt.

Dicuntur & quadrati, & octonarij, quod sint τετράμετροι, hoc est pedibus constent octonis. Dicuntur & septenarij, ut à Cicerone, quia septenos integros pedes complectantur, καταλήγοντες εἰς συλλαβήν, id est pedem dimidiatum. Quales & iambici septenarij, qui Hipponactei appellantur: ut,

Ego si bonam famam mihi seruasso, sat ero diues. Mostell.
Et: Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte dico. Hecyra.

Fabula autem, seu historia de redempto Hectoris cadauere, nota est, exposita ab Homero copiose ultimo libro Iliados, quam & Maro in pictura Carthaginiensi notat,

Exanimumq; auro corpus uendebat Achilles.

Is uero qui matrem excitat, Polydorus, filius Priami natu minimus est, interfectus ab hospite Thrace Polymestore: qui, ut ait Maro,

Polydorum obtruncat, & auro Vi potitur.

Deq; hoc in fabula Euripidis Hecuba, manifeste dicitur fuisse illum Priami filium. Sed Pacuuius, nisi fallor, de quo hæc adducuntur, nepotem fecit, genitum ex Iliona, quæ esset

Maxima natarum Priami,
iuxta Maronem. Itaque & Horatius,
Serm. 2. *Quam Fusius ebrius olim*
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
Mater te appello clamantibus.

Illud uero, Priusquam feræ, uolucresq́; : inabsolutum est, satisq́; apparet q[illegible] intelligentia perfici poßit, nempe dilacerationis abiecti cadaueris. Q[illegible]
» *sequitur, Cum multi inimicos etiam mortuos puniant: Non. Marcel. ita cit[illegible]*
» *Quo multi inimicos etiam mortuos puniuntur: mutata uerbi* Διαθέσει.

Sed dißidium fratrum Pelopidarum nemini ignotum, quod inter se [illegible] ita crudeliter exercuisse traduntur, ut ad scelerum conspectum ipse sol refugeret, & occuleret lumen suum, tenebrasq́; induceret in terras. De Persis, & Magis, qui sacerdotes fuere Persarum, deq́; Aegyptijs, Herodotus lib. 1. & 2. scripsit, quæ Cicero hoc loco commemorat. Hircani canes atq; [illegible]di, præ cæteris nationibus commendantur. Et illum, qui non solum Lysimachi cadaueris aßiduus custos fuisse, sed etiam in rogum ipsius insiluisse traditur, Hircanum fuisse accepimus. Hæc cum dixissem, ita tum lectio subsecuta est.

Sed profecto mors tum æquissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus uita occidens consolari potest. Nemo parum diu uixit, qui uirtutis perfectæ perfecto functus est munere. Multa mihijpsi ad mortem tempestiua fuerunt, quæ utinam potuissem obire. Nihil enim iam acquirebatur, cumulata erant officia uitæ, cum fortunæ bella restabant. Quare si ipsa ratio minus perficiet, ut mortem negligere possimus: at uita acta perficiat, ut satis superq́; uixisse uideamur. Quanquam enim sensus abierit, tamen summis et proprijs bonis & laudis, & gloriæ, quamuis non sentiant, mortui non carent. Etsi enim nihil in se habeat gloria, cur expetatur, tamen uirtutem tanquam umbra sequitur. Verum multitudinis iudicium de bonis (si quando est) magis laudandum est, quàm illi ob eã rem beati. Non

ti. Non possum autem dicere quomodo hoc accipere tur, Lycurgum, Solonem, legum & publicæ disciplinę carere gloria: Themistoclem, Epaminondam, bellicæ uirtutis. Antè enim Salaminam ipsam Neptunus obruet, quàm Salaminij trophæi memoriam: priusq́; Bœotiæ Leuctra tollentur, q̃ pugnę Leuctricę gloria. Multo autem tardius fama deseret Curium, Fabriciũ, Calatinum, duos Scipiones, duos Aphricanos, Maximũ, Marcellum, Paulum, Catonẽ, Lęlium, innumerabiles alios. Quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, sed uera bonorum laude metiens, fidenti animo (si ita res feret) gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum aut nullum malum esse cognouimus. Secundis uero suis rebus uolet etiam mori. Non enim tam cumulus bonorum iucundus esse potest, quàm molesta decessio. Hanc sententiam significare uidetur, Laconis illa uox, qui cum Rhodius Diagoras olympionices nobilis, uno die duos suos filios uictores Olympiæ uidisset, accessit ad senem, & gratulatus, Morere Diagora, inquit: nunc enim in cœlum ascensurus es. Magna hęc, & nimiũ fortasse Græci putant, uel tum potius putabant. Isq́; qui hoc Diagoræ dixit, permagnum existimans, patrem cum duobus filijs tres olympionicas una ex domo prodire, cunctari illum diutius in uita fortunæ obiectum inutile putabat ipsi. Ego autẽ tibi quidẽ quod satis esset, paucis uerbis, ut mihi uidebar, responderã. Concesseras enim, nullo in malo mortuos esse: sed ob eam caussam contendi, ut plura dicerem, quod in desiderio & luctu hæc est consolatio maxima. Nostrum enim, & nostra caussa susceptum dolorem modice ferre debemus, ne & nosmetipsos amare uideamur. Illa

ſuſpicio intolerabili dolore cruciat, ſi opinamur eos, quibus orbati ſumus, eſſe cum aliquo ſenſu in his malis, quibus uulgo opinantur. Hanc excutere opinionem mihimet radicitus uolui, eoq; fui fortaſſe longior. A. Tu longior? non mihi quidem. prior enim pars orationis tuæ faciebat, ut mori cuperem: poſterior, ut modo non nollem, modo non laborarem. Omni autem ratione illud certe perfectum eſt, ut mortem non ducerem in malis. M. Num igitur etiam Rhetorum epilogum deſideramus? an iam hanc artẽ planè relinquimus? A. Tu uero iſtam ne reliqueris, quã ſemper ornaſti, & quidem iure. Illa enim, ſi uere loqui uolumus, te ornauerat. ſed qui nam eſt iſte epilogus? aueo enim audire, quicquid eſt. M. Deorum immortalium iudicia ſolent in ſcholis proferre de morte: nec uero ea fingere ipſi, ſed Herodoto autore, alijsq; pluribus. Primum, Argiæ ſacerdotis Cleobis & Biton filij prædicantur. Nota fabula eſt. Cum enim illam ad ſolenne & ſtatutum ſacrificium curru uehi ius eſſet, ſatis longe ab oppido ad fanum, morarenturq; iumenta: tunc iuuenes ij, quos modo nominaui, ueſte poſita, corpora oleo perunxerunt, ad iugum acceſſerunt. Ita ſacerdos aduecta in fanum, cum currus eſſet ductus à filijs, precata deam dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſit à deo. Poſt epulatos cum matre adoleſcentes ſomno ſe dediſſe, mane inuentos eſſe mortuos. Simili precatione Trophonius & Agamedes uſi dicuntur, qui cũ Apollini Delphis templum exædificaſſent, uenerantes Deum, petierunt mercedem non paruam quidem operis & laboris ſui, nihil certi, ſed quod optimum homini. Quibus Apollo ſe id daturum oſtendit, poſt eius

eius diei diem tertium, qui ut illuxit, mortui ſunt reperti. Iudicauiſſe deum dicunt, & eum quidem deum, cui reliqui dij conceſſiſſent, ut præter cæteros diuinaret, mortem eſſe optimum homini. Fertur etiam de Sileno fabella quædam, qui cum à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur: Docuiſſe regem, non naſci homini longe optimum eſſe: proximum autem, quàm primum mori. Qua eſt uſus ſententia in Creſphonte Euripides:

Nam nos decebat cœtus celebrantis domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ uitæ uaria reputantis mala.
At qui labores morte finiſſet grauis,
Hunc omnes amicos laude & lætitia exequi.

Simile quiddam eſt in conſolatione Crantoris. Ait enim, Terinnæum quendam Elyſium, cum grauiter filij mortem mœreret, uenisſe in Pſychomantium, quę rentem, quę fuiſſet tantæ calamitatis cauſa: Huic in tabellis tris huiuſmodi uerſiculos datos:

Ignaris homines in uita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum munere lęto.
Sic fuit utilius finiri ipſiq; tibiq;.

His & talibus autoribus uſi, confirmant cauſſam rebus à dijs immortalibus iudicatam. Alcidamas quidam rhetor antiquus, in primis nobilis, ſcripſit etiam laudationem mortis, quæ cõſtat ex enumeratione malorum humanorum: cui rationes hæ, quæ exquiſitius à philoſophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. Claræ uero mortes pro patria oppetitæ, non ſolum glorioſæ rhetoribus, ſed etiam beatæ uideri ſolent. Repetũt ab Erichtheo, cuius etiam filiæ cupide mortem expetiuerũt pro uita ciuium, Codrum,

qui se in medios immisit hostes famulari ueste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio: quod oraculum erat datum, Si rex interfectus esset, uictrices Athenas fore.

Menœceus uero non prætermittitur, qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem. Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet, ut hostium sanguis eliciatur suo. Veniunt inde ad propiora. Harmodius in ore, & Aristogiton, Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas uigent. Nostros non norunt, quos enumerare magnum est: ita sunt multi, quibus uidemus optabiles fuisse mortes cum gloria.

Hoc tandem fine lectionis facto: Concludere nunc instituit, inquam, disputationem suam Cicero. Atque in hoc paululum etiam immoratur, quod supra attigit, fortes & bonos uiros æquo animo mortem ferre consueuisse, & magis delectari conscientia uitæ per uirtutem actæ, quam metu mortis contristari. Non spectantes etiam præmium aliquod, ut gloriam nominis sui, & sicut dicitur, immortalitatem: sed contentos actionum consiliorumq; suorum honestate, atque ita libenter placida morte acquiescentes. quod quidem eiusmodi est, ut in malo nonnullam consolationem, ad horrorem autem mortis, & terribilem aspectum illius quasi commendandum parum momenti habere uideatur. Sunt autem multæ egregiæ ueterum sententiæ cum iudicio naturæ congruentes, quibus honestæ bonorumq; mortes celebrantur, quæ à nobis teneri & magni pendi debent, quod hac ueluti acclamatione uirtus ipsa animos nostros contra mortis atrocissimum malum confirmare soleat. quæ si accommodentur, & etiam implicentur ueritati, & condiantur intelligentia atque persuasione uoluntatis & misericordiæ Dei erga nos, hoc etiam effici possit ne mors extimescatur: utq; non solum oppetatur animo forti, si ita res ferat, sed etiam libenti, sed appetatur etiam: non quidem in desperatione aut morbo, sed in summa & constantia & sanitate, absque omni falsitate & simulatione. Quod enim mori aliquis uelit, ne contaminet felicitatem ægritudo aliqua sequentis uitæ, uitiosus motus est exultantis animi: ut isti Melancholici sæpe falso & ficto metu mortem sibi consciscunt. Hic tantus error totas ciuitates inuasisse legitur, ut de Massylien sibus & Ceis Valerius Maximus scripsit. Quid ille impos in amore animi adolescens, quid loquitur? apud Plautum:

De instit. antiq.

tum: Domum abi ac suspende te, quia nunquam audibis uerba tot tam suauia. Quid uero interesse credendũ inter seniles & iuueniles perturbationes, quin utræq; in uitio uersentur? Sed Cicero his nunc etiam in ultimo interitu & omni extinctione suauitatem allinit spei, qua præcipiatur secutura uirtutem laus & gloria. Exempla autem quibus hæc illustrat, historiarũ sunt earum, quas & in scholis te sæpissime quondam audiuisse, & ipsum legisse scio. Quid enim uulgatius, quàm Solonem & sapientem unum de septẽ, & legislatorem fuisse Athenien sium? Quis non audiuit Lycurgum opt. moribus, Lacedæmoniorum ciuitatem cõposuisse? Iam deuicti Persæ ad Salamina, non modo uirtute, sed industria & consilio quoq; Themistoclis: & cõcisi Lacedæmonij in Bœotia, declamationes etiã fiunt. At Curij paupertas, Fabricij constantia, utriusque integritas, monumentis literarum nobilitata est. Attiliarum etiam elogium Cicero in libello de Senectute notat: Plurimæ consentiunt gentes, populi primarium fuisse uirum. Huius uirtus bello Punico in Sicilia maxime enituit. Iam duo Scipiones, Cn. & P. ij fuere, qui sua corpora non dubitarent opponere ruentibus in Italiam Pœnis. Et superioris inferioris q; Africani historiæ in medio sunt, quorum ille finem bello Punico secundo Carthagine capta conseruataq;, hic tertio eadem urbe euersa imposuit. Maximum Cicero Catonis uerbis in libello de Senectute miris laudibus extollit. Marcellus Siciliæ uictor, tandem insidijs circũuentus, ab Hannibale, ut scis, interfectus fuit. Paulus autem Aemylius & uicto Persa Macedonum rege, & filio Africano, quem dedisset adoptandum superioris Africani filio, magnum & illustre nomen adeptus est. Lælium autem accipies eum, qui cum Africano minore coniunctiss. uixisse traditur. hic enim in Catonis ætatem incidit, cuius & uirtus et sapientia, & inprimis grauis quædam seueritas, eximia habet præconia literarum Latinarum. Diagoras autem Rhodius, filius perhibetur fuisse Damageti, uel potius Mercurij, cũ mater in agro iuxta illius diui fanum forte consopita eum concepisset. Nam uisa est huius conditio humanitatem superare, quod ea facinora ediderit, quæ nullus præter Herculem alius. Is & Olympijs & Pythijs & Isthmijs uicit: et uicto res uidit non modo filios complures, sed & nepotes aliquot suos. Huius filiæ, contrà legem certaminũ, iudices, quasi haud cõmunis sortis fœminæ, ob uirtutem & fortunam paternam concessere, ut inter uiros in Olympijs spectaret. Quanta autem fuerit gloria apud priscos Græcos, uictoriæ eorum certaminum, quæ Sacra appellarẽtur, cum alijs multis indicatur, tum quod muri etiam urbium, qua uictores inuecherentur, dirui solitos accepimus. Cicero etiam

Pœnis.

etiam in Oratione pro L. Flacco, quasi triumphũ hunc creditum fuisse dicit.
» Et libro Tuscul. quæstionum secundo sic ait: Sed quid hos, quibus Olympio-
» rum victoria consulatus ille antiquus uidetur? Hanc uero sententiã de com-
pescendo luctu, ne quis non tam mortuos suos quam se deplorare uideatur,
quod molle sit atque muliebre, extulit perelegãter in Lælio, atque breuiter
» quidem, ut facile memorare possim: Suis autem, inquit, incommodis gra-
» ter angi, non amicum, sed seipsum amantis est. Argiam sacerdotem gra-
ca forma dixit, τὴν ἀργείαν. Latinius enim erat Argiuam. Historia quidem
ue fabula (quid enim refert?) legitur in primo libro Herodoti perelegãter
citata à Solone apud Crœsum. Agameden & Trophonium, cum interfe-
rem ædem templi Delphici mirabili opere de quinq; lapidibus, ut fertur, ex-
truxissent, mercedem, ait Pindarus (ut Plutarchus recenset) ab Apolline, cu-
opera nauata esset, petijsse. eum iussisse operiri dies septem, post quos mer-
dem ipsos esse meritam accepturos: interea lætis animis epulantes indulge-
re genio. Hoc cum fecissent, septimæ diei nocte consopitos, in quiete mortuos
fuisse. Quo quidem loco uides dierum numerum non conuenire, siue à libra-
rio mutatum, siue decepto Cicerone. Sileni fabellam & ipsam paulo diuer-
sius ab Aristotele recitatã, idem Plutarchus commemorat. Captum enim re-
fert Silenũ in uenatione à rege Mida: interrogatumq;, Quid accidere op-
ac optatiß. homini posset: primum nihil illum respondisse. postea cum uim
» parari cerneret, sic locutum: O laborioßi fati et difficilis sortis semẽ, cur me
» cogitis effari quæ uos ignorare melius esset? Nam uita ea est iucundißima,
» quam fugiunt mala sua. Hominibus autem quod est optimum, id contingere
» nequit, neque natura horum primi boni capax est. Vniuersis enim peræque
» non nasci optimum. Quod autem ipsum quidem hoc sequitur, atq; secun-
dũ est, sed reliquis præstat cunctis, ab hominibus parabile est, ut geniti quàm
primum moriantur: de hoc expressum Theognidis illud notum epigram-
ma, quod sic nuper latinum fecimus.

Non natum esse, loco primo est optabile, & illud
Non uidisse facis lumen Apollineæ.
Proximum huic, natum cito trans Stygis ire paludem,
Profundoq; tegi corpus inane solo.

Soph. Oedipo Coloneo. Hanc sententiam & Tragœdia celebrauit, & Ausonius per omnia uitæ ge-
nera ueram ostendere uoluit. Sed uersus de Cresphonte Euripidis, amores
tos Græcos animaduerti ißos.

Plutarch. πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν.

Τὸν φῶτα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά.
Τὸν δ' αὖ θανόντα, ἢν πόνων πεπαυμένον,
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Quod autem censet hic faciendum, solere facere Trausos Thracicam gentẽ, Herodotus scribit τετριχόρς. Sed uersus, inquit ille, post remus de Latinis senarijs, non uisus mihi est ad numeros conuenire, recitante puero: & ita illũ tamen ut esset scriptus recitasse animaduerti. Quid igitur, inquam, dicemus? utrũ esse mendosum? Est hoc quidem usitatum in dubitationibus explicandis, inquit: sed tu dices, quod uerum esse putaueris. Sanè, inquam, suspicor, pronomen HVNC, in uersum de alicuius Grammatici explicatione irrepsisse. hoc enim deprehendi multis in locis ueterum autorum accidisse. Quod si non probatur tibi, coget te carminis lex complecti uel OMNES, ut una syllaba fiat: uel absorbere S, ante breuem uocalem AMICOS. De Terinæo Elysio, quod hoc loco Cicero, Plutarchus similiter ut alia plæraque in Consolationẽ suam à Crãtore transtulit. fuit autem Terina in magna quõdam Græcia, iuxta tractum Locrensem, unde et sinus Terinæus. Versus Græci apud Plutarchum leguntur sanè mendosi, tales quidam.

ἄρα νήπιε λύσιε φρένας ἀνδρῶν,
Εὐθνώσος κεῖται μοιρίδιος θανάτῳ.
Οὐ γὰρ ἦν ζώῳ αὐτῷ κάλον, ὅτε τοκεῦσι.

Alcidamantis rhetoris sic faciunt mentionem ueterum scripta, ut Eleatæ, et auditoris antiqui Gorgiæ. & patrem illius fuisse addunt Dioclem Musicum. Fertur & nunc quædam μελέτη, seu declamantiuncula illius. Erechthei, qui & Erichthonius, Atticæ regis filias tradunt fuisse numero sex: Protogeniam, Pandoran, Procrin, Creusam, Orithyan, Chthoniam. Cum autem Bœotijs copijs Athenæ premerentur, Protogeniam et Pandoram obtulisse corpora sua quæ mactarentur pro patria. quod cum factum esset, in colle qui Hiacynthi diceretur, unde & ipsæ uirgines Hiacynthides appellatæ, uictoria potiti Athenienses, exquisitis honoribus illas affecere, qui & ad posteritatem durauerunt. De Codro, notiß. historiam ita narrat Lycurgus, in oratione contra Leocratem. Cum Lacedæmonijs aliquot annis ita male fruges creuissent, ut inopia uictus laborarent, constituisse illos armis Atticam occupare, deq; ea re ad Apollinem Delphicum retulisse. Respondisse Deum, nunquam superiores in bello futuros Lacedæmonios, nisi ab hostium Rege uim abstinuissent. Hoc oracuło prodito Athenienßibus, Codrum ornatu seruili quasi

ad sarmenta legenda propè hostes, qui iam in agrum Atticum inuasissent, accessisse. in quem illi cum sciscitantes qui'nam esset, irruerent, inflicta securi uni & eum interemisse, & cæteros ad obtruncandum sese irritasse. Proditorem autem oraculi idem Lycurgus Delphicum ciuem ait, nomine Cleomantin: ipsiq; & posteris decretum cibum in Prytaneo fuisse, qui honor pro maximis beneficijs haberetur. Menœceus filius Creontis, cum oppugnarentur Thebæ ab Argiuis, duce Adrasto, qui restituere uellet in regnum Polynicem generum suum, se sponte sua interemit, neque fuga demonstrata à patre uti uoluit, ut Euripides fecit in Phœnißis. Iam Iphigenia etiã apud Euripidem morti se offert, ἄγετέ με, inquit, τὰν ἰλίου καὶ φρυγῶν ἐλέπτολιν. Quæ autẽ Cicero adducit, de quopiam Latino poëta desumta sunt. Harmodij & Aristogitonis celeberrimum facinus interfecti Hipparchi, à plærisque scriptoribus ad laudem tyrannicidij euectum est: quod Thucydides & primo libro historiarum & sexto repræhendit, docetq; ipsos Atheniẽses ignorare res suas. Non enim Tyrannum, sed Tyranni fratrem illos interfecisse, ulciscentes iniuriam priuatam. Plato in Hipparcho aliam caussam affert. Herodotus etiã interfectum Hipparchum scribit, cum somnio de euentu monitus esset: atq; postea sub crudeli regno Hippiæ fuisse Athenienses annos quatuor, sæuientis non solum in eos à quibus metueret dominationi suæ, sed paßim in omnes, præsertim locupletes & nobiles: donec pulso illo factione Alcmæonidarum, liberatæ fuerint Athenæ. De Leonida & Epaminonda nihil te expectare puto, quod dicamus: uel potius scio. Nunc igitur reliquam particulam libri huius, ut tandem finiamus hos sermones, puer nobis pellegat. Hoc ille iussus, ita est executus.

Τερψιχόρη.

Quæ cum ita sint, magna tamen eloquentia est utendum, atque ita uelut superiore è loco concionandum, ut homines mortem uel optare incipiant, uel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius? sin autem perimit ac delet omnino, quid melius quàm in medijs uitæ laboribus obdormiscere, & ita conniuẽtem somno consopiri sempiterno? Quod si fiat, melior Ennij, quàm Solonis oratio. Hic enim noster,

Nemo

Nemo me lachrymis decoret, inquit, nec funera fletu Faxit.

At uero sapiens ille:

Mors mea ne careat lachrymis, linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Nos uero si quid tale acciderit, ut à Deo denũciatum uideatur ut exeamus è uita, læti & agentes gratias pareamus, emittiq; nos è custodia & leuari uinculis arbitremur, ut aut in æternam & planè in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaq; careamus. Sin autem nihil denũciabitur, eo tamẽ simus animo, ut horribilem illum diem alijs, nobis faustum putemus, nihilq; in malis ducamus, quod sit uel à dijs immortalibus, uel à natura parente omnium constitutum. Non enim temere nec fortuito sati & creati sumus, sed profecto fuit quædam uis, quæ generi consuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod cum exantlauisset omnes labores, tum intercideret in mortis malum sempiternum. portum potius paratum nobis, & profugium putemus, quò utinam uelis pansis peruehi liceat. Si enim reflantibus uentis reijciemur, tamen eódẽ paulo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus necesse est, id ne miserum esse uni potest? Habes epilogum, ne quid prætermissum aut relictum putes. A. Ego uero: & quidem fecit etiam iste me epilogus firmiorem. M. Optime, inquam. Sed nunc quidem ualetudini tribuamus aliquid. Cras autem, & quot dies erimus in Tusculano, agamus hæc: & ea potissimum, quæ leuationem habeant ægritudinum, formidinum, cupiditatum, qui omni è Philosophia est fructus uberrimus.

Post hæc: Quid nunc? inquam. an tu contra mortis horrorem ab his satis instructus paratusq; uenturus esse uideris? neque quicquam scrupuli relinquitur, quod etiam nunc te male habeat? Nescio, inquit ille, quid dicam. Nam me ea quæ recitari audiui, sic quidem mouere, ut libenter assentirer illis quæ ita belle dicerentur. Sed enim si ad rem conferantur, uereor ut possint subsistere, præsertim cum recorder etiam tuas quasi oblocutiones quasdam.

Petamus igitur remedia, inquam, aliunde, ut dixi: quibus in hoc morbo & similibus percurentur animi nostri. hæc tamen etiam uelut ad præparationem quandam assumamus, quibus manuefacti illi curationi libentius obsecundent. Sed remoto etiam hoc toto, an tu putas in his cognoscendis operam ludi? Ego ne, inquit, in hac uerborum elegantia, bonitate sententiarum, compositionis uenustate, splendore atque copia exemplorum? Vt igitur non reddiderint hæc me aduersus mortem firmiorem, aliquid tamen eruditiunculæ contulere mihi, et auxere prudentiolam meam. Sed uersus Solonis Græcos, si cubi quasi apicula de pratis scriptorum ueterum decerpsisti, uelim communices mecum. Faciam ut uis, inquam: atq; hos etiam à Plutarcho, ut meminisse uideor, conseruatos tibi in charta perscribam. Eosdem & hic asscripsimus.

Μήδε μοι ἄκλαυτος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Κἀλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ σοναχάς.

Vide autem, inquam, quàm non annumerauerit uerbis uerba Cicero, ac dixerit potius quod in Græco non esse uideatur. Nostrûm credo aliquis meticulosior, propter inscitiam utriusq; linguæ sic fecisset:

Ne mihi mors lachrymis cassa eueniat, sed amicis
Linquam mœrores mortuus, & gemitus.

Sed hoc fortasse nimis sæpe moneo. Nunc igitur, quandoquidem hoc quasi iter nostræ commentationis exponendæ confecimus, acquiescendum scilicet, ut nostri sermones eundem finem habeant, quem ea scripta de quibus illos fecimus. Tu autem mi DANIELE, si mediocriter mihi experto credis, si quæ etiam illa non cogitas neque speras ab hoc autore, de quibus præclara fuit disputatio nostra, cum hunc solum in usu Latinæ linguæ sequendum imitandumq; probare niteremur, fac tamen sic existimes, tibiq; persuadeas, nihil esse omnium quæ in utraq; lingua earum gentium, quas tam sapientiæ quàm eloquentiæ primas tenere scimus, literis mandata extent, de quorum lectione maior uel æque saltem magnus fructus, quàm de Ciceronianis scriptis percipi

Ciceronis imitatio.

percipi possit, ab homine studioso uirtutis & eruditionis. Quicquid enim quacunque de re ille dixit, ita & inuentionem luculentã, & expositionem consentaneam, eumq; splendorem atq; copiam habet orationis, ut non possit hominis quidem non leuis neque uani animum non instruere singulari quadam facultate, & recte distincteq; sentiendi, & sensa illa diserte ac perspicue enunciandi. Quæ si quis parui pendit, magisq; callidis atque malitiosis excogitationibus & incerto atq; confuso sermone, denique quibusdam in utroq; tanquam spinis ac sentibus delectatur, eum patiamur (quid enim facere possimus) ista mirifica sapientia sua adiuuare errores & desipientiam uel gi, & curare ne scilicet illud aliquando non falli decipiq; possit. Eum beatum reddant minutæ atque tenues ratiunculæ, & fallacia concepta animi, & incertæ atque ambiguæ orationis effata. Nos autem uel in sinu gaudeamus, hoc bono intelligentiæ atque eloquentiæ uel quæsito atque parto, uel saltem animaduerso atq; conspecto. Sed quid ago? Superiorem scholam, qua absoluta ueluti de quibusdam fluctibus emersisse mihi uidebar, eam ne igitur repetiturus sum? Hic ergo nunc iam uerè finiamus hoc colloquium. Nam si diutius tecum moratus fuero, siq; tibi ad audiendum ocium suppeditauerit (nam libenter auditurum te certe scio) percurram tecum etiam reliquas Tusculanas, multo quidem celerius quàm hanc, atq; ita ut potiss. translata de Græcis maxime poëtis loca ea quæ mihi nota sunt, tibi indicem atque demonstrem. Ita facies, inquit STIBARVS, & nobis ne ocium desit uidebimus. Atque ita altero die concluso sermonibus nostris, nõ postea multos dies apud illum nobis remanere licuit, eumq; non proiisa maxima negocia subito oppressere. ita tum ad meos sumus reuersi.

COMMENTARIORVM IOACHIMI Camerarij in Tusculanam Primam Libri Secundi, FINIS.

TYANEI EPISTOLA DE IMITATIONE.

APOLLONIVS TYANEVS SCOpeliano Rhetori.

ANiuersa genera oratiõis sunt quinq; Philosophicũ, Historicũ, Iudiciale, Epistolicum, Disputationũ. His expositis generũ capitibus ordine suo, rursum primũ habendũ id, quod cũ uniuscuiusq; ingenio seu natura congruit: proximũ, quod deficientibus his, in Imitatione optimorũ uersatur. Cum autem optima & inueniri & dijudicari facile nequeant, relinquitur, ut genus suum cuique existimetur conuenientissimum, quia sit firmissimum.

IOACHIMVS

IOACHIMVS CAMERARIVS IOANNI OPORINO Amico Suo, S. D.

SCRIBIS te cognouisse rationẽ de Imitatiõe nostrã: quã ut probari tibi, ita cõuenisse te qui cõtra quędã dissererẽt, significas mihi. Atq; fuisse commemoratũ, quasi aduersus nos, iudiciũ Tyanei, de Epistola quadã illius ad Scopelianũ: cuius autoritate nostrũ labefactari uideretur. Quo nõ quidem te moueri, sed tamẽ cognoscere uelle ais de me, quæ sit existimatio de Epistola hac nostra. Prop.

Ego quidem tibi probari rationẽ nostrã in re, ut ego sentio, studiorum præcipua, uiro docto & erudito optimis artibus atque disciplinis, ualde gaudeo. Quod autem sint quibus illa nostra non placeant, neque miror, neq; moleste fero. De Epistola uero Apollonij quæ sit opinio mea, nunc, ut petijsti, tibi exponam: et si hæc, si animaduertere uolueris, in nostra disputatione ista longiuscula, non præterita esse intelliges. Sed dicamus rursum certius, atq;, ut uis, explicatius.

Primum igitur si maxime nos lædat sententia Apollonij, tamen non tanti, ut opinor, fieri debeat, ut propter eam persuasio ueritatis deserenda sit. Cum enim hoc nulli mortalium tribuendum, tum non is est Apollonius, qui in tali disputatione quasi principatum tenere, suaq; autoritate ullius iudicio obstare posse uideatur. Sed neq; illa nos lædit Apollonij sententia, neque apte contra nos affertur. Non enim nos disseruimus ex professo de istis generibus diuersitatis in oratione, sed de totius orationis Latinę optima & pulcherrima

cherríma forma, qua inuenta et conſtituta, unicuique ſanè uoluntatem ſequi animi ſui liberum cõceſſumq; eſſet, in hoc ſcilicet propoſito rectitudinis, &, ut diximus tũ, ueritatis. Non enim certe negari poteſt, quin ad horum alius aliud magis idoneus ſit. Tametſi mihi iſta diſtinctio orationis expoſita uidetur argutius atq; tenuius, quàm oportuerit: & fuerit melior hæc, niſi fallor, qua ſolemus omnem expoſitionem quæ oratione fiat, diuidere in orationem numeroſam, ſeu metrũ & ſolutam, quæ proſa dicitur, qua primum libros cõpoſuiſſe Pherecydem Syrium, uel Cadmũ quendam Mileſium accepimus. Inter hæc genera duo relinquitur media hiſtoria, quæ ſit quaſi ſolutum poëma. Rurſum metrorum uariæ ſunt formæ, de quibus non attinet hoc loco dicere, orationis autem ſolutæ, duæ: una quæ proprie Oratio generis appellatione uocatur, uehemens & concitata & plena affectibus: altera mitior & lenior, qui Sermo nominatur. Sub illam igitur iudiciales materiæ, id eſt contentiones cadunt: hoc reliqua omnia complectitur, quæ enumerare ſingula nihil neceſſe eſt. Poterat & illa Ciceroniana partitio proponi, & uidetur eſſe optima: Genus eſſe unum orationis uehemens & grande, alterum humile & ſummiſſum, tertium interiectum inter hæc duo mediocre, primum regnat in animis auditorum, & quaſi uim illis affert: ſecundum docendo, diſſerendo, enucleando, obtinet quod uult: tertium eſt quàm hoc uberius, quàm illud aſtrictius, quadam amœnitate plenum. Sub hæc omnes ſcilicet materiæ ſubijciuntur. nã primum in iudicijs ualet: alterum habet diſputationes in philoſophia, & doctrinam, & explicationes ſententiarum, deliberationes, conſilia: tertium hiſtorias, epiſtolas,

Alia orationis diſtinctio

Alia orationis partitio.

